17. F. 2.

Digitized by Google



BIBLIOTHECA AUGUSTANA,

COMPLECTENS

NOTITIAS VARIAS

DE VITA ET SCRIPTIS

ERUDITORUM,

QUOS

AVGVSTA VINDELICA

ORBI LITTERATO

VEL DEDIT VEL ALUIT.

Congeſſit FRANCISCUS ANTONIUS VEITH

Auguſtanus, Bibliopola.

Alphabetum V.



AUGUSTÆ VINDELICÆ.

SUMPTIBUS AUCTORIS.

MDCCLXXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Vides, amice Lector! *Alphabetum V. Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ*, de quo pauca, magis pro conſuetudine, quam neceſſitate præmonenda cenſeo.

Habes in illo *Vitam Xyſti* BETULEII Grammatodidaſcali, qui, primus â *Geldenhaurio Noviomago*, naſcentem Scholam *San-Annæanam Auguſtæ* provexit in majus. Habes *Vitam Matthæi* LANGII, *S. R. E. Cardinalis*, & *Archiepiſcopi Salisburgenſis*, tribus Sectionibus comprehenſam: in qua concinnanda ita Scriptores, qui de Viro hoc maximo ante me egerunt, ſum ſecutus, ut, quæ illi attulerunt, in unum omnia brevibûs verbis ſtudioſè collegerim; deinde vero quamplurima, quæ illos fugerunt, e penu mea litteraria deprompta in *ſectione* tum *prima*, tum maxime in *ſectione ſecunda*, quâ *Dotes* eius, & *tertia*, qua *doctrina* eius & *litteraria monumenta* exponuntur, hactenus omnino ignota ac (quod conſequens eſt) plane nova in medium proferam. Quapropter haud miraberis, quod hæc *Vita* ſola plus quam ter-

tiam

tiam præſentis *Tomuli* partem ſibi vindicet. Habes *Iacobi* PONTANI, *Matthæi* RADERI, & *Gregorii* ROSEFFII, qui *Auguſtam Vindelicam* doctrina ſua, & apoſtolicis laboribus plurimum illuſtrârunt, *Vitas*, easque ſic perſcriptas, qualiter apud alios Scriptores, quoscunque demum, fruſtra quæras. Habes *Viti* RIEDLINI, Medici ſuo tempore percelebris; itemque *Georgii Sigiſmundi* SELDII tum geſta, ſub duorum maximorum Imperatorum *Caroli V.* & *Ferdinandi I.* principatu, S. R. I. Pro-Cancellarii dignitate, tum eruditione ampliſſima inclyti *Vitam*. Habes denique paucorum aliorum *Vitas*, quorum memoriam agere & eruditio eorundem, maxime vero oblata ſponte occaſio & locus ſuaſit.

Benigno itaque vultu accipe, Lector! quod tibi offero, et ſolito favore ſtudia mea proſequi perge. Scribebam *Auguſtæ Vindelicorum*, Calendis Ianuarii, Anni MDCCLXXXIX.

Auctor.

Nomi-

Nomina eorum,

Qui hoc *Alphabeto V.* continentur.

Obſerva, Lector! eos Scriptores, qui *peculiari Paragrapho* laudantur, litteris majuſculis: eos vero, qui duntaxat in tranſitu & per modum brevis *Notæ* memorantur, litteris minuſculis exprimi.

	Pag.
AGRICOLA (Magnus) *Ord. S. Bened.* -	1
BETULEIUS (Xyſtus) *Primarius San-Annæanus.* - - -	2
Betuleius (Emmanuel) - -	13
Betuleius (Chriſtianus) - -	14
Grimm (Sigiſmundus) *Medicus.* -	96
Grimm (Simon) *J. V. Doctor.* -	97
KOENIGSEGG (Ioannes Iacobus â) *Canonicus cathedralis Eccleſiæ.* -	23
LANGIUS (*Matthæus*) *S. R. E. Cardinalis & Archiepiſcopus Salisburgenſis.*	25
MEICHSNERUS (Ioannes) *ICtus.*	117
Meichſnerus (Sebaſtianus) *ICtus.*	119
Mylius (Georgius) *Superintendens.*	200
Niſæus (Ioannes) *Profeſſor in Academia Baſileenſi.* - - -	22
PONTANUS (Iacobus) *Societatis Ieſu.*	119
RADERUS (Matthæus) *Societatis Ieſu.*	149
RIEDLINUS (Vitus) *Medicus.* -	171
ROSEFFIUS (Gregorius) *Societatis Ieſu.*	182
Roſinus (Stephanus) - -	29. 30.
Sallerus (Ioannes) *Societatis Ieſu.*	187

SEL-

Pag.

SELDIUS (Georg. Sigiſmundus) *S. R. I. Procancellarius.* - - 205

Stamler (Ioannes) *Doctor*, & *Canonicus Eccleſiæ Brixinenſis.* - 101

SEMBLER (*Rupertus*) *Præpoſitus Liezheimenſis.* - - - 226

TREFLERUS (Wolfgangus) *Ord. S. Benedicti.* - - - 228

Treflerus (Florianus) *Ord. S. Bened.* 231

Wagnerus (Bartholomæus) *Chori - Vicarius ſummi templi.* - - 198

AGRI-

AGRICOLA (*Magnus*)

Patriâ *Auguſtanus*, ubi ad ætatem adultiorem pervenit, ut liberius Deo ſoli vivere poſſet, Regulam *S. Benedicti*, in patrio ad *SS. Udalricum & Afram* monaſterio amplexus, ſolenne ad aras Sacramentum dixit *IV. Idus Octobr.* anno 1659. Hic, cum monaſterii ſui fratribus philoſophiæ præcepta explanâſſet, ad eadem publice tradenda in Academiam *Salisburgenſem* anno 1672. miſſus eſt. Ibi anno 1673. *V. Kal. Julii* viginti quinque *Baccalaureos*: anno 1674. *Idib. Octobr.* viginti quatuor *Magiſtros* creavit, & *Facultatis philoſophicæ Decanatum* geſſit. *Saliſburgô* domum reverſus *Theologiæ ſcholaſticæ* docendæ munus ſuſtinuit. Poſt abſolutam vero theologiam, ad ſcientias ſublimiores domi et foris tradendas applicatus, poſt multiplices diſputationes, theſesque philoſophicas elucubratas, vitæ mortalis curſum in monaſterio ſuo anno 1688. abſolvit.

Scripta, quæ â *Noſtro* typis procuſa extant, ſunt ſequentia:

I. *Sententiæ Philoſophicæ IV. Libellis, ſive Diſputationibus comprehenſæ.* 1671.

II. *Quæſtiones naturales mixtæ de Principiis & Cauſſis, ex Libr. I. & II. Phyſicorum. in* 8°. 1674.

III. *Concluſiones ſelectæ ex univerſa Philoſophia. in* 8°. 1674.

IV. *Tractatus de Actibus humanis.* 1679.

V. *Tractatus de Myſterio SS. Trinitatis.* 1679. Hæc ex *Hiſtoria Univerſitatis Saliſburgenſis*, & ex KHAMMII *Hierarchia Auguſt. P. III. p.* 165. Adde, ſi lubet, ADELVNGS *Fortſezungen des* IOECHERSCHEN *Gelehrten - Lexicon.*

BETULEIUS vel BIRCK (*Xyſtus*)

BETVLEIVS, vero & vernaculo nomine BIRCK, primam lucem anno 1501. 6. Kalend. Martii *Auguſtæ* (Quidquid oggerant nonnulli Autores; nam *Auguſtam Vindelicorum*, in *Dedicatione* ad ſuos, in CICERONEM *de Officiis*, *Commentarios*, & in aliis ſuis *ſcriptis* paſſim, ipſe patriam ſibi fuiſſe profitetur) aſpexit, patre *Ulrico*, matre *Anna Brennerina* genitus. Cum annum octavum attigiſſet, in litterarium ludum miſſus *Conradum* EPPIVM, qui poſtea artem medicam *Campoduni* factitavit, præceptorem duorum annorum ſpatio habuit. His elapſis, EPPIO *Auguſtâ* migrante, quandoquidem ipſe aurium vitio laborare cæperat, ad textorium opificium (Hoc etenim pater vitam ſuſtentabat) ſe applicavit. In textrina cum annos duos ſudaviſſet, atque intra iſtud tempus aurium uſum recuperaſſet, denuo ad ſtudia ſeſe convertit. Religioſam ſubin vitam amplexus, cum cucullum, quem ferre non poterat, durante Tyrocinii anno exuiſset, in ſchola cathedralis Eccleſiæ ſub *Ioanne* VOEGELINO (*a*) litteris iterum operam navavit; at eodem *Viennam* abeunte, ut ibi Matheſin (cuius inprimis peritus erat) profitere-

(*a*) De *Ioanne* VOEGELINO, de quo pauca attuli in *Alphabeto IV.* meæ *Bibliothecæ Auguſtanæ*, *p.* 63. 167. conſuli poterit *Michael* DENIS in *Buchdrukergeſchichte von Wienn.*

teretur, *Xyſtus* noſter, licet (ſi tamen *Joanni* NYSÆO (*) fides habenda) præceptorem, VOEGELINI ſucceſſorem, haud eruditum nactus eſſet, ita tamen profecit, ut requiſita eum ad ſtatum ſacerdotalem ſcientia minime defecerit. Itaque ne parentibus oneri eſſet, et ut occaſionem acciperet, Academiarum aliquam viſitandi, ſervitio ſe Canonici cuiusdam ex *Mareſchallis de Pappenheim* (*b*) addixit, cuius interventu primis ſacris Ordinibus per *Chriſtophorum à* STADION Epiſcopum *Auguſtanum* initiatus, atque ab mæcenate ſuo *Erfordiam* miſſus, cum *Græcæ Latinæque* linguæ, ſimulque *Poëſeos* amans eſſet, celebres poetas *Euricium Cordum*, *Neſſenum*, et *Eobanum Heſſum*, in *Theologia* vero *Juſtum* JONAM audivit. Hæc inter diuturna febre correptus, cum valetudo in melius ire cæpiſſet, peſtiferæ luis, quæ *Erfordiam* vaſtare inceperat, metu recentibus mæcenatum ſtipendiis ſublevatus, *Tubingam* rediit. Illic annum unum commorans, dum hominum, *Luthero* auſpice nova indies molientium, converſatione et ſermonibus incautius utitur, factum eſt, ut non ſolum ſacerdotii ineundi conſilium abjecerit, ſed et relicta fide avita ad Novatorum caſtra ſeſe tranſtulerit (*c*).

A 2 In

(*) Scripſit is *Vitam Noſtri*, quam vide *Lactantii Operibus*. 1563. *Baſileæ* excuſis præfixam.

(*b*) Hunc *Matthæum* MARESCHALLVM, cujus Vitam in *Alphabeto II.* memoratæ *Bibliothecæ* meæ dedi, fuiſſe credo; cum eo tempore, præter hunc, nullum alium *Mareſchallum* inter Canonicos ſummi Templi *Auguſtani* apud KHAMMIVM in *Hierarch. Auguſt. P. I.* inveniam. Accedit, hunc Canonicum diſerte *Doctorem* vocari â NYSÆO.

(*c*) *Joann.* NYSÆUS &, qui hunc exſcripſit, *Phil. Iac.* CROPHIVS in *Hiſtorie des Gymnaſium bey St. Anna in Augsburg. p.* 113. *ſeqq.* quorum narratione plurimum utor

In *Tubingenſi* igitur Academia anno 1523. *primam Lauream* accepit; et *Magiſterii* quoque dignitatem paulo poſt adeptus fuiſſet, ſin minus ad patrem, morti proximum, filialis eum amor *Auguſtam* retraxiſſet. Huius obitu afflictum, novum centum florenorum ſtipendium, quod *Ulricus* LANGENMANTEL (*d*) Canonicus ad *S. Mauritii*, *Auguſtæ*, in gratiam quatuor Studioſorum fundarat ea lege, ut ſtipendiati duobus annis *Philoſophiæ*, totidemque annis *Theologiæ* ſtudeant, impetratum recreavit, et, ut *Baſileam* curſum dirigeret, permovit. Accedebat hortatio *Chuonradi* PEUTINGERI, mæcenatis litterarum et litteratorum maximi, qui ſuos quoque eò miſerat. In hoc litterarum ſtadio non quatuor, ſed integros duodecim annos commoratus, *græcam* linguam â GLAREANO, *hebraicam* â PELLICANO, *Matheſin* â WEISSENBURGO, *Philoſophiam* â SICHARDO, *Theologiam* ab OECOLAMPADIO, *Jurisprudentiam* ab AMERBACHIO didicit. Cum vero *poeſin* in deliciis maxime haberet, huic potiſſimum ſtudio, duce præfato GLAREANO, operam impendit. Hæc inter conſtituto ſtipendii, cujus bonam partem matri filiali pietate ceſſerat, haud inſcius, ſe inde peius habiturum, tempore, *quadriennio* nimirum, ad finem vergente res *Noſtri* in pejus ire cæperant. Nihilominus, cum *Baſileæ* ſtudiorum cauſſâ ſubſiſtere decreviſſet, ut vitam tolerare poſſet, *Pedelli* ſeu *famuli Academici* munus ſuſcepit, quô haud longo tempore defunctus, cum Bibliopolarum nonnulli *librorum Correctoribus* indige-

tor refectis tamen iis, quæ in Religionem catholicam odioſius illi immiſcuerunt.

(*d*) V. *Pauli à* STETTEN *ſenioris Hiſtorie von Augſpurg. T. I. p.* 329.

digerent, huic officii generi ſe dicavit. Reverſus ſubin ante annum 1530. *Auguſtam* patriæ ſervitia ſua obtulit; verùm cum nullæ adhuc ibi ſcholæ publicæ eſſent (primùm namque anno 1531. ſchola *San-Annœana* condi cæpit) neque ob vocis debilitatem aptus exiſteret, qui ad *Concionem* diceret, dimiſſus eſt, datâ licentiâ, litterarias provincias, quo maxime vellet loco, ſuſcipiendi. *Baſileam* itaque repetiit, ibique viduam honeſtiſſimam *Glaſerinam* fæminam, cuius victu, una cum aliis excellentibus juvenibus fruebatur, in matrimonium duxit, ſic (ut credebat) habiturus, quo privatis lectionibus, puerorumque inſtitutione, quod ſibi ſuisque ad vitam ſuſtentandam neceſſum eſſet, acquireret; donec quid publicæ functionis offerretur. Aſt conſilium hoc eventu ſuo tum contagio, quæ *Baſileæ* ſævire cæperat, tum alius quidam caſus, quo Studioſi diſſipati, fruſtrata ſunt. Hinc *Xyſto* noſtro neceſſitas impoſita, ad grave *correctoris* munus revertendi, quod etiam biennio, in Typographæo *Cratandri* primum, ſubin *Frobenii*, denique vero *Bebelii* geſſit; donec, contracta oculorum infirmitate, deponere illud coactus eſt. In hoc ſtatu res erant, cum *Xyſtus*, qua ratione ſe ſuosque aleret, neſcius anno 1530. à Senatu *Baſileenſi* litterario ad *S. Theodorum* ibidem ludo præficitur: in quo officio per annos quatuor ita ſe geſſit, ut magnam ſibi laudem pepererit; maxime vero *Hiſtoriis Biblicis* in ſcenam productis juventutem ſibi commiſſam ad virtutis amorem incenderit. Et placuiſſe populo hæc *Noſtri* dramata tum iteratæ eorundem editiones, tum illud confirmant, quod (ut ipſe narrat) nonnulla eorum *in pluribus civitatibus, non ſine ſingulari chriſtianæ Reipublicæ fructu, acta fue-*

runt (*e*). Eos autem, qui hoc inſtitutum carpebant, ſequentibus *Noſter* redarguit: *Valere eos jubebimus, qui controvertunt, utrum hoc exercitii genus aliquid operæ pretii ad ſtudia juventutis adferat: quum in multam ætatem hæreant, quæ à primis imbibuntur annis. Quid autem utilius, quam teneros animos ſtudio pietatis & amore patriæ imbui? Haberem plura, quæ in maleferiata judicia iſta dicerem; ſi eſſent digna, quibus multis reſponderem* (*f*). Exacto in hac ſtatione quadriennio, cum *Noſtri* fama indies magis magisque clareſceret, à Magiſtratu *Baſileenſi Pædagogium* (prius Monaſterium *Ordinis Prædicatorum* erat, ſed tum ob turbas Religionis derelictum et vacuum) regendum accepit, rexitque quam optime. Habuit per ea tempora inter alios diſcipulum, qui Magiſtro magno poſtea honori evaſit, *Henricum* MUNZINGERUM *Baſileenſem*, qui anno 1544. in patria *Philoſophiæ Magiſter* proclamatus, *Medicinæ* ſtudium, *Fuggerorum* ſumptibus per triennium in *Gallia* excoluit, cúmque in *Italiam* quoque profectus eſſet, *Piſis Medicinæ Doctor* renunciatus, ſeſquiannum *Florentiæ*, poſt ad mecænates ſuos reverſus octo annos *Auguſtæ* artem medicam exercuit, quo temporis intervallo à *Carolo V.* anno 1555. inter *Nobiles curiæ* adoptatus, anno deinde 1559. ab *Eichſtettenſi* Epiſcopo evocatus eſt, ut eius ditionis Medicum ageret: quem PANTALEO in *Proſopograph. L. III.* & ex hoc ADAMUS in *Vitis Medicor.* concelebrant. Sed ad *Noſtrum* redeat oratio. —

Pæda-

(*e*) In *Dedicatoria ad Drama*: SVSANNA.

(*f*) *Ibidem.* De Comædiis à *Noſtro Baſileæ* exhibitis videri poterit *Io.* NYSÆUS *l. c.*

by Google

Pædagogii memorati gubernandi dignitas cùm *Rectoris* titulum *Xyſto* contuliſſet, id nonnullos in errorem induxit, ut *Noſtrum* inter Profeſſores Univerſitatis *Baſileenſis*, ſed falſo, retulerint: uti obſervavit CROPHIUS in *Hiſtoria* vernacula *Gymnaſii San-Annæani Auguſtæ*. pag. 121. in hoc diſſentiens ab Autore Libri: *Athenæ Rauracæ*, diſertis verbis affirmante: *In Academiam tranſiit anno* 1537. *Oratoriæ Profeſſor nominatus*. Sed mihi CROPHIUM ſequi placet, tum quod NISÆUS Scriptor *Vitæ Noſtri* ſynchronus & municeps *Noſtri* de hoc altùm ſileat: tum quod dubitare haud liceat, *Noſtrum* jam anno 1536. *Auguſtam* veniſſe.

Nulla abſque invidia virtus! Id ipſum expertus eſt *Noſter*, utpote in quem pro famæ creſcentis modulo et livor crevit. Accedebat ſeverior diſciplinæ cuſtodia, quâ in educanda, ſibi credita, juventute utebatur *Xyſtus*: unde tum publicè tum privatim iniquioribus ſermonibus vapulare cæpit.

Tam iſta affecerunt BETULEII animum, ut de mutandis ſedibus cogitarit; cuius conſilii cum participem *Simonem* GRYNÆUM Theologum *Baſileenſem* feciſſet, ab illo *Tubingenſi* Univerſitati commendatus eſt; ſucceſſitque adeo bene hæc commendatio, ut *Xyſtus* illuc evocatus ſit.

Dum iſta geruntur, *Gerardus* GELDENHAURIUS (g) *Noviomagus* cognomine, *Primariatu* Gymnaſii *San-Annæani*, *Auguſtæ*, quod primus omnium geſſerat, aliò vocatus, ſe abdicârat. Huius

A 4 ergo

(g) De viro hoc doctiſſimo videri poterunt ANDREAS in *Biblioth. belgic.* ADAMVS in *Vit. Eruditor.* BAYLE in *Dictionnaire hiſtoriq.* SWERTIUS in *Athenis belgic. Phil.* CROPHIUS in *Hiſtorie des Gymnaſium bey St. Anna in Augſpurg*, p. 105.

ergo vices ut ſupplerentur, BETULEIUS *Auguſtam* invitatus, vocationem ſuadente inprimis GRYNÆO, ac dicente: *Patria petit: ergo patriam pete*, gaudens accepit; quod et vitandæ invidiæ, et viſendæ patriæ, quæ neſcio qua dulcedine ſuos trahit, occaſio inde ſibi daretur. Itaque poſtquam ſe *Magiſtrum Philoſophiæ* anno 1536. *IV. Idus Februarii*, & *primum* quidem poſt immutata Sacra, publico Litteratorum applauſu, ſolenniter creari feciſſet, *Auguſtam* venit, ſuſceptamque *Primariatûs* provinciam ita eſt exſecutus, ut ſpem de ſe conceptam minime fefellerit. Certe *Henricus* PANTALEO *l. c.* teſtari non omiſit: ſibi illum in magna auditorum frequentia docentem anno 1540. auditum fuiſſe.

Pro more *Baſileæ* â ſe obſervato, etiam *Auguſtæ* juventutem, curæ ſuæ commiſſam, *declamationibus*, *diſputationibus*, *dramatibus* in ſcenam productis probe exercuit. Ad hæc ſcholaſtica exercitamenta invitatis Viris primatibus diſcipulos ſuos impenſe commendavit, eaque ratione illis & mœcenates bonos, & ſtudiorum ſtipendia conciliavit (*h*). Diebus *feſtis* aut *vacationum* duos treſve ſuorum diſcipulorum, quos eminere videbat, privatim aſſumptos *Aſtronomiæ*, *Poeſeos*, *Hiſtoriæque* elementis inſtruxit. Tam in amoribus habuit diſcipulos ſuos, ut in exteras Academias pergentes comitando humaniſſime deduxerit. Adoleſcentum animos ad legendos *Scriptores eccleſiaſticos* ſuaviter traduxit; dum eis *Lactantium Firmianum*, probatiſſimæ Latinitatis laude ad *Ciceronem* proxime accedentem, prælegendo explanâvit:

(*h*) In hanc rem NYSÆUS *l. c.* narrat: *vel uni ſibi Stephanum* ISELINUM (*haud dubie Baſileæ*), *mæcenatem in ſeptennium â Noſtro impetratum fuiſſe.*

vit: qua re concitatam erga ſe *Miniſtrorum Verbi*, Scriptorem *ethnicum* præ *chriſtiano* — Quis non miretur? — juventuti prælegendum eſſe contendentium, invidiam poſtea (in *Lactantio* pro ſingulari, quo in hunc Auctorem ferebatur ſtudio, typîs a ſe parato) elegantî apologiâ eſt amolitus. Sed, ut ab odioſis ad jucundiora convertar, & paucis multa complectar, ita BETULEIUS in docendi munere deſudavit, ut, qui in Primariatu proxime ſecuti ſunt, *Matth.* SCHENCKIUS & *Hieronymus* WOLFIUS continere ſe nequiverint, quin honorificentiſſimis eius memoriam teſtimoniis cohoneſtarent. Certe *prior* horum affirmare non dubitavit: *Xyſti* ê diſciplina diſcipulos plures, tantis doctrinæ præſidiis munitos, in exteras Academias eſſe profectos, ut cum *Magiſterii* lauream jam adeptis de eruditionis gloria contendere valerent. A *poſteriori* autem adhucdum circumfertur *Scriptum* ſub titulo: *Xyſti* BETULEII *declamandi diſputandique labores*, in quibus WOLFIUS *Noſtro* ampliſſimas laudes dicere non intermiſit (*i*): etſi idem WOLFIUS à *Noſtro* non ſine multa circumſpectione ac meditatò introductam docendi methodum poſtea immutandam ſibi duxerit.

Sic cum BETULEIUS naſcentis Gymnaſii *San-Annæani* res provehere in melius allaborârit; nil ego miror, tum Viros optimates *Auguſtanos Noſtro* Liberos ſuos inſtituendos concredidiſſe quamplurimos; tum ex eiusdem, ſive *Baſileæ* ſive *Auguſtæ* manentis, ludo Viros doctos magnô numerô prodiviſſe. Hos inter, præter MUNZINGERUM ſuperius laudatum, nominare licet *Wolfgangum*

(*i*) De his omnibus videndus CROPHIUS *l. c. p.* 13 *ſeqq.* & *p.* 122.

MUSCULUM (*k*), dein & *Guilielmum* XYLANDRUM, qui in *Carmine*, *Noſtri* honoribus confecto (*l*) ſic canit:

Tu me ſuſceptum primus puerilibus annis
Informas pietate: decoris moribus ornas:
Prima docesque elementa rudem: tu prima futuris
Fundamenta locas ſtudiis: tu primus, honeſtis
Artibus imbutum, Latium, linguæque Pelaſgæ
Pulchrum idioma doces: tu primus deinde
Bellerophontæi deducis fontis ad undas:
Tu Mecænates, qui noſtra incepta foverent,
Concilias, tutumque iter ad ſublimia monſtras.

Hanc *Noſtri* in docendo ſollicitudinem prolixus viciſſim Patronorum ſavor eſt conſecutus. *Baſileæ*, *cum aliis tum Reipublicæ tum Academiæ primariis* Viris, *Theodorum et Bernardum* BRANDOS (*): *Auguſtæ* HAINZELIOS, FUGGEROS, præcipue vero *Conradum* PEUTINGERUM & filium eius *germaniſſimum*

(*k*) MUSCULI laudes habes in POPEBLOUNT *Cenſura illuſtr. Script.* VERHEIDEN *Elogiis Theolog.* ADAMI *Vit. Theolog:* TEISSIER *Elog. des Scav.* SLEIDANO *Comment. de Statu Relig.* BAYLE *Dictionaire*, & in Libro: *Das Augſpurgiſche Miniſterium. in* 4to.

(*l*) *Carmen* hoc habetur in *Deliciis Poetarum germanorum*, *in* 8o. *Francof.* 1612. *T. V. p.* 1180.

(*) Hîc referenda eſſe exiſtimo, quæ ipſe de ſe ſcripta reliquit in *Dedicatoria* ad *Commentarios in* CICERONIS *Paradoxa*, *Bernardo* BRANDO inſcriptos: *Diu jam et multum. Bernarde ornatiſſime, circumſpicio, num quæ mihi ſe offerat occaſio, qua me gratum oſtenderem parentis tui benevolentiæ, quam non modo tum, cum in urbe veſtra* (Baſileenſi *juventutem litteras docerem. . . ſed interea ſæpe evidentiſſimis nec vulgaribus ſignificationibus erga me declaravit. . . . Minime, inquam, mihi obſcurum eſt, quam in huius tempeſtatis* (ob motus Religionis cauſſâ tum in urbe *Auguſta* exortos, ût ego interpretor) *procellis pro incolumitate mea ſolliciti fueritis, ſi quod me naufragium ejiceret, de me colligendo cogitantes &c. &c.*

ſimum (ut ipſe ait) *Claudium Pium* mæcenates habuit, quorum erga ſe benevolentiam in *Nuncupatoriis* ſuis paſſim deprædicat.

Præter juventutis inſtituendæ negotium Senatus patrius etiam *Bibliothecæ publicæ*, ex deſertorum monaſteriorum bibliothecis colligendæ curam *Noſtro* impoſuit; quam is ita geſſit, ut magnæ, quantum fieri potuit, ad illum librorum apparatum acceſſiones factæ ſint: de quo videri poterit GASSARUS inter MENCKENII *Script. T. I. p.* 1806.

Cum Viris doctis, doctus ipſe, amicitiam impenſe coluit. Hos inter *Bonifacium* LYCOSTHENEM, et, huius interventu ſibi conciliatos, *Thomam* & *Ambroſium* BLAURERÒS, *Ioannem* OPORINUM eruditum Typographum, atque *Gilbertum* COGNATUM ipſemet in *Sibyllinis* ſuis *Oraculis*, ut amicos ſingulares, laudat.

Sic ſtudiis, & juventuti erudiendæ intentus, tandem ingraveſcente corporis infirmitate, cui neo *Achilles Pirminius* GASSARUS, nec *Adolphus Occo II.* percelebres Medici mederi poterant, â munere ſuo (retento tamen ſtipendio) dimiſſus quietam vitam egit; donec anno 1554. accedente ad reliquas infirmitates quodam apoplexiæ genere, fata explevit, Vir græce et latine doctiſſimus, teſte *Conr.* GESNERO in *Bibliotheca*, & Poeta optimus. Eum *Ioannes Baptiſta* & *Paulus* HAINZELII, gratas præceptori quondam ſuo vices rependentes diſcipuli, patrio ſepulchro in *S. Annæ* æde intulerunt, addito ſequenti Epitaphio (*m*).

Chri-

(*m*) Vide ADAMI *Vitæ Philoſoph.* & CRUSII *Annal. Suev. Dodec. III. p.* 693. Adde CHROPHIUM, *l. c. p.* 125. & PRASCHII *Epitaph. Auguſt.*

CHRISTO SACRUM

Qui locus inſigni vidit cum laude docentem
Betulium Xyſtum; nunc tegit oſſa Viri.
Ingenium, mores, doctrinam Scripta per orbem
Cognita teſtantur: Spiritus aſtra tenet.
Ille quidem luctum patriæ, Doctiſque, Boniſque
Liquit; at haud ſimilem liquit in urbe ſui.

VIXIT. ANNOS. LIII. MENS. III. DXXVI.
OBIIT. XIII. CAL. JUL. AN. M. DLIV.
IOANNES. BAPTISTA. ET. PAULUS. HAINZELII
FRATRES. GERMANI
PRÆCEPTORI. B. M
F. C

Indolem *Xyſti* noſtri moresque antea laudatus *Guilielmus* XYLANDER his verſibus deſcripſit:

Non illum tumido quisquam ſe extollere faſtu,
Aut alios vidit vulgi contemnere more;
Quanquam, quo reliquis ſeſe præferret, habebat.
Humanus ſed enim, comis, neque cognitus ulli
Difficilis: neque qui magnos ſibi vellet honores,
Deferri, placida vitam ratione regebat,
Atque domum, & thalami cum conjuge, pignora chara.
Interea ſtudiis ſeſe oblectabat honeſtis,
Atque exhauſtorum mulcebat fruge laborum
Otia, non pigro ſunt qualia inertia vulgo,
Plena voluptatum, ſolaque libidine ducta;
Ingenuo ſed quæ penſantur ſedula fructu.

Ioannes autem NYSÆUS ſequentia in *Noſtri* laudem adferre non dubitavit: *Præſtanti eruditione præditus nil antiquius habuit, quam quocunque loco eſſet, rite fungi ac prodeſſe. Facultates, ut philoſophi, ut benefici, ut religioſi, mediocres exſtiterunt. Gratiâ vero eâ ſemper fuit, quam revera candor eius merebatur. Inimicos nullos habuit, niſi*

aut

aut leviſſimos, aut breviſſimos. Viſus quidem eſt præpoſteram in docendo rationem ſequi, præſertim cum Lactantium ſuis enarraret; ſed putavit pius vir, cum eloquentia pietatem quoque eſſe conjungendam... Nec propterea Ciceronem ſugit, in quem extant tot præclaræ eius Commentationes. Præter iſtud nil plane vidi, quod in eo unquam reprehenderetur. Unum iſtud habuit, quod nec vitii tamen eſt, & plurimis doctis perquam eſt commune, quod cum plurimis morbis fuit conflictatus. Peſtilentia bis correptus fuit: febri ſæpius fuit divexatus: caput rheumata et vertigines ſæpe afflixerunt: et ſæviſſimus ei fuit calculus: ſed poſtremum malum fuit paralyſeos.

Primam uxorem ſuam *Noſter* anno 1538. amiſit. Ex ſecunda, *Barbara Schenkin*, undecim liberos ſuſtulit, ex quibus octo ſuperſtites liquit: quibus, poſt patris obitum, agente inprimis *Ioanne Baptiſta* HAINZELIO Conſule, â Senatu patrio, quod relictæ facultates minus ſufficere ſuſtentandis omnibus viderentur, honeſte proſpectum fuit. Eorum nonnullos litteris ſeſe dedidiſſe, ſcripſit CROPHIUS *l. c.* Certe *Emmanuel*, natu maximus, ſtudiis ſeſe mancipavit: de quo, tam opportuna occaſione oblata, nonnulla attexere decrevi. Fuit is *Sulzbergæ* in *Briſgoia* Verbi Miniſter, inque ea ſtatione poſitus anno 1563. *Lactantium*, â patre typis paratum, typis ipſe vulgavit *Baſileæ*, conſecratum *Ioan. Baptiſtæ* & *Paulo* HAINZELIIS verbis ſequentibus: *Hæreditatis jure et volumen hoc Lactantianum et reliqua parentis poſt fata relicta monumenta nobis, qui legitimi filii ſumus, obvenerunt: mihi autem primogenito et ſolùm litteris mancipato â cæteris Betuleiani ſanguinis & negotium et poteſtas dedicandi Lactantii facta eſt. Neque difficulter adductus ego perſuaſusque ſum, ut, quod hujus ſit operæ,*

ræ, *libens ſuſciperem*, *et hoc officium parenti ſimul atque ſuis poſteris gratificaturus*, *efficerem &c &c.*

Hæc de *Emmanuele* ſufficiant. *Chriſtiano* cuidam BETULEIO *Auguſtano Martinus* LIPENIUS in *Biblioth. theolog. T. III. p.* 830. tribuit *Symphoniam Novi Teſtamenti*, ſed falſiſſime; nam hæc lucubratio certe *Xyſti* BETULEII eſt (*n*). Quare filiis miſſis ad *patrem* rediens, eius opera, haud multa quidem, attamen perdocta, enarrare paro.

I. *In M. T.* CICERONIS *Libros de Officiis: de Amicitia: de Senectute Commentaria longè eruditiſſima, nuncque primum edita. in* 4to. Nota Lector; quamlibet harum lucubrationum *Ciceronianarum* proprio titulo, propriaque *Nuncupatoriâ* munitum prodiviſſe. Opus *de Officiis* dicavit *Noſter* magnifico Senatui Reipublicæ *Auguſtanæ*; ubi docet (ait *Conr.* GESNERUS in *Biblioth.*) quod cuiusvis in Republica hominis officium ſit, litterarum juvare ſtudia. Tam gratum habuit Senatus hoc *Noſtri* obſequium, ut ei *viginti aureolorum*, ſeu aureorum florenorum, munus decreverit; uti docet *Paul.* à STETTEN *ſenior* in *Hiſtorie von Augſpurg. T. I. p.* 375. Opus *de Senectute*, ſive *Catonem* nuncupavit *Chunrado* PEUTINGERO Patritio *Auguſtano*, *Juriſconſulto*. Opus *de Amicitia*, ſive *Lælium* conſecravit *Ioanni* & *Paulo* HAINZELLIIS, *Ioannis* Viri Patritii Auguſtani & Conſularis filiis, adoleſcentibus. Cuncta impreſſa ſunt *Baſileæ*. *Ex officina Ioannis Oporini. Anno*

(*n*) De quodam *Chriſtiano* BETULEIO vel BETULIO *Chriſtophorus* HENDREICH in *Pandect. Brandenb. p.* 555. monet ſequentia: *Betuleius vel Betulius* (*Chriſtianus*) *Auguſtanus Eccleſiaſtes & Paſtor Hirſchaugienſis*, *Lutheranus* edidit *Concionem in exſequiis Chriſtophori Lindenmayeri Abbatis Hirſchaugienſis & generalis Superintendentis Adelbergenſis in Ducatu Wirtembergico.*

no ſalutis MDXLIIII. Menſe Martio. Confer, ſi lubet, *Io. Alb.* FABRICII *Biblioth. latin.* Commentarios hos omnes *eruditiſſimos* eſſe teſtatur *Bibliotheca Geſnero - Simlero - Friſiana.*

Commentarii BETULEII in *Ciceronem de Senectute*, cum Commentariis *Eraſmi Roterodami* & *Petri* BALDUINI Adnotationibus recuſæ fuerunt *Pariſiis.* 1550. in 4to. V. *Catalogum Biblioth. Bünavianæ. T. I. p.* 286.

Commentarii in *Ciceronem de Amicitia* repetitîs typîs, *Pariſiis. Apud Michaelem Vaſcoſanum* 1545. in 4to. prodiverunt, teſte mox citato *Catalogo, T. I. p.* 291.

Selectas *Noſtri* Annotationes in tria memorata *Ciceronis* Opera ſibi adoptavit *Io. Georg.* GRÆVIUS, Vir longe doctiſſimus, ſuæque editioni, *cum Notis Variorum* vulgatæ, inſerüit.

II. *Sibyllinorum Oraculorum Libri VIII. multis hucusque ſæculis abſtruſi, nuncque primum in lucem editi &c.* in 4to. *Græcè. Baſileæ. Ex Officina Ioannis Oporini. Anno ſalutis MDXLV. Menſe Martio.* Dedicavit *Noſter* Clariſſmis Viris *Thomæ* & *Ambroſio* BLAURERIS; alteri, Reipublicæ: alteri, Eccleſiæ *Conſtantienſis* præſidibus. *Annotationes*, quibus *Noſter* hanc ſuam lucubrationem ornavit, adoptans ſibi *Sebaſtianus* CASTALIO ſuæ *Sibyllinorum Oraculorum* editioni, anno 1555. *Baſileæ* vulgatæ, inſerere non dubitavit. Rurſus anno 1599. in 8o. *Pariſiis* exiviſſe eas tradit *Chriſtoph.* HENDREICH *l. c.* & *Mart.* LIPENIUS in *Biblioth. theolog. T. II.* p. 765. De aliis editionibus conſule *Io. Alb.* FABRICIUM in *Biblioth. græca. T. I. p.* 198. ubi inter alia ait: *Primam editionem debemus Xyſto* BETULEIO, *qui ex Codice Bibliothecæ Augu-*

ſtanæ

ſtanæ Vindelicor. Græce edidit additis ſuis Caſtigationibus &c. &c.

III. *Symphonia, ſive Novi Teſtamenti Concordantiæ græcæ. Opus magno uſui omnibus SS. Scripturarum vere ſtudioſis futurum: ſingulari nuper induſtria collectum, inque lucem editum.* in *folio. Baſileæ. Ex Officina Io. Oporini. Anno ſalutis humanæ MDXXXXVI. Menſe Januario.* Dicavit *Noſter Ioanni* WELSERO & *Iacobo* HERBROTO Conſulibus *Auguſtanis* Opus hoc perarduum atque difficile, ad quod primitus tentandum ac concinnandum *Wolfgangus* LYCOSTENES, *Ambroſius* BLAURERUS, *Simon* GRYNÆUS, *Wolfgangus* MUSCULUS, *Wolfgangus* WEISSENBURGIUS acres ſtimulos *Noſtro* addiderunt. *Præfationi* ſuccedunt tum græca tum latina *Iacobi* CRELLII, *Ioannis* CRATONIS, *Sebaſtiani* CASTALIONIS, *Andreæ* DIETHERI (*o*): *Conradi* GESNERI, *Rudolphi* GUALTHERI *Tigurini* Carmina laudatoria. De hac *Noſtri* Lucubratione pluribûs agit *Auguſtinus* CALMETUS in Bibliotheca *ſacra* dicens: *Concordantias græcas N. Teſtamenti primus omnium aggreſſus eſt Sixtus* BETULEIUS. *Id opus adeo neceſſarium cenſet D.* COLOMESIUS *in ſua Bibliotheca ſelecta, p.* 497. *ut e Concordantiis utriusque Teſtamenti magis, quam ex Commentario quocunque, Lectores proficere poſſe judicet....* Addit idem CALMETUS: *Virum fuiſſe infiniti laboris, & ſtudii legendo ſive ſcribendo nunquam intermiſſi ferunt.* Fuſius eandem quoque deſcripſit *Frid. Gotth.* FREYTAG in *Apparatu litterario, T. I. p.* 154. dicens: „*Quantæ Liber raritatis ſit,* „*hæc verba teſtantur in Catalogo Biblioth. Palthen.* „*p.* 208.

(*o*) Quæ de DIETHERO, qui ſcholaſticos labores cum BETULEIO partitus eſt, dicere habui, expoſui in *Alphabeto I.* præſentis *Bibliothecæ.*

„*p.* 208. *conſpicua*: Omnium primæ ac proinde „etiam rariſſimæ ſunt hæ *Concordantiæ*, quas de„inde ſecutæ ſunt *Stephanianæ*, et *Schmidianæ*. „Et quanquam allegatione verſuum, utpote tunc „nondum inventorum, deſtitutæ ſint, hoc tamen „præ ſequentibus jam dictis peculiare habent; „quod diverſas unius vocis ſignificationes notave„rit & diſtinxerit *Xyſtus*: id quod *Stephanus* & „*Schmidius* omiſerunt. Confer *Iac. le* LONG *Bib„lioth. ſacra*".

Recuſum Opus iſtud (ſi *Bibliothecæ Geſnero-Simlero-Friſianæ* credimus) anno 1548. per dictum *Oporinum*. Aliam editionem anni 1564. *Chriſtoph.* HENDREICH in *Pandect. Brandenburg.* memorat.

IV. *In M. T.* CICERONIS *Libros III. de natura Deorum: et Paradoxa, Commentarii multa ac varia eruditione referti, nuncque primum in lucem editi.* in 8°. *Baſileæ. Per Ioannem Oporinum. Anno ſalutis humanæ. MDL. Menſe Septembri.* Libros *de natura Deorum* ſacros *Noſter* eſſe voluit *Ioanni Lucæ* VELSERO adoleſcenti: *Paradoxa* vero *Bernardo* BRANDO, *Theodori* apud inclytam Baſileam Conſulis filio, adoleſcenti.

Libros *de natura Deorum* cum *Noſtri* Commentariis recuſos fuiſſe *Baſileæ.* 1584. teſtatur LIPENIUS in *Bibl. philoſoph. p.* 379.

Selectas *Noſtri* Annotationes, in *Ciceronis Paradoxa*, *Io. Georg.* GRÆVIUS in ſuam editionem transferre non erubuit.

Adde, ſi placet, *Io. Alb.* FABRICII *Bibliothecam latinam.*

V. *Ferdinandi* CORTESII *von den newen Hiſpanien, ſo im Meer gegen Nidergang, zwo ganz luſtige und fruchtreiche Hiſtorien &c.* in *folio. Augſpurg.*

Bibl. Auguſt. Alph. V. B

ſpurg. 1550. Opus hoc à CORTESIO *hiſpanice* ſcriptum à *Petro* SAVORGNANO *Forojulienſi latine* redditum, in linguam *germanicam* tranſtulerunt unitis viribus BETULELIUS & *Andreas* DIETHERUS ſupra memoratus, dicaveruntque *Ferdinando* Regi Romanorum: qui illius imprimendi mandatum *Philippo Ulharto* typographo dedit. *Prior* Hiſtoria ſeu Narratio BETULEIUM, *poſterior* vero DIETHERUM verſorem habuit.

VI. *Obſervatio in* CICERONIS *Orationem pro Q. Ligario.* Breve hoc meletema exſtat in *M. T. Ciceronis Orationibus omnibus, doctiſſimorum Virorum Enarrationibus illuſtratis.* in *folio. Baſileæ apud Oporinum.* 1553. cuſis, et mox anno ſequenti (1554) *Lugduni* recuſis, *T. I.* Confer, ſi lubet, paulo ante citatum FABRICIUM, & *Bibliothecam Geſnero - Simlero - Friſianam.*

VII. *L. Cælii* LACTANTII *Firmiani Opera, quæ quidem extant, omnia. Acceſſerunt Xyſti* BETULEII *Auguſtani pia ac erudita Commentaria nunc primum in lucem edita.* in *folio. Baſileæ. Per Henricum Petri. Anno ſalutis humanæ MDLXIII. Menſe Martio.* Edidit, ut ſupra monui, filius, *Emmanuel* BETULEIUS hoc parentis Opus, cuius fata ſequentibus exponit: *Cum ante annos plus minus duodeviginti Lactantium parens publice auditoribus ſuis in Auguſtana Schola enarrandum ſuſcepiſſet, primum hæc in Carmina, poſt in Libros Inſtitutionum et annotare et diſcipulis dictare cœpit Annotata. Iis abſolutis Lactantiana lectione ipſi à Scholæ magiſtratu fuit interdictum. Annotationes tamen nihilominus in cæteros de Ira, et Opificio Dei libros continuavit. Cui labori ac prælectioni, Sybillinorum quoque debemus Oraculorum editionem: ex quibus Autor iſte quam plurima citat teſtimonia.*

At-

Atque hic ſane ſcriptor adeo Xyſto et familiaris et dilectus ſemper fuit, ut ex ſuis filiolo cuidam Lactantii nomen impoſuerit. Qui cum poſt paucos, quos viderat, dies, præmatura morte præriperetur, fato quodam atque non fauſto, et huius Lactantii noſtri interitum præſagire ſibi videbatur. Nam finitis quidem Commentariis, quamprimum eos publicare conſtituerat. At vero ob difficilia, et funeſta atque peſtifera non patriæ ſolum, verum ipſi univerſæ Germaniæ, quæ ſubſecuta ſunt, belli tempora, ut tum non ederetur, factum eſt; ita ut huc usque preſſa manſerint. Nam interea ipſe quoque pater optimus atque pientiſſimus extremum vitæ ſuæ diem clauſit. Hinc vero nos, qui tunc pueri fuimus, et adoleſcentes, per ætatem id, quod volebamus, conſequi non potuimus. Hodie vero Typographus laudatiſſimus, occaſione quadam opportune arrepta, editionem hanc moliri cæpit.

Dedicationem filii excipit Præfatio patris, in qua adverſarios, ſeu *Lactantio - maſtigas* belle confutat, ſuumque inſtitutum defendit, diſputans, utrum LACTANTIUS in ſcholis recte prælegatur? Præfationi ſuccedit *Vita* BETULEII à *Ioanne* NYSÆO ad *Emmanuelem*, eius filium, ſcripta.

De hac editione *Nicolaus le* NOURRY ſequentia monet: *Novam Lactantii Operum editionem, longosque in eam Commentarios paraverat Xyſtus* BETULEIUS &c. &c. De eadem *Nicolaus* LENGLET *du Freſnoy* in ſua LACTANTII editione *p. XXXVIII.* ſcribit: *Non omnino probatur Eruditis; quamvis in iis multa & fortaſſe plura, quam par eſt,* BETULEIUS *congeſſerit.* Attamen idem *Noſtri* laboribus hinc inde uſus eſt. Similiter *Annotationes Noſtri* in LACTANTIUM ſuæ editioni, cum aliis aliorum doctiſſimorum Virorum *Adnotationibus*, in-

 ſerui

ſeruit *Io. Ludov.* BUNEMANNUS anno 1739. *Lipſiæ* in 8°. Vide *Io. Alb.* FABRICII *Bibliothecam latinam.*

VIII. *Comœdiæ*, â *Noſtro* in theatro publice datæ, poſtea typis in lucem emiſſæ ſunt:

1. *Eva*, *ſeu Mythologia Philippi Melanchtonis redacta in Actionem ludicram.*

2. *Ioſephus.* Hunc DIETHERO poſtea commendavit. Confer *Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ Alphabetum I. p.* 44.

3. *Sapientia Salomonis.* Primam editionem videre mihi haud licuit. Recentiorem memorat *G. A.* WILL in *Bibliotheca Norica*, *P. V. p.* 252. his verbis: *Sapientia Salomonis â Xyſto Betuleio & Hermanno Kirchero dramate deſcripta.* in 8°. *Norimbergæ.* 1597.

4. *Beel*, quem convertit poſtea per diſcipulos. *Germanicè* verſus a *Io. Laurent.* MERCKENIO prodiit 1615. *Ulmæ.* in 8°. V. *Mart.* LIPENII *Bibl. philoſ. p.* 165. Confer GOTTSCHED *Vorrath zur Hiſtorie der deutſchen dramatiſchen Dichtkunſt*, *p.* 174.

5. *Zorobabel*, quem convertit poſtea per diſcipulos. *Bibliotheca Geſnero - Simlero - Friſiana*, *p.* 328. & 829. inquit: *Tragœdia germanica*: Zorobabel, *ex Libro III. Eſdræ. Auguſtæ, in* 8°. 1539. *excuſa.*

6. *Herodes*, *ſive Innocentes.*

7. *Iudith. Drama comico - tragicum. Exemplum Reipublicæ recte inſtitutæ: unde diſcitur, quomodo arma contra Turcam ſint capienda.* in 8°. *Auguſtæ Vindelicorum. Philippus Ulhardus excudebat.* Dicavit *Noſter Iacobo & Georgio* FUGGERIS dominis in *Kirchberg* & *Weiſſenhorn*: quorum et munificentiâ Drama hoc in ſcena actum fuit. Recuſum *Darmſtadii.* 1615. in 12°. teſte *Mart.* LIPENIO in *Bibl.*

Bibl. philoſ. p. 324. & *ibidem* 1619. teſte *Chriſtoph.* HENDREICH, qui etiam antiquiorem editionem *Auguſtanam* anni 1585. memorat.

8. *Suſanna. Comœdia tragica.* in 8°. *Auguſtæ Vindel. Apud Philippum Ulhardum.* 1537. Inſcripſit *Noſter* Senatui *Auguſtano.* Recuſa fuit *Tiguri,* in 8°. *Apud Froſchoverum,* 1538. chartis $5\frac{1}{2}$ uti teſtatur *Conr.* GESNERUS in *Bibliotheca*: item *Coloniæ.* 1538. & *Wittebergæ.* 1564. cum *Io. Stigelii Carmine de Ordinatione Magiſtratus,* uti monet *Chriſt.* HENDREICH *l. c.*

9. *Nobilitas vera. De vera Nobilitate Orationes II. Auctore* BONAGARSO *Piſtorienſi* in Ludi formam *redactæ.* 1538. *Auguſtæ. Apud Philippum Ulhardum.* in 8°. Dicavit *Chriſtophoro* WIRSUNGO. Confer *Conr. Geſneri Bibliothec. v.* Bonagarſus.

Eſt profecto, cur mirer, *Carol. Frid.* FLOEGELIUM in Libro: *Geſchichte der komiſchen Litteratur,* nullam de *Noſtro* mentionem facere. Quod FLOEGELIUS intermiſit, præſtitit Perilluſtris *Paulus à* STETTEN *junior,* in Libro: *Kunſt - Gewerb- und Handwerks - Geſchichte von Augſpurg, T. II. p.* 314. honorificam *Noſtri* memoriam ob *Comœdias* publice exhibitas agens.

Et hæc quidem ſunt typis edita *Noſtri* Opera; quæ præter et ſequentia reliquit, teſte *Io.* NYSÆO in *Vita Noſtri*:

Commentarios in CICERONEM *de Divinatione & de Fato.* Hos editos typis eſſe, adſtruit CROPHIUS *l. c. p.* 126. ſed fallitur.

— — *in* VIRGILII *Æneida.*

— — *in* VALERII MAXIMI *Libros omnes.*

— — *in* HONTERI *Coſmographiam.*

— — *in* DESPAUTERIUM *de Schematibus.*

Annotationum Sylvas in GELLIUM & QUINTILIANUM.

Tabulas in URBANUM, quas vel meis addam (aìt NYSÆUS) vel ſeorſim aliquando edam.

Librum variorum Carminum & Epiſtolarum.

Habes, amice Lector! de *Xyſto* BETULEIO noſtro, de quo, ſi lubet, conſulere quoque poteris PANTALEONEM in *Proſopograph. Tom. III. v.* Xyſtus. *Guilielm.* XYLANDRUM in *Præfat.* Verſionis ANTIGONI. CRUSIUM in *Annal. Suevic. Dodec. III.* NICERONIUM in *Memoires*, *T. XXXXII.*

Iam de *Ioanne* NYSÆO, cuius in hac narratione aliquoties mentio facta eſt, pauca addere locus & occaſio ſuadent. Fuit is *Auguſtanus*, & ob ſolam, quam typîs edidit, *Vitam Xyſti* BETULEII noſtri (nam alia eius Scripta invenire nulla potui) præſenti *Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ* meritò inſerendus. Huic (ùt ſupra â me dictum) BETULEIUS *noſter* ſtudiorum mecænatem per integrum ſeptennium *Iſelinum* quendam commendatione ſua conciliavit. Huic eidem *Noſter Symphoniæ* ſuæ ſeu *Concordantiarum græcarum novi Teſtamenti* recognitionem demandavit. Docuit autem ille publicè *Baſileæ*, uti teſtatur Liber ſub titulo, *Athenæ Rauracæ*, *p.* 266. & 294. ſequentibus verbis: *Ioannes* NISÆUS *Auguſtæ Vindelicorum natus, Tubingæ Artium liberalium Magiſter proclamatus, eruditione ſua Baſileenſibus innotuit, qui ei in Pædagogio profeſſionem Rhetoricæ, ſcilicet Virgilii anno* 1550. *& anno* 1551. *in Academia itidem profeſſionem Rhetoricæ detulerunt: quam utramque diligenter curavit adhuc anno* 1556. *Anno* 1557. *ad Phyſicam translatus legitur. Quæ poſtrema eius fata fuerint, repperire nobis non licuit.*

KOE-

KOENIGSEGG (*Ioannes Iacobus à*)

Ioannes Iacobus, ex S. R. I. Comitibus à KOENIGSEGG & ROTTENFELS, Dominis in *Aulendorf*, & *Stauffen &c.* anno 1589. progenitus, optimis ſtudiis in Academia *Ingolſtadienſi* operam navavit (*a*): cumque animum ad ſtatum eccleſiaſticum adjeciſſet, brevî in cathedralibus per *Germaniam* Eccleſiis ad *Canonici* dignitatem pervenit. Fuit electoralis Eccleſiæ *Colonienſis* ſecundus Decanus: Metropoliticæ *Salisburgenſis* (*b*) Oblaiarius & Cuſtos: Cathedralis Eccleſiæ *Auguſtanæ* Canonicus anno 1604. aſſumptus: earundemque trium Eccleſiarum Senior ac Jubilæus. Diem ſupremum obiit *Salisburgi*, & in templo metropolitico ibidem ſepultus fuit hoc addito titulo:

Oſſa, Viator, hîc lege!
Cœlum animo apprecare!

R Rmus. Illuſtrmus. D. D. Ioannes Iacobus Comes à Koenigsegg & Rottenfels, Dominus in Aulendorf, Stauffen &c. electoralis, metropoliticæ, & cathedralis, Eccleſiarum Colonienſis, Salisburgenſis & Auguſtanæ Canonicus, Senior, & Jubilæus, per varia aſſurgens officia, Sacrorum liberrimus Aſſertor, librorum adeo amans, ut de ſuis adderet, ac bono publico divulgaret gnarus, ſolos libros liberos eſſe. In artes liberales liberalis pariter: ſibi parcus, ut plures, pauperie depreſſos, attolleret ſua manu, expertus raro apud divites ſapientiam hoſpitari. Pie obiit anno ætatis LXXIV. Chriſti Servatoris *anno MDCLXIII. Idibus Septembris.*

B 4 Fuit

(*a*) *Annales* memoratæ *Academiæ* eum inter *Inſcriptos* memorant ad annum 1604.

(*b*) Canonicus *Salisburgenſis* factus eſt, anno 1606. teſte *Hiſtoria Salisburgenſi*, a MEZGERIS edita, *p.* 1163.

Fuit *Ioannes Iacobus* Vir eruditiſſimus iuxta ac laborioſiſſimus: in S. Scriptura, cuius ſtudium prae aliis adamavit, verſatiſſimus: Mæcenas ſtudioſorum liberaliſſimus. Plures ingenuarum artium cultores aſſidua benevolentia nutrivit. Duobus ê doctioribus victum & amictum largiter miniſtravit. His, quæ ſuis ipſe legerat oculis, non contentus, alium conſtituit, qui ad menſam imo ad lectum ſibi, uſquedum obdormiret, bonos libros prælegeret. Hac ratione cum maximam rerum doctrinæque copiam ſibi comparâſſet, ad ſcribendum aggreſſus, ſpiſſum admodum Volumen, *Biblico ſtudio* apprime utile, typis exſcribi ſuo ære fecit (*c*) hoc titulo:

Promptuarium ſacrum biblicum, in quo univerſus Textus biblicus in ſuos titulos, diſtinctos ordine alphabetico, via concordantiali expoſitus; una cum Appendice &c. in *folio. Partes II. Salisburgi.* 1661.

Opus eſt *diuturni & ſolliciti laboris per ſubſecivas horas, gravi impenſa collectum: omnibus ſacræ Scripturæ & Theologiæ Doctoribus, Profeſſoribus, Concionatoribus &c. utiliſſimum: cuius Autorem, ipſa commendat raritas & illuſtre nomen, qui nobiles annos animosque, raro exemplo, totos SS. Literis dedicavit, qui ſeſe in SS. Patribus eodem ordine et diſtributione adlaboraturum, et ex illis ſimile Opus concinnaturum promiſit;* ſed morte interveniente promiſſa explere haud potuit, non ſine gravi damno litteratæ Reipublicæ, quæ lucubrationes a nobilibus profectas ingeniis ſingulari cum reverentia & aviditate plurima excipere conſuevit.

(*c*) V. KHAMMII *Hierarch. Auguſt. P. I. p.* 630.

Digitized by Google

LANGIUS (*Matthæus*) S. R. E. Cardinalis, & Archiepiſcopus Salisburgenſis.

Matthæus, LANGIUS, vel nomine in *latinum* verſo LONGUS & LONGIUS (*a*), patritia familia *Auguſtana* ortus eſt: cuius vix dum encomium ordiens, mox id negotii imponi mihi ſentio, ut generoſos natales eius à macula purgem, quam eiſdem aſpergere Scriptores nonnulli auſi ſunt.

Alii obſcuris eum parentibus natum fuiſſe, tradiderunt (*b*). Sed hos erroris facilè convincunt tum monumentum â *Noſtro* in ſacello *Langiæ* familiæ, *Auguſtæ*, poſitum (*c*):

IOANNI. LANG
ET. MARGARITÆ. CONJUGI
AUGUSTEN
MATTHÆUS. E. GURZEN
AUGUSTEN. ET. CONSTANTIENS
PRÆPOSITUS
PARENTIB. DULCISS
ET. TOTI. FAMILIÆ. POSUIT
MDXIII.

tum *Annales patrii* (*d*); in quibus & *Langiorum*, & *Sulzerorum* (Ex hac ſcilicet familia ma-

(*a*) CIACONIUS in *Vitis Pontif. T. III. p.* 299. Caveſis autem, Lector! *Noſtrum* cum alio *Matthæo*, Cardinale & Epiſcopo *Sedunenſi* ſynchrono, cognomento SCHINER permiſceas; uti Scriptores quidam malè fecerunt.

(*b*) Vide *Marci* HANSIZII *Metropol. Salisburgenſ. p.* 564.

(*c*) *Daniel* PRACHIUS in *Epitaph. Auguſt. P. I. p.* 14.

(*d*) Vide *Paul. à* STETTEN *ſenior. Geſchichte der Römiſch. Reichs - Stadt Augſpurg.* His adde teſtimonium *Clemen-*

ter *Matthæi* noſtri originem duxerat) Gentem à multis retro annis *Auguſtæ* claruiſſe perdiſcimus.

Alii dein Scriptores usque eò prolapſi ſunt, ut *Matthæum* noſtrum, filium naturalem *Maximiliani I.* Cæſaris, fabuloſiſſime fecerint. Commento huic anſam dedit *Ioannes* PINICIANUS (*e*) in *Epicedio* a ſe ſcripto *Maximilianum* fatis ſupremis functum, atque *Matthæum* LANGIUM vivum, inter ſe colloquentes, & LANGIUM inter alia dicentem inducens: *O Cæſar, felix Genitor!* et rurſus: *Dive Pater!* Quamobrem bene Lectores admonuit *Marcus* HANSIZIUS (*f*): „Hi verſus, ne „neſcias, ipſi ſunt, quos poſterorum nonnulli ſe„quius interpretati myſterium ſe deprehendiſſe pu„tarunt, quod æqualium Scriptorum omnium cog„nitionem omnem effugerit. Audi fabulam fabu„loſiſſimam! *Matthæum* LANGIUM crediderunt, fuiſ„ſe filium *Maximiliani* Cæſaris naturalem. Id *Ge„neographus Tubingenſis* in *Tabulas* ſuas intulit. Id „accuratus ceteroqui *Matthæus* RADERUS *Bavar. „ſanct. Vol. II. p.* 247. ſcriptum reliquit his ver„bis: *Matthæus* LANGIUS *Welleburgius Cardinalis*, „*ex* LANGA *Patritia Auguſtana & Maximiliano I. Impe-*

Clementis JÆGERI, cuius merita *Bibliothecæ* præſentis *Auguſtanæ Alphabeto III. p.* 89, expoſui, in Opere anecdoto: *Von Ankunft des .. adelichen Geſchlechts der Herren Rehlinger* dicentis: *Dieſes Geſchlecht* (Herwart) *und die* LANGEN ... *hab ich mit ganzen Worten, als Canonici anno* 1251. *auf dem hochen Domſtift, befunden.* Præterea *innumeri Scriptores ſynchroni &* GASSARUS *in Annal. Augsburg.* STENGELIUS *in Commentario Rer. Auguſt.* CRUSIUS *in Annal. Suevic. Patritium Auguſtanum* vocant *Matthæum* noſtrum

(*e*) Viri huius laudes deſcripſi in *Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ Alphabeto I. p.* 139.

(*f*) In *Metropoli Saliſburgenſi*, p.584.

„*Imperatore natus*; iſtud ex memoratis *Piniciani* „verbis probare contendens. Ad auctoritatem RA„DERI ſe refert IMHOFIUS in *Notit. Procerum*, „*L. I. c.* 4. *in Subnotatis.* Nihil attinet, in his „refellendis operam terere. Nemini veterum id „venit in mentem vel ſuſpicari. In tanto Scripto„rum numero, qui de LANGIO ſcripſerunt, in tan„ta Viri claritudine, quis exiſtimet, aut omnes „fuiſſe rei tam notabilis ignaros, aut adeo vere„cundos, ut id omnes ſilentio premerent? Ag„novit inanitatem commenti RADERUS ipſe, qui, „quod in *Volumine II.* ſcripſerat, in *Volumine III.* „*p.* 204. diligenter recantavit, profeſſus, ſe ver„bis PINICIANI perperam intellectis, virorum „quorundam doctorum exemplo, deceptum eſſe... „Non enim nominavit *Matthæus Maximilianum* „patrem naturalem, ſed moralem; ſcilicet ob be„neficia in ſe collata. Idem RADERUS *ibidem p.* 205. „(in ſerie genealogica *Graſchivenkiorum* (g), *Lan„giorum*, *Ilſungiorum*) *Matthæum Ioannis Langi*, „& *Margaritæ Sulzerinæ* filium inter octo virilis „ſtirpis & quinque muliebris ponit loco quarto. „Aliud argumentum ſumit e litteris hæreditatis „erciſcundæ, ubi *Matthæus* vocatur loco primo, „utique non admittendus, niſi legitimus. Accedit „Epitaphium ſupra recitatum, quod *Matthæus* in „ſacello LANGIORUM *Auguſtæ* parentibus poſuit. „Sed quid multis? *Maximilianus* Cæſar natus an„no 1459. non niſi decennio ætatis anteibat LAN„GIUM, quippe editum circiter annum 1469". Hucusque HANSIZIUS, cui, ætate prior *Corb.* KHAMMIUS (*h*) per omnia conſentit.

Na-

(*g*) KHAMMIUS in *Hierarch. Auguſt. P. II. p.* 278. ponit: *Schrenckiorum.*

(*h*) Loco mox citato.

Natalibûs *Matthæi* LANGII noſtri debito honori, & ſplendori avito reſtitutîs, ad Vitam eius deſcribendam propius accedere oportet: quod ut ordine â me fiat, pro more in Viris magni nominis proponendis hactenus adhiberi ſolito, *tribus Sectionibus* id agam, ut *prima*, *Vitam*: *ſecunda*, *Dotes animi*: *tertia*, *Doctrinam & Scripta Noſtri* ſuccincta brevitate complectatur.

Sectio I.

Vita Noſtri.

Notius eſt, totóque orbe *Europæo* vulgatius nomen *Matthæi* LANGII, Viri præſtantiſſimis animi ingeniique dotibus: maximis negotiis & dignitatibus geſtis: doctrina denique& benevolentia in litteras litteratosque ſingulari inclytiſſimi, quam ut Lectorum meorum cuivis facile haud pateat, infinitum me fore debere, ſi omnia ſinguláque *Noſtri* merita, ab innumeris memorata Scriptoribus, dicendo exponere vellem. Ob eam rationem ita de LANGIO tractare mecum decrevi, ut præſtantiora duntaxat eius facta ex annorum ſerie, idque ſemper habita amatæ brevitatis debita ratione, expromam.

Prodivit *Noſter* in hanc lucem anno (ut audivimus) circiter MCCCCLXIX. patre *Ioanne* LANGO, matre *Margarita* SULZERIA (prout itidem ſupra dictum eſt) procreatus. „Fratres *Noſtro* fue„runt *Ioannes* & *Leonardus*, quorum iſte anno „1515. *Poſonii*, *Pannonum* urbe, a regibus *Hun„gariæ*, *Poloniæ*, *Bohemiæ*que creatus eſt Eques. „*Leonardus* ſub Cæſare ſtipendia meruit belli, an„no 1509. in obſidione *Patavii* pilâ trajectus. So„ror *Apollonia* primum Julio *Lodronio* Comiti, „deinde anno 1500. Chriſtophoro *Frangipanio* Co„miti,

„miti, qui multa ſtrenua facinora contra *Vene-*
„*tos* in *Forojulio* fecit, matrimonio juncta fuit.
„Altera ſoror viro cuidam ditiſſimo in oppido *Stein*
„prope *Cremſium Auſtriæ* urbem nupſit, ubi Car-
„dinalem fratrem anno 1515. ad *Conventum Pan-*
„*nonicum* deſcendentem hoſpitio accepit (*i*)". His addi merentur *Lucas* Eques: *Regina*, quæ *Udalrico ab Haſelbach*: & *Othilia*, quæ Ioanni *Schad* Equiti in connubium datæ (*k*). Sic nominis celebritas, quam cito *Matthæus* noſter adeptus eſt, maxima effecit, ut fratres eius ſororesque ad honorum faſtigia, ampliſſimâque matrimonia feliciter proveherentur. Quare non tam ipſe avitæ proſapiæ ſuæ, quam ipſi proſapia multum decoris debuiſſe cenſenda eſt, quæ demum (ut fluxa ſunt mortalium omnia) in *Marco* LANGIO anno 1579. defecit. Sed ad *Noſtrum* redeat oratio.

Is, poſtquam ætate creviſſet, annô MCCCCLXXXV. ſtudiorum cauſſa in Academiam *Ingolſtadienſem* ſe contulit, in cuius albo ad annum memoratum primô locô nominatur (*l*). Anno ſequenti longius movens, Univerſitatem *Viennenſem* (*) adivit,

(*i*) HANSIZIUS in *Metropoli Salisburg. p.* 564. CRUSIUS in *Annal. Suevicis Dod. III. p.* 510. Nota, *Reginbaldum* MOEHNERUM, Cænobitam *San-Udalricanum Auguſtæ*, in Libro *MSSto. quo Auguſtanas* familias recenſet, Comitis *Frangipanis* uxorem *Catharinam* LANGIAM (multo verius, meô quidem judiciô) ponere.

(*k*) MOEHNERUS *l. c.* STETTEN *Hiſtorie der Augſpurgiſchen Geſchlechter.*

(*l*) V. *Annales Academiæ Ingolſtad. T. I. p.* 26.

(*) Injecta Univerſitatis *Viennenſis* mentio anſam mihi optatam præbet, alium civem *Auguſtanum*, qui haud diu poſt *Matthæum* in memorato optimarum artium emporio, una cum aliis, non exigua nominis celebritate floruit, debita laude mactandi. Eſt is Stephanus ROSINUS

vit, ubi eum una cum aliis pluribus, magnum poſtea nomen adeptis Viris, *litteris ac moribus exor-*

NUS (vernacule *Röſel*, *Röſlein*, *Röſlen.*) *Artium et Philoſophiæ Magiſter*, *ſacræ Paginæ Baccalaureus*, *Decretorum Licentiatus*, *cathedralis Eccleſiæ Viennenſis Canonicus*; uti teſtatur *M. Georg. Peurbachii Tabulis Eclipſium* annò 1514. *Viennæ* excuſis præfixus *Catalogus Virorum mathematicorum*, *quos Viennenſe Gymnaſium celebres habuit* Hunc *Iacobus* SPIEGELIUS *ICtus*, in *Epiſtola præliminari* ad *Quint. Hæmiliani Cimpriaci Epicoedion tetracolon in Fridericum III.* vocat *Virum in Pontificum Jure*, *in ſidereis Decretis*, *ac omni in Philoſophia*, *etiam ſi Zoilo rumpantur ut ilia Codro*, *excellentem*, *ac prudentia ſingulari* præditum. Valuit *Noſter* inſuper tanta apud *Maximilianum I.* gratia atque exiſtimatione, ut is Imperator, *ſuarum in Urbe cauſſarum Sollicitatorem*, illum conſtituere dignatus ſit: ad quem *Michaelis* HUMMELBERGII plures extant Epiſtolæ, in *Hiſtor. Vitæ & Meritorum Conr.* PEUTINGERI â me anno 1783. edita, *p.* 1782. *ſeqq.* Ad Canonicatum *Viennenſem* anno 113 â *Maximiliano I.* præſentatum fuiſſe, monet *Michael* DENIS in Libro: *Wiens - Buchdrucker - Geſchichte*: qui eundem etiam *Tridentinæ*, *Paſſavienſis* & *Auguſtanæ* Eccleſiarum Canonicum facit. Canonicatu *Viennenſi* anno 1528. deceſſit: vivendi autem finem grandævus, haud dubie, apud *Wolfgangum de Salms* epiſcopum *Paſſavienſem* fecit; cum de eo *Sebaſt.* SOLIDUS in *Necrophilis* ſuis canat:

Sed tulit hoc tellus Muſarum Bojara *lumen*
Hic ubi Danubii *jungitur* Oenus *aquis.*

Amicitiam fovit *Noſter* cum *Ioanne* CUSPINIANO, *Conrado* CELTE et aliis doctiſſimis Viris: fuitque *Membrum Societatis litterariæ Danubianæ.* De laboribus litterariis *Stephani* ſequentia ſupracitatus *Catalogus virorum mathematicorum* teſtatur: *Aſtronomiam aliquamdiu fideliſſime docuit*; *ſupputavit Io. Tabulam Stellarum fixarum*, *& IIo. Varia Prognoſtica*, *maiora procul dubio compilaturus.* Dictorum *Prognoſticorum* unum recenſet *Michael* DENIS *l. c.* hoc titulo: *Practica teutſch magiſtri Steffani Roſſlen von Augſpurg zu wirden und eren der loblichen hohenſchul zu Wien. Auf das M. CCCCC. und IIII. Iar.*

in

exornatum fuiſſe, ad annum MCCCCLXXXVI. memoriæ prodidit *Georgius* EDERUS (*m*). Alia ſcientiarum emporia viſitata à *Noſtro* fuiſſe, etſi ſuſpicari licet, affirmare tamen non auſim, utpote neceſſariis in id documentis deſtitutus. Utcunque ſit, illud certum manet, eum *litteris* & omnifariæ eruditionis ſubſidiis *excultiſſimum* fuiſſe. Fecit autem iſta doctrinæ copia, eximiis ac præclariſſimis ingenii atque animi dotibus ſociata (De his omnibus infra fuſius dicetur) ut *Noſter* cito mortalium in ſe oculos admirationemque converteret: præcipue poſtquam eum *Fridericus III.* Imperator in publicum producere cœpit, ſuum *abs ſecretis Epiſtolis* Amanuenſem conſtituens. Hoc modo cum magnitudinis *Langianæ* fundamentum auguſtiſſimus Pater jeciſſet, eandem ad faſtigium auguſtus Filius *Maximilianus I.* collatis in eum ampliſſimis gratiis, clementiſſime perduxit: dum illum primo quidem ſcribendarum *Epiſtolarum latinarum* muneri confirmavit, poſt etiam *Conſiliarium intimum* (*), demum *Cancellarium aulicum* creare dignatus eſt; ex quo tempore graviſſimis negotiis egregie geſtis in dies magis magisque inclaruit: uti ex dicundis liquido patebit.

Ita-

in 4to. Præterea una cum *Ioanne Pierio* GRACHO Poeta, *Martino* CAPINIO *ICto.* *Andrea* STIBORIO Mathematico, *Thoma* VELOCIANO Auſtriaco, communem amicum *Conradum* CELTEM Epitaphio honoravit, quod videſis in *Libro Odarum Conr.* CELTIS, in 4to. *Argentorati.* 1513. excuſo. Confer, ſi lubet, KHAUZ *Geſchichte oeſterreich. Gelehrten.*

(*m*) In *Catalogo Rector. et illuſtr. Viror. Archigymnaſii Viennenſis. p.* 41.

(*) *I. D.* KOEHLERUS in Libro: *Münz - Beluſtigung. T. IV. p.* 28.

Itaque anno MD. *Maximilianum I.* Cæſarem ad Comitia Imperii, *Auguſtam Vindelicorum* indicta, pergentem ſequi meruit, ubi eodem anno (non 1501.) ut maxima Scriptorum pars refert, ſed male; cum *Tabulæ MSS*tæ. *Compoſitionis* paulo poſt citandæ apertè contradicant) jam tum Præpoſitus *Wördſeenſis* in *Carinthia* exſiſtens, quod ex eodem *Monumento authentico* didici, promovente potiſſimum dicto Imperatore dignitatem *Præpoſiti* Eccleſiæ cathedralis *Auguſtanæ* non pecuniâ paravit (uti malevole nonnulli ſcripſerunt) ſed locum cedente Cardinale *Sabello* obtinuit, acerrime contradicentibus *Canonicis*, & fruſtra tum *Romæ* tum apud *Cæſarem* quiritantibus: inque eo honoris faſtigio ſabbato ante Dominicam Palmarum á *Raymundo* PERAULDO Epiſcopo *Gurcenſi* & *S. Mariæ novæ* Cardinale, Legato pontificio inveſtitus eſt (*n*). Rei geſtæ ſeriem ſimplici quidem, ſed veritatis, ut videtur, perquam tenaci ſtylo narrat *Chronicon Auguſtanum MSS*tum. extans in Bibliotheca *FF.* VEITHIORUM, *Auguſtæ*: „Des *Langen* Sohn „*Matthæus* der was bey dem König (*Maximilian*) „gar faſt gewaltig worden, das er mit 18. Pferdten ritt, und was ſein innerſter Rath und Canzler: dem wardt über- und eingeben von enim „Legaten zu *Rom* die Thomprobſtey zu *Augſpurg*. „Aber die Chorherren wollten ihm das nicht vergünnen und ſagten: es geheret kaim der Stadt „zu, der der Stadt Kind wer, und giengen damit oft zu dem Kunig, und baten ſein küniglich „Gnad, das er ſy bei ihrem Brief und Sigell behielt; aber da was es um kaims ſchlecht: es „muſt der *Lang* Thomprobſt ſein. Alſo half ihm hinzu

(*n*) *Car.* STENGELIUS in *Comment. Rer. Auguſt. p.* 252.

„hinzu Herzog *Ierg* von *Bayren*, Herzog *Albrecht* „von *Sachſen*, der Herzog von *Branſchweigk*, und „der *Cardinal.* Die giengen am Sambſtag vor „dem Palmtag all auf den Thom hinauf zu dem „Ampt: und, da ſie alſo droben waren, da kam „des Künigs Caplan Herr *Sebaſtian* Præceptor zu *Memmingen*" — Caveſis, Lector! ne, qui hôc locô *Præceptor* vocatur, eum didaſcalum aut ludimagiſtrum fuiſſe, cum rerum minus bene gnaris reputes. Abſit! Eſt enim hoc nomen in *Ordine hoſpitalario S. Antonii*, nomen dignitatis, de quo vide DU FRESNE *Gloſſarium Latinitatis*, & HOLSTENII *Codicem Regul. Editionis Auguſtanæ T. V.* Confer SCHELHORNII Librum: *Ergözlichkeiten &c. Vol. II. p.* 266. ubi vocatur *Sebaſtianus de Bonis, Comes de S. Martino, Protonotarius apoſtolicus, S. C. M. Protocapellanus & Eleemoſynarius, Præceptor* (*Hofmeiſter*, vel ut KHAMMIUS *P. II. colleg. p.* 137. habet, *Grosmeiſter*) *Domûs*, poſtea tempore Reformationis Lutheri extinctæ, *S. Antonii Memmingenſis, Parochus ad S Martinum ibidem* — „und furt bei ihm an der Hand denſelben *Langen*; der hett an ſeinen Chorrokh, und ſtalt „ihn neben die Fürſten in Stuhl hinauf: und blieb „alſo da ſtan, bis man das Ampt gewandlet hat. „Da fürten ihn die Fürſten darnach in die Thomprobſtey, und gaben ihm die ein; es gefiel „den Chorherrn woll oder übel. Und darnach „am Afftermontag da citierten die Chorherrn den „obgeſchrieben *Langen* gen Rom für den Pabſt...." Duravit ea lis usque in annum 1503. quo *Matthæus*, controverſæ dignitati confirmatus, in feſto *Aſcenſionis* Dominicæ poteſtatem gerere cœpit. Quare is *Capitulum*, cuius ingratiis *Præpoſitus* creatus fuerat, ſibi devincturus, hoc ei Privilegium à

Papa obtinuit, ut in poſterum liberam haberet poteſtatem ſibi ipſi eligendi *Præpoſitum*, quem antea â Curia *Romana* efflagitari oportebat. Eidem quoque *Præpoſituræ* nova Inſignia â Cæſare impetravit *Matthæus.* Præterea in eundem finem et memorati *Capituli* gratiam effeciſſe *Noſtrum*, ut *Statutum* de civium Liberis in Eccleſiæ cathedralis gremium non admittendis â Cæſare confirmaretur, aiunt alii, alii negant (*o*). Libet afferre id, quod *Tabulæ MSSta. Compoſitionis* litis huius (*Vertrag zwiſchen des Capitels zu Augſpurg, und des neuen Thomprobſt Matthæi Lang daſelbſt de anno* 1500. *&c.*) habent: „Item. Es ſoll auch in un„ſer und gemeiner Verſammlung der heiligen „Reichsſtände Fürſchriften begriffen ſein, zue *Rhom* „mit Fleis zue anbieten, und airbeitten, damit „auch erlangt werde ain Confirmation iber das „*Statutum*: das keiner zu ainer dignitet, perſo„nat, noch officia eccleſiaſtica des Stifts zuegelaſ„ſen werden ſolle; er ſey dan an Thomb, oder „Capitelherr". De his ſatis!

Simile honoris genus, *Præpoſituram* nimirum *Matthæus* noſter in ſumma quoque Æde *Conſtantienſi* capeſſivit: itemque *Victorienſe* Ordinis *Ciſtercienſis* monaſterium in *Carinthia* titulo *commendatorio* tenuit; in quam rem *FF.* MEZGERI (*p*) poſtquam *Ioannem VI.* Abbatem dicti cænobii anno MDI. menſe Auguſto ſupremis fatis functum fuiſſe monuerunt, eidem *Matthæum* LANGIUM ſurrogant verbis ſequentibus: *Hic tenuit monaſterium, plurimis*

(*o*) STENGELIUS *l. c.* GASSARI *Annales Augſpurg.* inter *Scriptores* MENKENII, *T. I. p.* 1740. *Paulus â* STETTEN *junior* in *Hiſtorie der adelichen Geſchlechter der Stadt Augſpurg.* 4to. *v.* 122.

(*p*) In *Hiſtoria Salisburgenſi*, *pag.* 1269.

rimis debitis labefactatum, in ſua Commenda cum omnibus juribus & pertinentiis annis 24. *Interea præfecit Fratribus Priorem Ioannem Ramer, qui hoc officio annis* 17. *functus eſt.* Plura alia Beneficia eccleſiaſtica poſſediſſe *Noſtrum*, affirmat ſuperius à me laudatum *Chronicon Auguſtanum MSStum.* dicens: Diſer *Lang*.. hat in *Oeſterreich*, *Kerenden* und *Steurmark* Abbtey und Probſtey in der „Commend gehabt und Pfrienden und Pfarren ein„incorporirt.. und hat überkommen, das er ein „Iahr zu verzeren hat gehabt fl 18000. und hat „doch perſönlich nirgent ſelbſt reſidirt".

Anno MDIV. rurſus cum Maximiliano fuit, quando is *Bohemos*, *Ruperto* Comiti *Palatino* & *Philippo* Electori *Palatino* belli ſuppetias ferentes, prope *Ratisbonam* congreſſus cecidit: quo tempore ſuſpicari licet, *Noſtrum* inter *S. R. I. Equites* adlectum fuiſſe: niſi forte malis, id jam antea factum; de quo videndus BARTHOLINUS *Libr. X. Auſtriados*, et *Conr.* PEUTINGERUS in *Serm. convival.* dicens: *De Inſigniis militaribus Ordineque equeſtri, tibi partis, omnes gratulantur; dum enim pridie Idus Septembr. invictus Cæſar... Bohemorum IV. millia.. fudit, profligavit, occidit, & plerisque captivis vitam elargitus.. ovans.. Ratisbonam eſt reverſus; tu etiam unà, ſtipatus tuis, juſtum ſacri Imperii bellum fovens, armatus inſidens equo, quid Marte fremente valida bello manus poſſit, conflictu expertus es.*

Anno MDV. die 8. Martii *Friderico à* ZOLLERN Epiſcopo *Auguſtano*, ſatis ſupremis perfuncto, *Maximilianus* Cæſar multum in eo fuit, ut hunc epiſcopatum *Matthæo* impetraret; ſed vicit *Henricus à* LICHTENAU; uti tradit *Gregor.* ABERTZHAUSER, à me in *Alphabeto III.* præſentis *Bibliothe-*

cæ laudatus, in quodam ſuorum *Manuſcriptorum.* Poſtea *Matthæus*, etiamnum *Adminiſtrator Gurcenſis*, Conventui *Colonienſi* menſe Julio ad componendam litem mox memoratam, quæ *Rupertum* Palatinum inter, & *Albertum* inferioris *Bavariæ* Ducem, ob hæreditatem *Georgii* Ducis exarſerat, habito interfuit: eodemque anno, cum *Raymundus* PERAULDUS Epiſcopus *Gurcenſis*, & S. R. E. Cardinalis quinta die Semptembris vitam finiiſſet, ipſe in *Gurcenſem* epiſcopatum ordine XXX-III[us.] venit (*q*).

Subſequenti anno MDVI. quando ſacra *S. Leopoldi* Marchionis *Auſtriæ* oſſa in cænobio *Neoburgenſi* translata ſunt, ei piæ ſolennitati adfuit *Noſter*, uti teſtatum reliquit CUSPINIANUS (*r*). Subin *Maximiliano* iter *Italicum* meditante, rebus expediundis in *Italiam*, *Vicarii imperialis* ſive *Locumtenentis* titulo ornatus perrexit (*s*). Hac autem proconſulari poteſtate bis munitus fuit: *prima* vice hoc anno; altera, quando ad *Iulium II.* Pontificem miſſus eſt: id quod teſtatur *Iacobus* SPIEGELIUS, inter *Juſti* REUBERI *Scriptores*, *p.* 1114. *nota* 3. addens: *primum* in id Diploma à ſe, *alterum* a BANNISIO inclyti nominis Viro, ſcriptum fuiſſe.

Hiemem auſtrinam valdeque tepidam anni 1506. in annum MDVII. præcox morbidaque eiusdem anni conſtitutio ſecuta eſt. Qua tempeſtate LANGIUS noſter *Wellenburg* caſtrum haud procul *Auguſta* remotum, tum ſitu & ruinis ſqualLens, ab *Antonio*

(q) V. *Ibidem*, *pag.* 1245. & HANSIZIUM *l. c. p.* 570. GASSARUM in *Annal. Augſtburg. p.* 1706. OEFELII *Script. Rer. Boicar. T. II. p.* 488. & *T. I. p.* 138.

(r) Apud HANSIZIUM, *l. c.*

(s) Idem *l. c.*

nio LAUGINGERO cive *Auguſtano* quinque milli-bus ac ducentis *Rhenenſibus aureis* comparavit, obtenta inſuper apud Cæſarem facultate: ut non modo illud multis jam ſæculis dirutum reædificaret, verum etiam Nobilitatis titulum ab eodem in agnatos ſuos perpetua præeminentia continuaret; unde ex illo tempore LANGII, *de Wellenburg*, cognominati (*t*). Vix autem *Matthæus* magnificis ſtructuris arcem abſolverat, illico ad poteſtatem ſuam manifeſtandam *Auguſtanis* aucupium in ſuis nemoribus prohibuit. Habita eodem anno Comitia *Conſtantiæ* ad dominicam *Miſericordias*, ſecundam poſt Paſcha, quibus *Matthæus* noſter præter morem haud adfuiſſe invenitur, fors alibi regiis negotiis conficiendis diſtentus. Fuit autem deinde cum *Maximiliano Oeniponti*; ubi de rebus divinis cum Legato apoſtolico, Cardinale *Bernardino* CARVAGIALE, ſuper epulis multa diſſeruit, præſente Rege, multumque voluptatis ex docta Virorum horum ſapientiſſimorum diſputatione, de qua inferius mentio recurret, capiente (*v*).

Inibat annus à parta ſalute MDVIII. cuius primordia Cæſaris in *Italiam* profectio nobilitavit. Huic ex ſolito comes cum iret *Matthæus*, factum *Tridenti*, quod *Gerardus de* ROO (*x*) refert, dicens: *Cæſar Tridentum profectus ad tertium Nonas Februarias publicis ſupplicationibus peractis iter in Italiam edicit, & per Matthæum* LANGIUM *Epiſtolarum Magiſtrum e ſuggeſtu ſe non jam* Regem, *ut hactenus, ſed* Romanorum Imperatorem *deinceps appellandum promulgari jubet.* Miſerat nimirum *Iu-*

C 3 *lius*

(*t*) GASSARUS *l. c. p.* 1745. KHAMMIUS in *Hierarch. Auguſt P. I. p.* 255. & alii.

(*v*) HANSIZIUS *l. c.*

(*x*) In *Annalib. Auſtriac. p.* 437.

lius II. Pontifex litteras auro ſcriptas ad ſupra memoratum *Bernardinum* CARVAGIALEM Cardinalem *S. Crucis*, quibus appellationem, *Romanorum Imperatoris*, *Maximiliano* impertiebatur eô conſiliô, ut expeditionem *Italicam* impediret, quam *Veneti* objectis etiam armis arcere conati fuerant. Hæc belli origo, quô cohortes quædam cæſareæ, ad patefaciendam viam præmiſſæ, in finibus *Tirolenſibus* in fugam actæ. Ea clade et inſolentia exacerbatus Cæſar ultionem parat, LANGIUM in *Gallias* mittens, ut fædus cum *Ludovico XII.* pangeret, cui poſtea et *Iulius II.* Papa acceſſit; namque ambos, non minus ac Cæſarem, *Venetorum* injuriæ irritârant. *Noſter* triginta equitum comitatu ſtipatus appulit *Valencenis*, ubi eum Legati Regis operiebantur: â quibus *Pariſios* deductus cum Rege de fædere contra *Venetos* contulit. Hoc acceptato, convênit, ut de conditionibus fæderis *Cameraci* diſertiùs tractaretur. LANGIUS â Rege convivalibus inſtrumentis pretio mille quingenorum Coronatorum donatus. Ejus aulæ Magiſter *de Schenckenſtein*, aliique baltheum militarem muneri acceperunt. Ita dimiſſi *Cameracum* ſunt, quò etiam advenit *Margarita* filia Cæſaris, *Belgii* Gubernatrix. Primum fædus inter Cæſarem et Regem ſolos concluſum eſt menſe Junio: demum et Papa *Iulius* (ut ſupra monui) ad idem aggregatus. Fædus univerſum die 10 Decembris abſolutum & ſuprema in æde publicatum.

Itaque anno ſequenti MDIX. itum in *Venetos*; ubi LANGIO multum negotiorum fuit in expediendis Principum Germaniæ ſubſidiis, inque re belli adminiſtranda; nam idem univerſa hæc curabat. *Veneti*, etſi tantæ potentiæ eſſent impares, ad *Ghiarradam* tamen cum *Gallis* congreſſi magna

ſtrage

ſtrage cæſi ſunt, brevique in eas redacti anguſtias, ut miſſis ad *Maximilianum* Legatis, quæcunque in continenti poſſederant, cedere offerrent, addito etiam annuo auri tributo, cum iis denique conditionibus, quas Cæſar ipſe deſideraret: quo fine *chartam* candidam miſêre â Senatu ſubſcriptam, â Cæſare vero pro arbitrio inſcribendam. Reſpuit hæc omnia *Maximilianus*, fidem fæderatis *Cameraci* datam violare non auſus: quæ inter LANGIUS, quippe *Maximiliani* per Italiam *Vicarius*, oppida *Venetorum* (præter *Tarviſium*) univerſa in fidem accepit. Sed cum Pontifex receptis, quæ volebat, ê *Venetis*, eosdem extingui ê re *Italiæ* haud eſſe putans, iratus etiam *Gallis* ob defenſos *Ferrarienſes*, primus â pactione defeciſſet: *Veneti* autem *Patavium* recuperâſſent primum, mox etiam ſtrenue contra Cæſarianos defendiſſent, novi *Matthæo* noſtro labores pro Cæſaris in *Italia* rationibus fulciendis oblati ſunt (*y*).

Sic novum quemque annum novis præclare factis, novisque pro Reipublicæ tum ſacræ tum profanæ ſalute atque utilitate egregie geſtis inſignire non omiſit LANGIUS noſter. Pontificis defectione nil turbati *Maximilianus* Imperator, & *Ludovicus* Galliæ rex bellum urgere non deſtiterunt. Ea de cauſſa Cæſar *Comitia* Imperii in anni MDX. diem 12. Januarii *Auguſtam* indixit, eóque ipſe pervenit die 21. Februarii, ſecum inter alios & *Matthæum* noſtrum ducens (*z*). Finito Conventu

(*y*) MEZGERI in *Hiſt. Salisburg. p.* 524. 525. HANSIZIUS *l. c. p.* 570 571.

(*z*) V. Libellum vernaculum *Auguſtæ*. 1510. ab *Erhardo Oeglin* excuſum in 4to. hoc initio: *Anno fünfzehundert und zehen Iar hat die kaiſerlich Maieſtat genn Aug-*

LANGIUS denuo in *Gallias* ſollicitandis auxiliis ad extorquendum Venetis *Tarviſium* & *Patavium* profectus, renovavit cum Rege fædus in urbe *Bleſenſi* (*) ea tamen ſponſione illaudata, qua conventum erat (ùt Rex petebat) de Concilio generali cogendo, in quo de controverſiis Pontificem inter & Regem vertentibus judicaretur: Ad id etiam Germaniæ Præſules ut inducerentur, poſtulatum. Sic novum Schiſma adornabatur. Quamobrem Pontifex majorem in modum anxius, ne quid Eccleſia detrimenti caperet, pro ſpe, quam in LANGIO ponebat, haud mediocri *plurimum apud Maximilianum ſollicitabat, ut Gurcenſem* (Hoc *Noſter* utplurimum nomine vocabatur) *ad ſe legaret, quod eius interventu multa pro gloria, incremento, amplitudineque Germanicæ Nationis ac ſuæ Majeſtatis decernere ac conſtituere deliberaſſet.* Huc pertinet Epiſtola *Iulii II.* ad *Noſtrum* ſcripta his verbis: *Dilecte Fili, ſalutem & apoſtolicam benedictionem! Intelleximus, te eſſe in itinere ad Nos veniendi cum plena commiſſione chariſſimi in Chriſto filii noſtri Maximiliani.... tractandi res Venetas: et ideo ſignificandum tibi duximus, quid cum ipſis Venetis operati fuerimus.... Quapropter te, dilectiſſime fili! quanto poſſumus, ſtudio & affectu hortamur, ut ad Nos venire non differas, ſed acceleres; nam, ut alias ad te ſcripſimus, rebus Cæſaris bene confectis cum magno incremento honoris tui redibis. Quam autem expediat rebus Cæſaris & tuis, ad Nos quamprimum ſine cunctatione venire, ex litteris dilecti filii Viti Fürſt*

Augſpurg ain kaiſerlichen Reichtag beſchrieben &c. &c. ubi *Noſter* inter Cæſaris comites primô locô nominatur.

(*) Vide *Lettres du Roy Louis XII. Bruxellis.* 1712. *I. D.* KOEHLERUS *l. c.* ponit urbem *Turonenſem* pro *Bleſenſem.* Idem facit FREHERUS in *Theatr. Erudit. p.* 29.

Fürſt (Fuit is Gubernator & Vicarius Imperialis Ducatûs Mutinenſis) *Affinis tui ... intelliges ....* (Vide Librum: Lettres du Roy Louis XII. &c. *Vol. II. p.* 112.)

Cæſar, *ne paci ac tranquillitati Italiæ in aliquo defuiſſe videretur, morem gerere Pontifici ſtatuit:* LANGIUS autem, poſtquam ê Gallia redux Cæſarem *Friburgi Briſgoiæ* conveniſſet, paratis *Auguſtæ* rebus cum *Martino* Comite *Oetingio*, Ioanne *Schenck* de Schenckenſtein, Ioanne LANGO fratre, aliisque Nobilibus, centum equitum turba ſtipatus, anno MDXI. menſe Martio iter in Italiam aggreditur. Indictus *Mantuam* conventus fuerat agente *Ferdinando* Rege Catholico, ut, pace *Italiæ* reſtituta, contra Barbaros arma verterentur: quod conſilium identidem Cæſar ipſe coquebat. *Mantuæ* cum eſſet LANGIUS, nihil confici poterat; quod Pontifex Oratorem non legârat: invitabat autem idem, uti LANGIUS ad ſe veniret, pollicebatúrque, *curaturum ſe omnia, quò is cum honore proprio & incremento, gloriâque Cæſaris in Germaniam redeat.* Abnuit primo *Matthæus*, niſi *Venetis* perſuaderetur, ut *Paduam* Cæſari reſtituerent: deinde tamen hortatu Oratoris *Hiſpani Bononiam* profectus eſt; ad quam ipſam urbem Pontifex, ut honorificentius eum exciperet, velut ipſemet obviam ei proceſſurus ex civitate *Ravenna* contendit. Volebat nimirum Papa tanto honore recipi *Gurcenſem*, ut ne majore quidem Regum ullus recipi poſſet. Hinc factum, ut LANGIUS ingenti pompa et ſplendidiſſimo apparatu die 11. Aprilis & ingrederetur *Bononiam*, et, qua Cæſaris per *Italiam* Vicarius, ad Pontificem, qui eundem cum omnibus ſuis Cardinalibus præſtolabatur, honorificentiſſi-

tiſſime deduceretur (*a*). Expoſitis à *Gurcenſi* mandatis, Pontifex quum *Venetos* ad poſtulata (*b*) traducere nequiret, incubuit in diverſum. Ampliſſimis LANGIUM pollicitationibus aggreditur: modo cederet pauliſper, ut pax fieret, & conditiones paulo æquiores Venetis proponerentur. At *Gurcenſis* nullis promiſſis, nullis muneribus, re nulla alia adduci ſe paſſus eſt, ut mandatum transgrederetur. Quod cum obtineri a ſe haud poſſe videret, veniâ abeundi à Pontifice efflagitata, quarta decima die, poſtquam *Bononiam* venerat, diſceſſit *Mutinam* primò, poſt *Mantuam* (*c*). Inde *Parmam* venit, cum Epiſcopo *Pariſienſi*, Regis Galliarum Legato collaturus negotium. His geſtis LANGIUS nomine Cæſaris tres Procuratores *Mediolanum* miſit, qui Cardinalibus ibidem morantibus & *Galliæ* Regis Procuratoribus juncti Concilium *Piſis* celebrandum die 16. Maii indixerunt: eius autem initio faciendo Calendas Septembres conſtituerunt. Quo audito Pontifex, de ſua auctoritate agi haud neſcius, Concilium generale annô proximô *Romæ* in *Laterano* celebrandum promulgavit, *Piſanis* illegitimum Conventum ſuum nihilominus proſequi ſtudentibus: qui poſtea *Mediolanum*, ſubin *Lugdunum* tranſiit, denique intervenien-

(*a*) Apparatum hunc magnificentiſſimum fuſius deſcripſit *Paris de* GRASSIS in Libro: *De Carimoniis.*

(*b*) Erant hæc ſequentia: *Cæſar Vicentiam cum Verona retineret. Veneti Tarviſium et Paduam acceptam ferrent Imperio, tributuri certam quotannis penſionem. Reliqua eorum ditio in continente cum Forojulio rediret ad Patriarcham Aquilejæ, clientem Imperii.*

(*c*) Hæc ad verbum HANSIZIUS *l. c. p.* 572. Alii Scriptores alias cauſſas afferunt, ob quas tractatus diſſilit: et quas idem HANSIZIUS refert; ego autem brevitati ſtudens omitto.

veniente *Iulii II.* morte extinctus eſt. At LANGIUS providus malorum, quæ ex Conciliabulo *Piſano* in Rempublicam ſacram et profanam redundatura erant; mature receptui cecinit. Etenim ad illud *Piſis* inchoatum, deinde *Mediolani* continuatum nec acceſſit ipſe, neque ut alii Cæſaris auctoritate accederent, curavit, fors & impedivit. Quum enim tres eſſent Oratores â Cæſare ſubmiſſi, ii non ultra *Tridentum* progreſſi ſunt, Cæſare in dies moras nectente. Haud dubium eſt, id factum fuiſſe auctore *Gurcenſi*, cuius in utramque partem apud Cæſarem & Principes ſumma erat autoritas; cujuſque arbitrio res *Italiæ* vertebantur. Id probe cognitum habens *Iulius*, qui omnem curam ad Conventiculum *Piſanum* opprimendum converterat, intelligebat, nihil rationibus ſuis conducentius fore, quam ſi *Gurcenſem* ab eo retractum ſuis partibus adjungeret. Sic annus 1511. novum idque ſublime admodum honoris genus LANGIO noſtro attulit, *Cardinalitiam* puta *Purpuram*, quâ eum dignum eſſe, primò *ſecreto* ſecum judicavit IULIUS Papa, deinde die 18 Decembris dicti anni, capto fidelitatis ejus in Eccleſiam experimento, et promulgavit (*d*). Quamvis autem *Cardinalis* (*S. Angeli in foro piſcium*) renunciatus eſſet, veſtes inſigniaque huic Ordini convenientia deferre noluit (*), ſive modeſtiæ ergo; ſive ne (ut erat animi excelſi) in negotiis geſtis præmium magis quam officium ſpectâſſe videretur, obnoxiumque ſe faceret Pontifici contra rationes Cæſaris; ſive (quod veriſimillimum) ne Gal-

(*d*) CIACONIUS in *Vitis Pontif. T. III. p.* 299. & alii; quibuscum non concordant RAYNALDUS & SPONDANUS, ſed perperam.

(*) V. *Paridem de* GRASSIS l. c.

Gallis ante tempus illuceret indicium privatarum inter Papam & Cæſarem rationum; quippe quod intereſſet Cæſaris, ob cauſam *Venetorum* in ſocietate *Gallos* retinere. Hoc eodem anno (1511) factum affirmat HANSIZIUS (*e*), quod ſuperius *pag.* 34. de facultate Capitulo cathedrali *Auguſtano*, ſibi *Præpoſitum* eligendi, à Papa per *Noſtrum* obtenta monui. Per ea tempora, *Iulio* Pontifice repente in gravem morbum lapſo, adeo ut jam etiam ſecutæ mortis fama increbreſceret, *Maximilianus* in eam cogitationem incidit, ut Papatum ipſe ambiret: quo in negotio quænam partes *Noſtri* fuerint, diſces ex *Burc. Gotth.* STRUVII *Corpore Hiſtoriæ Germanicæ, T. II. p.* 972. 973. Ego ad reliqua pergo.

In Germania *Maximilianus*, ut Regi *Galliæ* ſatisfaceret, plures ſacrorum antiſtitum cogebat cætus, eorundem ſenſa exploraturus. Sic anno MDXII. *Auguſtæ*, *Coloniæ*, *Treviris*, convenere patres, quorum omnium fides erga Sedem Apoſtolicam integra enituit, Conventum *Piſanum* ſeditioſum ac deteſtandum cenſentium, haud dubie è ſententia *Maximiliani* & LANGII, qui hanc ipſam captabant occaſionem excuſandi apud *Galliæ* Regem inſtituti ſui, quod nullum adhuc Oratorum ad *Piſanos* miſiſſent. Certe Conventus *Trevirenſis*, 11. Aprilis coactus, eum finem fortitus eſt, ut LANGIUS *Romam* ire juberetur cum mandato, rejecta *Piſæ* ſynodo *Lateranenſe* Concilium nomine *Germaniæ* amplectendi. Eius adventûs ſpe proximam *Seſſionem* prorogârat *Iulius* reddita per litteras cauſſa, quas apud RAYNALDUM(*f*) legere eſt. *Noſter*, jubente Pontifice, per totam papalem ditionem magnificen-

(*e*) In *Metropoli Salisburgenſi*, *p.* 574.
(*f*) In *Annal. eccleſiaſt.*

ſicentiſſime exceptus, maximáque omnium exſpectatione *Romam* ſolenniſſime ingreſſus eſt, utpote, cui ex Pontificis & ſacri Collegii conſulto omnes honores, vel regi vel regis primogenito præſtari ſoliti, decreti fuerant. Pompam hanc omnem fuſe deſcripſit *Pierius* VALERIANUS in *Epiſtola* ad *Petrum* CRISPUM, quam ſi lubet, conſules (*g*). Tanta autem erat Viri fama atque exiſtimatio, ut eum plures (Hos inter et *Maximilianus* Cæſar extitit) etiam papali ſolio ſecum deſtinârint. Hinc mox laudatus VALERIANUS canit:

Auguſti Imperii Cuſtos fidiſſime ſalve!
Salve chara Deûm proles, rectura per æquor
Carbaſa Clavigeri *tandem!*...

Præcipue crebris res iſta ſermonibus, *Hadriano* Pontifice morte extincto, jactabatur, uti tradit SECKENDORFIUS in *Hiſtoria Lutheraniſmi*, *L. I. p.* 289. — Sed rurſus ad propoſitum argumentum. Poſt hæc actum de rebus *Venetorum*, ceſſioneque *Vicentiæ* & *Veronæ*, quas occupatas Cæſar tenebat, *Veneti* contra cedere, pertinaciter recuſabant. Hos contra ob eam cauſſam Pontificem inter & Cæſarem ſingulare fœdus à *Matthæo* concluſum: quo publicato LANGIUS *Seſſioni III.* Concilii Cæſaris nomine interfuit, obtulitque eius Mandatum, quo ejurata Synodo *Piſana Lateranenſe* Concilium comprobavit (*). Paulo poſt LANGIUS, multis à Papa donatus muneribus, *Roma* relicta, *Veronam* venit; quum aſſumpto ſecum Prorege *Neapolitano*, *Raymundo* CARDONA *Mediolanum* profectus, die 29. Decembris *Maximilianum* SFORZIAM in urbem et avitum principatum, *Matthæo* Cardi-

nale

(*g*) Integram exhibet CIACONIUS *l. c. p.* 300.
(*) V. LABBAEI & COSSARTII *Concil. Collect. T. XIX. p.* 731.

nale *Sedunenſi* Legato Apoſtolico in id operam conferente, induxit.

Ineunte anno MDXIII. LANGIUS noſter cum Legatis Regis *Hiſpaniarum Ioanne* SPINOLA & *Petro* URREA in Germaniam reverſus Cæſarem, qui tum apud Vindelicos agebat, cudens fœdus cum Legagato *Henrici VIII.* Regis *Angliæ* adverſus *Gallos* (ad quem ipſum regem *Noſtro* à Cæſare Legationem demandatam fuiſſe, apud *Val.* ROTMARUM in *Annal. Academ. Ingolſtad.* reperio) convenit. Agebatur de ipſo *Venetis* conciliando, ne per iſtos evocatis rurſus Gallis *Italia* turbaretur; quod cum obtinere Pontifex haud poſſet ex febri præ mœrore (ut fertur) animi contracta die 21. Februarii e vita deceſſit. Ei ſuffectus *Leo X.* die 25. eiusdem menſis. Per id tempus *Matthæus* noſter *Auguſtæ* ædiculam *D. Narciſſo* extruxit; in cuius ſuperliminari *Inſcriptionem* legere eſt, ſupra ſtatim initio huius narrationis à me allatam: *Ioanni Lang, & Margaritæ conjugi &c. &c.* tum etiam aliam in marmor inciſam his verbis:

D. O. M.
DIVOQUE MATTHÆO AC NARCISSO MARTYRI
PATRONIS,
ET
AD SUI FAMILIÆQUE LANGORUM MEMORIAM
R. D. MATTHÆUS S. ANGELI DIACONUS CARDINALIS,
GURCENSIS, ET COADJUTOR SALISBURGENSIS,
IMPER. IN ITALIA LOCUMTENENS GENERALIS
ÆDEM HANC
ÆRE SUO A FUNDAMENTIS EREXIT (*h*).

Videtur autem poſterior hæc *Inſcriptio*, quòd in ea de *Coadjutoris Saliſburgenſis* dignitate mentio fiat, paulo

(*h*) *Corb.* KHAMMIUS in *Hierarch. Auguſt. P. II. p.* 276.

paulo ſerius, ſcilicet anno 1514. aut poſt poſita fuiſſe. Ceterum LANGIUS *Auguſta* digreſſus bellum contra *Venetos* curabat, qui menſe Octobri huius anni 1513. prope *Vicentiam* funeſta clade ſuccubuêrunt. Inde animis utrinque ad pacem inclinatis arbiter lectus Pontifex *Leo*, ad quem ſeneſcente jam anno cum Comite *Hoyero de Manſfeld* & *Nicol. Zieglero* Procancellario miſſus eſt LANGIUS, tum *Cæſaris* & Archiducis *Caroli* nomine Papam reveriturus, tum pacis *Venetæ* negotium tractaturus. Illi ad urbem appropinquanti *Leo*, diſcedere *Româ* paulisper animi cauſſa volens, litteras miſit, *Petri* BEMBI ſtylo ſcriptas, in quibus ſe curaturum promiſit, ut *Matthæus* ipſum jam *Romam* reverſum offenderet (*i*). Tranſmiſit eidem etiam galerum cardinalitium ad *Pongibonzium* oppidum usque, quem tamen *Noſter* accipere recuſabat, dicens, eum jam â *Julio II.* miſſum accepiſſe. Quoniam vero ſolenni ritu capiti ejus non fuerat impoſitus, opponente ſe *Cærimoniarum Magiſtro*, decretum fuit, ut coram duodecim Cardinalibus nocte antecedente impoſitione galeri ſolenniter inaugurаretur. Datum deinde ei â *Leone*, ut Eccleſia *S. Angeli in foro piſcium*, quæ aliâs *Cardinalium Diaconorum* eſt, quoad ipſe ſuperſtes eſſet, inter *presbyterales* haberetur: â quo ipſo Pontifice poſtea ad Eccleſiam eum *S. Mariæ trans Tyberim* tranſlatum, & *Cardinalibus Presbyteris* aſſociatum fuiſſe reperio. Licet autem negotium, ob quod *Romam* adierat LANGIUS, non ſuccederet, utraque contendentium parte *Leonis* ſententiam acceptare renuente; tamen is per partem ſequentis anni 1514. in Urbe ſubſtitit; intra quod temporis intervallum eum multum ſe probaſſe novo

(*i*) Litteras integras exhibet CIACONIUS *l. c. p.* 300.

vo Pontifici, credibile ſit; & *Seſſioni IX. Concilii Lateranenſis*, 5. die Maii habitæ adfuiſſe liquet ex *Collect. Concil.* LABBÆI & COSSARTII, *T. XIX.*

Ad mox memoratum annum MDXIV. pertinet opera â *Matthæo* Collegio metropolitico *Saliſburgenſi* præſtita. Fluxerant 390. anni, ab anno 1122. quo *Conradus I.* inſtitutum Collegium metropoliticum ad familiæ religioſæ conditionem redegerat. Verum immutata temporum ratio, & mos aliarum inſignium cathedralium Eccleſiarum vix amplius antiqua inſtituta patiebantur. Accedebat paucitas Candidatorum Religionis, etſi multi forent, qui dignitatis eſſe mallent (*). Itaque *Matthæi* noſtri, qui *Romæ* (ut paulo ante dixi) remanſerat, inverventu ac ſtudio factum, ut Collegio illi ad Cleri ſæcularis ſtatum tranſeundi licentia â Pontifice daretur. Qua de cauſſa DD. Canonici in vicem gratitudinis id gratiæ LANGIO retulerunt, ut aſſentiente, licet ægre, *Leonardo* Archiepiſcopo in *Coadjutorem* ipſum eligerent, jamjam ad archiepiſcopale faſtigium aſpirantem. Acceſſit Pontificis aſſenſus, & impulſus Cæſaris, datumque etiam novo *Coadjutori* jus ſuccedendi poſt mortem *Leonardi*: conceſſa ei inſuper ſedes *Mühldorfii*, adjectis ſylvis et aquis propinquis pro venationis & piſcationis opportunitate. Hoc quoque anno *Noſter* die 16. Auguſti *Auguſtam*, ubi tum *Maximilianus* morabatur, adveniens â Clero & Senatu ſplendide exceptus fuit, uti monet KHAMMIUS in *Hierarch. Auguſt. P. I p.* 306. Circa idem tempus *Noſter*, una cum aliis pluribus Patritiis

ac

(*) V. *Hiſtoriam Salisburgenſ.* Collectionem *Scriptorum Rer. monaſtico - eccleſiaſt. T. V. P. II. p.* 75. *ſeqq. Franc.* DUCKHERI *Chronick von Salzburg, p.* 233.

ac Civibus *Auguſtanis*, ibidem ad Templum *Fratrum Ord. Prædicat.* ruinæ proximum, â fundamentis denuo excitandum ampliſſimas eleemoſynas contribuit, teſte mox laudato KHAMMIO, *l. c. p.* 307. ubi monumentum, ad perpetuam rei memoriam poſitum, habes.

Annum MDXV. nonnullorum maximorum *Europæ* Regum cum Cæſare congreſſus, juxta ac ſereniſſimæ quorundam Principum nuptiæ conciliatæ memorabilem reddiderunt. Rex erat *Hungariæ Bohemiæque Uladislaus*, cui filius *Ludovicus*, & *Anna* filia: Uladislai frater *Sigismundus* rex *Poloniæ*. Cum his non ſociali tantum, ſed etiam neceſſitudinis & propinquitatis vinculo conjungi ambiebat Cæſar, in eam rem LANGII opera utens: tum ut hoc modo per mutua conjugia regna firmarentur: tum ut unitis viribus Turcarum Imperator *Selimus*, qui reportata de *Iſmaele Sophi Perſarum* anno ſuperiore victoria fors inſolentior factus, *Pannoniam* invaſurus timebatur, repelleretur. Itaque *Cardinalis* noſter, menſe Februario *Auguſtâ* movens, *Viennam* 23. Februarii, inde *Neoſtadium* venit: ubi electa Nobilitate ex *Auſtria Styriâ*que provinciis, ad augendam congreſſûs pompam advocata, *Poſonium* contendit. Aderant in ea urbe *Uladislaus*; aderat *Sigismundus*; LANGIUS uti magnificentiſſimo comitatu advenit, ita apparatu magnificentiſſimo exceptus eſt ab Archiepiſcopo *Colocenſi*; denique et *Thomas* Cardinalis *Strigonienſis* appulit. Initio multi tractatus incaſſum habiti: at die 12. Aprilis articuli quidam concluſi; de quibus cum LANGIUS, *Viennam* reverſus, per nuncios ad Cæſarem retuliſſet, *Poſonium* redire et reliqua conficere juſſus eſt. Eo igitur *Cardinalis* noſter cum ſex conſiliariis deſcendens, ita impoſitum ſi-

bi munus tractavit, ut 20. Maii pacta ad liquidum perducta & in Procerum corona publicata fuerint (*k*). His confectis *Noſter* ad Cæſarem tetendit. Tum circa Kalendas Iunii *Salisburgum* divertit, ubi maximis honoribus acceptus fuit. Hæc inter Cæſarem, *Auguſtæ* usque ad menſem Iulium moras trahentem, Reges pertæſi per alios aliosque nuncios urgebant. Eos litteris conſolatus LANGIUS, octava Iulii *Viennam* revertitur, quem paulo poſt inſecutus Cæſar die 16. dicti menſis in patulo campo prope caſtrum *Trautmanſdorf* cum Regibus dexteras miſcuit. Tunc LANGIUS Cæſaris veſtigia, inter *Hiſpanum* & *Anglum* Legatos medius preſſit. Salutationibus peractis Cæſar Reges *Viennam* invitavit; Hæſit anceps *Hungarus*; at LANGIUS *Polonum* aggreſſus, eum protinus in ſententiam traxit. Ergo die 17. Iulii Reges cum Cæſare *Viennam* advecti ſunt. Actum in hoc regio congreſſu de pace inter eos reges firmanda per mutuum connubium *Ludovici* Hungari cum *Maria* filia *Philippi*, *Maximiliani* Cæſaris filii, ſorore *Caroli*: & *Ferdinandi*, itidem *Maximiliani* filii, cum ſorore *Ludovici*. Sic novo nexu *Hungaria* & *Bohemia* Domui *Auſtriacæ* devincta. Tractatum etiam de bello *Turcis* inferendo: de pace inter *Sigismundum* Polonum & *Moſchos* componenda, aliaque his conſectanea; in quibus omnibus conficiundis partem certe maximam habuit *Cardinalis* noſter, ob id a Regibus vaſis aureis miro artificio fabrefactis, pellibusque Zebellinorum maximi pretii, quæ ex *Ruthenis* & *Moſchis* advehuntur, donatus, & miris honoris teſtificationibus ornatus. Eodem anno

(*k*) Horum exemplar in Bibliotheca cæſarea extare monet HANSIZIUS *l. c. p.* 580. eorum initium & finem verbatim apponens.

no 1515. *Noſter* rurſus à *Leone* litteris compellari meruit: in quibus iſte Pontifex ſuum ad Cæſarem Legatum *Auguſtinum Viterbienſem*, poſtea Cardinalem, demum Patriarcham *Conſtantinopolitanum* verbis ſignificantiſſimis *Matthæo* noſtro commendavit. (*l*).

Subin anno MDXVI. tantiſper ad otium ſe retulit *Noſter* diverſatus *Mühldorfii* oppido, quod ei qua Condjutori *Salisburgenſi* nuper attributum fuiſſe, paulo ante monui. Per id tempus *Wolfgangum* Abbatem *S. Petri Salisburgenſis*, ad ſe venientem, perhumaniter accepit, mulâque donavit.

Anni MDXVII. initio novis *Leo* litteris *Noſtrum* dignatus eſt, quibus eum hortabatur, ut operam ſuam apud Cæſarem interponeret pro *Bernardo* BIBIENA Cardinale, quem Eccleſiœ *Caurienſi* in *Hiſpania* Pontifex præpoſuerat: *in cuius poſſeſſione*, inquit, *aſſequenda ſi difficultatis aliquid experiretur*, *Cæſar ſuam autoritatem apud nepotem ſuum Carolum Hiſpaniarum regem interponeret. Te, quantum maxime poſſum, hortor, velis, ſi erit opus, eius cauſſam apud Cæſarem tueri ac ſuſcipere, quippe hominis tibi deditiſſimi, tuorum bonorum cupientiſſimi &c &c.* (*m*). Per ea tempora LANGIUM, ex otio *Mühldorfenſi* in aulam revocatum, res ingentes exercebant duæ. *Prima* erat expeditio contra *Turcam*, de qua ſerio deliberari cæptum præeunte Romano Pontifice. Is *Conſultationem* (*n*) ea ſuper re pluribus capitibus conſtantem, ad Cæſarem miſerat,

(*l*) Litteras integras proponit CIACONIUS in *Vit. Pontif. l. c.*

(*m*) V. HANSIZIUM *l. c. p.* 582. cuius ipſiſſimis verbis tum hoc in loco, tum in aliis ſæpiſſime utor. Atque hoc ſemel monuiſſe ſufficiat; quod eius autoritatem haud ubivis, atque identidem, expreſſè citandam duxerim

(*n*) Habetur illa INGOLDASTI *Conſtitut. Imper. T. II. p.*127.

rat, quam cum ille Ordinibus, *Welſium Auſtriæ* oppidum evocatis, exhibuiſſet, reſponſum accepit, promptos ſe ad vota Cæſaris eſſe, ſi modo vires & ſtudia reliquorum *Germaniæ* Statuum accederent. Hoc reſponſo habito Cæſar Comitia Imperii anno ſequenti *Auguſtæ* habenda indixit. *Altera* fuit, ut *Carolo* (quod unice in votis *Maximilianus* habebat) viam ad Imperii coronam capiendam ſterneret.

Hæc inter annô MDXVIII. die 18. Iunii *Wolfgangum* Cænobiarcham *S. Petri* mors rapuit: quo extincto illud monaſterium, ut ferebatur, *Noſter* in *Commendam* a Pontifice accipere aut cupiebat, aut impetrârat; ſed *Leonardi* Archiepiſcopi, præceſſoris ſui machinationibus repulſus, nil ultra movit. Subin ad Comitia *Auguſtana* profectus tum in rationibus belli contra *Turcam* adornandis, tum in Electorum voluntatibus ad ſententiam Cæſaris pro *Carolo* nepote traducendis, tum in Religionis diſſidiis, quæ indies magis ac magis invaleſcebant, mature ſuffocandis, atque *Luthero* & per ſe, et per *Ioannem* STAUPIZIUM Ordinis *Auguſtiniani* Vicarium generalem ad frugem ſanioraque conſilia revocando (licet in hoc fruſtra) plurimùm allaboravit. Per id *Comitiorum* tempus *Thomas Caietanus* Cardinalis *S. Sixti* miſſis â Pontifice ſacri belli ducatûs Inſignibus, *Enſi* & *Galea*, Imperatorem ſolennibus cærimoniis accinxit, functionem ſtipante LANGIO noſtro, cuius alteræ quoque partes in *Alberto Moguntino*, Romanâ Purpurâ exornando, fuerunt. Conventu ſoluto *Noſter* ad *Uricum Würtembergiæ* Ducem, ob piaculum, in conjugem admiſſum, necemque Ioannis *Hutteni*, cenſura Imperiali notatum, atque inde ad arma proſilientem Legatus â Cæſare ivit, eumque

Prin-

Principem ad officium, licet haud diu duraturum, redegit.

Primordia anni MDXIX. caſus triſtiſſimus obſcuravit, *Maximiliano* Cæſare *Welſii* in *Auſtria* ad diem 12. Ianuarii, e vita ſublato. Ferunt, Imperatorem, cum extremum decumberet, juſſiſſe, ut *Cardinalis* ex *Mühldorf*, ubi tum agebat, accerſeretur; ſed imperium à ſervis neglectum eſſe. Cumque jam vitæ terminus inſtaret, & Cæſar ſæpius quæſiviſſet, an nondum adeſſet, ſerio demum imperaſſe, ut accerſeretur quantocyus. Quo facto veniſſe quidem properato *Cardinalem*, ſed Cæſarem jam vita functum reperiſſe: qui haud dubie, quod per vitam conſueverat, etiam in morte res ultimas cum *Noſtro* componere ſtatuerat. Non potuit non acerbiſſimus accidere LANGIO is occaſus. Quare non ſolum optimum & amiciſſimum Principem intempeſtive ſibi ereptum deflevit amare, ſed etiam ſuprema juſta ex debito ſolenni pompa perſolvit, dicente ex cathedra laudéſque Principis ad poſteritatis memoriam celebrante *Ioanne* FABRO *Ord. Prædicat.* alumno (o). *Maximilianum* Cæſarem hoc eodem anno die 7. Iunii moriendo inſecutus *Leonardus* Archipræſul *Salisburgenſis* locum *Noſtro* ceſſit. Quare is, à Capitulo vocatus, per *Chriſtophorum* (p) Epiſcopum *Auguſtanum*, ſuum antehac Conſiliarium, ſedis archiepiscopalis poteſtatem capeſſit. Ipſe namque in Comitiis *Francofurtenſibus* negotio *Caroli* Regis *Hiſpaniarum* bene regendo detinebatur, utpote ab hoc Principe *Litteris poteſtatis* datis 1519. die 8. Maii, rerum

 ibi

(o) De hoc viro egi in *Alphabeto I.* præſentis *Bibliothecæ*.

(p) De *Chriſtophoro* vide *Alphabetum IV.* meæ *Bibliothecæ*.

ibi agendarum *Procurator*, *Mandatarius*, *Actor*, *Factor* &c. conſtitutus. Iam vero *Francofurti* contra Imperii æmulos multo ingenio depugnandum fuerat: quod *Noſter* adeo feliciter præſtitit, ut *Carolus V.* die 8. Iunii *Imperator* renunciaretur (q): *ut omnes, qui divinæ huic electioni adverſari voluerant (fuêre autem hi quamplurimi & magni) cum ſumma confuſione ac perpetua nota diſceſſerint*, uti habet *Ioann.* FABER in *Epiſtola dedicatoria* ad *Orationem in Maximilianum I.* Mitius rem exponunt *FF.* MEZGERI in *Hiſt. Saliſb. p.* 529. dicentes: *Rivales Imperii erant Rex Galliarum Franciſcus: & Carolus Rex Hiſpaniarum. Res tamen verbis tantum et legationibus modeſte agebatur &c.* Nuncios electionis, in *Hiſpaniam* tendentes, unà litteris inſtruxerat *Matthæus*, quibus Carolum de perturbatis *Auſtriæ* rebus (Præfectos â *Maximiliano* conſtitutos loco moverant) edocuit; ſed jam Oratores *Ordinum Auſtriacorum* advenerant, auſum apud *Carolum* excuſantes. Is per diploma anno eodem (1519) 27. Iulii datum reſcribens, procurationem *Auſtriacarum* terrarum *Noſtro*, tum etiam Bernardo *Tridentino*, & Petro *Tergeſtino* epiſcopis, aliisque procerum nonnullis mandavit, integrum permittens, ſive per ſe, ſive per Delegatos provincias illas in fidem acciperent, adigerentque ad ſacramentum, *Fratrum Archiducum* nomine. Poſthæc *Salisburgum*, & in ſedis ſuæ archiepiſcopalis poſſeſſionem profectus *Cardinalis* noſter, eam urbem inſolito apparatu, menſe Septembri feria ſexta, ſeu die Veneris poſt *S. Matthæi* feſtum ingreſſus eſt, adducens ſecum ex *Mühldorſio* integram aulam, omnibus Officiariis inſtructam: qualem cum etiam *Salisburgi* bene conſtitutam

(q) Conſule MEZGEROS in *Hiſtor. Salisburg. p.* 529.

tutam reperiſſet, tamen nec ſuorum, nec eorum, quos in aula invenerat, ullum dimiſit, aut abegit; donec aut dimiſſionem, alias nacti conditiones, ipſi peterent: aut moriendo locum vacuum feciſſent. Ita Princeps prudentiſſimus adjunxit ſibi omnes, offendit neminem. Retinuit autem aliquamdiu etiam, poſtquam altius evectus eſt, epiſcopatum *Gurcenſem*. Addendum plane hôc locô, quod nulli vel *Salisburgenſium*, vel exterorum Scriptorum (unum ſi demas *Carol.* MEICHELBECKIUM in *Hiſtoria Epiſcopatus Friſingenſis*, *T. II. p.* 296.) obſervatum fuit: nimirum *Noſtrum* altera poſt ſolennem in urbem *Salisburgenſem* ingreſſum die, quæ in *Dominicam* incidit, in *Archiepiſcopum* fuiſſe conſecratum. Docent hoc Litteræ *Noſtri* ad *Philippum* ex *Comitibus Palatinis Rheni*, Epiſcopum *Friſingenſem*, quibus *Noſter* Principem hunc exoravit, ut ſibi archiepiſcopalem *Conſecrationem* conferre vellet, utpote qui, inter alios primus, etiam *Pallii* archiepiſcopalis *Noſtro* conferendi provinciam à *Romana* Curia accepiſſet &c.

In archiepiſcopali ſolio poſitus, ut antea, Virum inſignem ſe præbuit duabus maxime rebus, liberalitate & defendendæ Religionis, quæ per illa tempora multum periclitabatur, ſtudio, ob quod à Scriptoribus acatholicis paſſim male audit: ut nil dicam, à *Luthero* etiam *Monſtri* (Ungeheuer) *Salisburgenſis* titulô nimis, me hercle! indecore ornatum fuiſſe. Liberalitatis communem tranſiliens modum hoſpites, ſi qui nobiliores advenerant, ſplendidiſſime excepit, eaque re multum opum exhauſit. De ſtudio defendendæ Religionis tum dictum eſt, tum poſtea etiam dicetur. Hoc loco iſtud monuiſſe ſufficiat: *Noſtrum*, ubi ad clavum Archiepiſcopatûs ſui ſedere cœpit, etſi pub-

licis ac ſecularibus negotiis fere totus occuparetur; tamen Archidiæceſi ſuæ regendæ, Clero & Populo ſibi commiſſo bene gubernando, corrigendo, à doctrinarum novarum contagione præſervando egregiam, nec inutilem operam toto regiminis ſui tempore impendiſſe; adeo ut boni Paſtoris partibus minime defuiſſe cenſendus ſit: uti *Sectione III.* clarius patebit, ubi litteraria eius monumenta expendentur, & ora oblocutorum, *Virum mere politicum* atque negotiis ſæcularibus unice deditum *Noſtrum* facientium, obſtruentur. Eximiis vero amoribus proſequebatur Capitulares ſuos, quibus ſe invicem ob humanitatem et beneficia chariſſimum ſciebat. Ea re erecti adjecerunt animum ad vindicandam ordinis ſui dignitatem adverſus Cænobitas *S. Petri*, quibus ex more antiquiſſimo dignior in ſupplicationibus locus debebatur. Aiebant: exſpiraſſe jam cauſſam huius Indulti: nuper ſe Canonicos *Regulæ S. Auguſtini* devinctos, nec meliore conditione, quam monachos, fuiſſe: nunc, eductos in libertatem Ordinis Apoſtolici, referre corpus Eccleſiæ metropoliticæ; et quæ ſunt alia huiusmodi. Primo lis agitata apud Archiepiſcopum, quo haud obſcure Capitularibus ſuis favente, cauſſa *Romam* delata. Sic anno MDXX. geminæ ſententiæ pro monaſterio latæ ſunt: Tertia anno ſequenti, iterum in monaſterii favorem pronunciata, liti admodum diſpendioſæ finem fecit. Interim Antiſtes à negotiis publicis minime vacabat. Etenim *Caroli* mandata perficere ſtudens, per tabulas publicas die 7. Ianuarii anno 1520 datas, Delegatos nominavit, qui per provincias *Auſtriacas* jusjurandum colligerent: qui tamen ipſi inferioris *Auſtriæ* Ordines refragantes invenerunt. Subin *Carolo* ex *Hiſpaniis* in *Belgium* appulſo obviam ivit

Mat-

Matthæus, Principiſque huius *Aquiſgranum*, ubi Ordines Imperii convenerant, deducti coronationi ad diem 21. Octobris interfuit, & eius nomine *Imperii* Ordinibus de collata ſuprema dignitate gratias egit; ex eo tempore maiori apud *Carolum*, tum etiam *Ferdinandum* Archiducem, gratia valens.

Carolum V. imperiali ſublimatum faſtigio variæ de rebus Imperii, tum maxime de factione *Lutheri* indies creſcente triſtes curæ angebant. Quare, habita cum LANGIO deliberatione, Comitiis apud *Wormatiam* habendis diem 6. Ianuarii anni MDXXI. indixit: in quibus *Matthæus* quoque noſter emicuit, haud dubie præcipuus earum rerum, quæ contra *Lutherum* actæ fuerunt, adminiſter. Circa idem tempus *Carolus V.* fratrem ſuum *Ferdinandum* noſtro *Cardinali* commendavit, in *Auſtriam* poſſeſſionis capiundæ ergo deducendum. Appulit LANGIUS *Auguſtam*, cuius urbis annuum ei vectigal (*Reichs - Städte - Steur*) Cæſar in *penſionem*, toto vitæ tempore percipiendam, donârat, die 18. Martii, una cum Archiduce memorato, quem inde profectus die 26. Maii *Lincium* ſuperioris *Auſtriæ* urbem principem induxit; ubi nuptiæ cum *Anna* Hungarica celebratæ, quas ante ſexennium *Matthæus* in regio illo conventu, de quo ad annum 1515. dictum fuit, conciliaverat. Dehinc *Noſter* Archiducis conſilia moderatus eſt tempore illo turbido, quo novas in *Auſtria* res factioſi moliti fuerant: et, quoniam Archidux à *Carolo* fratre *Imperii Vicarius* conſtitutus fuerat, plurimum negotiorum incumbebat LANGIO in crebris illis *Germaniæ* conventibus, qui publicæ quietis & Religionis cauſſa cogebantur; nam ut is *Maximiliano* fidiſſimum ſeſe præbuit, ita et nepotibus illius omnia ſtudia ſua, conſilia, vires

atque operam commodabat, adeo ut ab iſtis, *Carolo* nimirum & *Ferdinando*, quaſi parentis loco coleretur eâdem gratiâ, autoritate etiam majore, ac fuerat apud avum. Hinc facile ei fuit, â mox nominato *Carolo* Confirmationem omnium *Privilegiorum* Archiepiſcopatui *Saliſburgenſi*, in puncto *Vini* ac *Salis*, abs *Friderico III.* Imperatore conceſſorum impetrare: ſuper qua re confectum *Inſtrumentum* vide in LUNIGII *Part. ſpec. Cont. I. Fortſ. III. p.* 123. Hoc eodem anno (1521) pietas *Cardinalis* noſtri erga *S. Radegundem* ſeu *Radianam* pulchre enituit, quâ motus in eius honorem novam Eccleſiam (antiquæ muri disjecti fuerant) prope caſtrum *Wellenburg* exſtrui, & â *Ioanne* Proepiſcopo *Salisburgenſi* conſecrari, memoriamque rei nummo prægrandi, tum aureo tum argenteo, copioſè cuſo ad poſteros propagari juſſit. Numiſmatis argentei facies una exhibet effigiem *Cardinalis* cum inſcriptione: *Matthæus Card. Archiep. Salzburg. ac Epus Gurcen. MDXXI.* Altera facies ſpectandam dat *S. Radianam* ſeu *Radegundem* â duobus lupis impetitam, cum hac epigraphe: *S. Virgo Radiana † Ora pro nobis Deum.* Ita *Corbin.* KHAMM αὐτοπτος (r). Aliter Inſcriptio huius nummi legitur in Libro: *Sancti Auguſtani*, videlicet: *Matthæus Eps. Alban. Car[lis.] Archieps. Salzburg.* et ſub effigie *Noſtri* ponitur annus *MDXXXVIII;* cum in priori nummo annus *MD — XXI.* ita poſitus ſit, ut effigies *Noſtri* media ſpectetur. Ad memoratum annum (1521) ſpectat etiam Inſcriptio in turri campanaria Eccleſiæ *Carthaginenſis* in *Hiſpania*, quem epiſcopatum *Noſtro*, in præmium navatæ operæ, *Carolus* nuper adjecerat: cuius tamen poſſeſſionem *No-*

(r) In *Hierarch. Auguſt. P. I. p.* 255.

Noſter nunquam adivit, aut redditus ex illo unquam percepit. Eſt vero hæc: *Anno Domini MDXXI. die XIX. Octobris inceptum eſt hoc Opus ſub Leone X. ſummo Pontifice, ſui pontificatus anno quarto* (imo nono) *Carolo Imperatore cum Ioanne matre regnantibus in Hiſpania, Matthæo S. Angeli Diacono Cardinali Epiſcopo Carthaginenſi* (*s*). Hôc itidem annô (1521) *Cardinalis* noſter *Præpoſiti cathedralis Auguſtani* dignitate in favorem *Marquardi de* STEIN (melius *de Kiingenſtein*) Decani deceſſit; uti teſtatur GASSARUS (*t*), qui huic anno illigat quoque, quod ſupra ad annum 1500. de novis *Inſignibus* memoratæ *Præpoſituræ* à Cæſare impetratis monui.

LANGIUS, *Linciô* reverſus, res monaſterii *S. Petri Salisburgenſis*, quas valde perturbatas invenerat, anno MDXXII. in ordinem redigere ſtuduit, *Simone* Abbate, *Viro ſui judicii magis quam boni conſilii amante, ſubditosque premente potius quam regente* exauctorato, & *Ioanne* STAUPITZIO in Abbatem dato (*v*). Eôdem annô, cum videret, Religionem catholicam magis magísque concuti, latiusque ſerpere in dies malum, plures ſubditorum ſibi Epiſcoporum in unum convocavit, de opportunis remediis conſulturus. Unde communi conſilio ad corrigendos *Cleri provincialis* mores vulgavit *Mandatum* paſtorale, de quo *Sectione III. n*o. 5. vide. Paulo etiam ante, quam Cæſar in *Hiſpa-*

(*s*) V. CIACONTUM *l. c. p.* 304.

(*t*) In *Annal. Augſpurg. p.* 1740. KHAMMIUS in *Hierarch. Auguſt. P. I. p.* 548. ſtatuit: anno 1519. *Marquardum* factum eſſe *Præpoſitum*; ſed placet, GASSARO fidem adjungere.

(*v*) De *Ioanne* STAUPITZIO videri præter alios Scriptores poſſunt *FF.* MEZGERI in *Hiſt. Salisb. p.* 537.

Hiſpaniam redivit, fœdus, *Suevicum* dictum, in annos undecim cum Principibus, Nobilibus & Civitatibus Imperialibus, qui in illud coiverant, renovavit; unde ei non ita multo poſt multum utilitatis acceſſit.

Per ea tempora magni Germaniam motus turbabant, *Lutheri* ſcriptis, novisque dogmatibus excitati. Clerus vileſcere populo, poteſtas eccleſiaſtica infra civilem deprimi, Religio avita minus ſapere cœperant. Ea novitate exciti *Salisburgenſes* cives, tempus rati adveniſſe Clericorum imperium excutiendi, mordere fræna: & ad ſaxum, in quo jam nuper ſub *Leonardo* Archiepiſcopo, deceſſore Noſtri, pedem offenderant, referre denuo annô MDXXIII. tentavêre. Rei mature admonitus *Cardinalis*, & clam in *Tyrolim* profectus, coacto celeriter exercitu, cui *Leonardum de* VOELS præfecerat, caſtra ad *Gredingam* metatur, civibus, quid pararetur, denuncians, oſtentansque in arce catapultas, quibus librandis ſacerdotem *Wilhelmum*, ob rei pyrotechnicæ peritiam valde formidandum, præeſſe juſſerat. Oppidani non diu cunctati ad clementiam Archiepiſcopi ſeſe referentes, Legatos ſupplices ei obviam miſerunt. Itaque Præſul, comitante VOELSIO et duabus militum turmis, univerſoque familiarium et conſiliariorum ordine, civitatem habitu militari, equo ſublimis & cataphractus ſubit, manu ſcipionem imperatorium geſtans: volens hoc modo Principis ſpeciem objicere civibus, ut Clericum contemnere dediſcerent. Sic rectâ forum petiit, ubi Senatu Populoque in genua ſubmiſſo, noxæ veniam rogante et novo jurejurando fidem obſtringente, finis bello, quod vulgo *Latinum* appellabant, impoſitus eſt. *Matthæus* inde in arcem aſcendit, ubi

etiam-

etiamnum (Ajunt *FF.* MEZGERI) arma eius ſpectanda conſervantur, grandem hominis ſtaturam probantia. Rem geſtam exprimit pictura, quæ in porta, *Beatæ Virginis* dicta, urbis *Auguſtanæ* viſitur cum hoc lemmate: *Matthæus* LANGIUS *Patricius Auguſtanus Cardinalis & Archiepiſcopus anno MDXXIII. Salisburgenſes ſupplices in fidem recipit* (x).

Rebus domi pacatis *Matthæus* ad inſtauranda Eccleſiæ ſuæ privilegia animum adjecit. Ea nonnullis in locis per annos ſuperiores labefactata fuerant intruſione Præſulum in Eccleſias ſuffraganeas illas, quibus dare paſtorem Archiepiſcoporum jus avitum erat. *Gurcenſis* de poteſtate *Salisburgenſium* pœne fuerat abſtractus: tentati nonnunquam *Seccovienſis* & *Lavantinus.* Hanc plagam ut obduceret *Matthæus*, *Clementem VII.* recens Pontificem creatum appellavit, a quo etiam anno MDXXIV. Litteras apoſtolicas, malis his occurſuras impetravit, quas integras refert *Marcus* HANSIZIUS in *Metropoli Salisburgenſi*, *p.* 589. Habentur etiam in LÜNIGII *Spicileg. eccleſiaſtico I. Th. Fortſ. p.* 1026. Plurimum ad res Religionis in *Germania* erigendas præſidii idem Pontifex in *Matthæo* ponebat. Quare cum ſub tempus vernum dicti anni 1524. Conventus *Norimbergenſis* immineret, excitavit eum Pontifex, ut induſtriam ſuam cum *Laurentio* CAMPEGIO Legato Apoſtolico conjungeret. Sed in eo Conventu ob voluntates, Principum variis ſtudiis, inter ſe diſcrepantes nihil ex uſu confectum eſt, niſi quod obſervatio Edicti *Wormatienſis* languide ſanciebatur. Idem tamen *Matthæus* cum Archiduce *Ferdinando*, *Campegio*, aliisque

(x) V. KHAMM in *Hierarchia Auguſt. P. II. p.* 276.

que Principibus, quorum ſincerius erat in rem catholicam ſtudium, *Ratisbonæ* convenit circa Feſtum *S. Ioannis Baptiſtæ* eiuſdem anni, ubi fœdus inter ſe fecerunt die 6. Iulii, ac nonnulla ſaluberrima decreta pro executione *Wormatienſis* Edicti, & rituum priſtinorum conſervatione. Inter alia ſtatutum: uti certi homines deligerentur, qui per provinciam ſtudioſe omnia perveſtigent, veluti Inquiſitores: fontes cuſtodiæ mandentur & puniantur: ſi quid forte motuum ac ſeditionum inde in cuiuspiam finibus naſceretur, ſubſidio reliqui ſint, opemque alter alteri ferant. Huius rei primus periculum fecit *Matthæus* enormem propterea ſeditionem paſſus, ut mox dicetur. Ad bellum præterea, quod inter *Sigiſmundum Poloniæ* regem, & *Albertum Brandenburgicum*, *Prutenorum* Equitum Magiſtrum repullulaſcere cœperat, reſtinguendum *Cardinalis* noſtri opera à *Clemente* quæſita.

Annô MDXXV. novo conatu oſtendit LANGIUS, quantopere animarum ſibi creditarum ſalutem in votis haberet, dum veterem Religionem luculentiori molimine tuiturus, & Novatorum audaciam validiori ratione oppreſſurus, *Synodum dioeceſanam* celebrare conſtituit: cuius *convocationem*, pro die 7. Aprilis dicti anni decretam, in Archivio Conſiſtorii *Saliſburgenſis* aſſervari: at *Synodum* iſtam interlabentibus novis diſcordiis, & rebellione ſubditorum exorta omiſſam fuiſſe monet *Florianus* DALHAM in *Conciliis Salisburg. p.* 287. Hiſce nimirum temporibus exortum, *Bellum Ruſticanum*, quod *Germaniæ* oras cædibus, rapinis, crudelitatibûs replêrat, etiam in ditionem *Salisburgenſem* perrepſit. Erat ſacerdos quidam, ex Novatorum doctrina publice concionatus. Hunc *Archiepiſcopus* debitâ pœnâ coercere ſtatuerat: ſed, dum

perpe-

perpetuæ cuſtodiæ *Miterſilii* mancipandus ducitur, eum temulenta ruſticorum turba è ſatellitum, potûs cauſſa in hoſpitio divertentium, manibus eripuit, coryphæum agente *Stoeckelio* quodam, qui ſubin comprehenſus audaciæ pœnam capite luit. Ea re in furorem acti agricolæ ad arma concurſant, præſulémque, qui cum Canonicis & univerſa Aula in arcem confugerat, toto trimeſtri obſidione premunt (*). Interim, mittente *Ferdinando* Archiduce, in auxilium obſeſſi advenerat *Dietrichſteinius* cum quinque millibus, & *Schlamingam*, repulſus primo, facto maiori impetu occupat, rebellibus ad *Radſtadium* conſidentibus. Verùm *Schlamingenſes* perfidi, facta cum *Radſtadienſibus* colluſione, diem conſtituunt, quô incautum militem noctu aggrediantur. Ceſſit ex ſententia dolus, quamplurimis aut cæſis aut captis. Sic *Dietrichſteinii* copiis diſjectis *Cardinalis* Ducem *Boiorum Guilielmum* invocat, cuius nutu *Ludovicus* eius frater octo millia armatorum adduxit. Verum cum ruſtici montium latebris muniti perſiſterent, præter leves velitationes nihil actum. Tentatis tamen ferocientium animis res eo ſucceſſit, ut *Ludovico*, quâ arbitro, pacis faciundæ poteſtatem concederent; quæ inter ſeditioſos & Matthæum in has leges concluſa: *Anteſignani traderentur ad ſupplicium*; *belli vero ſumptus* 114000. (vel, ut alii volunt, 14000. *duntaxat*) *florenis penſarentur*.

Sed

(*) Huius obſidionis narrationem *Ægidius* REMUS (non *Ramus*) is ipſe, de quo in *Alphabeto I.* huius meæ *Bibliothecæ* egi, *Matthæo* noſtro *à Conſiliis arcanioribus*; teſtis oculatus & malorum Archiepiſcopi ſui conſors reliquit, quam habes ex manuſcripto editam apud *Marc.* HANSIZIUM, *l. c. p.* 605.

Sed haud diu pactis ſtetit ruſticum vulgus. Namque *Ludovico*, antequam pactio executioni mandata, & rebellium duces comprehenſi fuerant, cum exercitu domum revertente, rebellio anno MDXXVI. acrius recruduit, ruſticis ſervare promiſſa & tradere tumultuum auctores renuentibus. Sic novæ cædes, novæ rapinæ, nova incendia agebantur; donec rebelles adventantibus undique ex *Suevia* & *Styria* novis ſuppetiis circumventi arma abjicere, pacémque petere cæperunt. Hoc modo, reis aut ſubactis, aut capitali pœna affectis, aut proſcriptis funeſta denique rebellio ceſſavit (*y*). Atque hac ratione Religionis integritati per provinciam ſibi ſubditam cavit *Matthæus* noſter, laudatus ob id à *Carolo* CARAFA Nuntio Apoſtolico in *Germania reſtaurata*: et ab *Henningo* PYRGALLO *inter Viros illuſtres, catholicas veritates eo turbulentiſſimo tempore aſſerentes*, jure meritiſſimo connumeratus. Plura in hanc rem haud dubie invenire poterit Lector in *Jo. Bapt. de* GASPARIS Libello: *Archiepiſcoporum Salisburgenſium Res ad uſque Weſtphalicos Conventus in Lutheraniſmum geſtæ*. in 8°. 1779. quem, dum hæc ſcribo, ad manus habere non licuit. Quomodo autem idem Archi-Præſul ærario, his turbis exhauſto, proſpexerit, diſces à *FF.* MEZGERIS in *Hiſtoria Salisburgenſi*, et à *Fr.* DUCKHERO in *Hiſtorie von Salzburg*.

Quietiori poſthæc tempore uſus *Cardinalis* operibus domeſticis ſeſe dedit, quibus civitatem et provinciam exornavit. *Eccleſiam Salisburgenſem* multis cumulavit muneribus. *Aulam archiepiſcopalem*, quam teſte *Chriſtoph.* JORDANO, niſi bella civi-

(*y*) Fuſius hæc omnia exſequuntur *FF.* MEZGERI, & *Marc.* HANSIZIUS *ll. cc.* & *Franc.* DUCKHERUS in *Chronick von Salzburg*.

civilia obſtitiſſent, ex integro novam conſtruere ad exemplar ab artifice quodam delineatum ſtatuerat, et *Arcem* ædificiis, propugnaculis, ciſternaque noviter exſtructa auxit. Sub Arce vineam adornavit & hortum raris arboribus conſitum. Viam, quæ per *Clam* (Sic locus in Alpibus indigitatur) ad *Gaſteinium* ducit: itemque â *Douisbweg* in *Lungovia* usque *Raminſtein* (z) magnis ſumptibus ſtruxit, domi inde foriſque nomen magnum, et ſingularem apud alios Principes auctoritatem nactus. Neque tamen hæc obſtiterunt, quin etiam ſpiritualibus, et animarum ſibi concreditarum bono curarum partem impenderet *Matthæus*. Namque anno MDXXVII. *Decretum* emiſit ad parochos, quo illis præcepit, qui in *Hallein*, *Tittmoning*, *Lauffen* & *Radſtadt* curam animarum gerebant: *ſedulam navarent operam, ut populus depromptis e ſacra Scriptura & Traditione locis opportune edoceotur, falſorum Prophetarum agnoſcere offucias, easque toto animo deteſtari. Senſit quippe Paſtor ſagaciſſimus, in eiusmodi cauſſis rectam inſtitutionem eſſe poenis ipſis efficaciorem, et Epiſcopo digniorem*; uti obſervat *Florianus* DALHAM *l. c.*

Conſcripſerat in annum MDXXVIII. *Carolus V.* Comitia menſe Aprili *Ratisbonæ* habenda, ut remedia ad uniendos in Religione animos, et adverſus Turcarum impetus invenirentur. Sed celebrari Conventus ille non poterat, quia Elector *Saxoniæ* & Landgravius *Haſſiæ* bellum in *Germania* movebant, decepti ab *Ottone* PACKIO, *Georgii* Ducis Vicecancellario. Inſignis impoſtor iſte auſu tum infami maxime, tum maxime nefario confinxerat Foederis contra

ill-s

(z) Sic teſtator *Chriſtoph.* JORDANUS in *Chronica*, ubi ædificia recenſet, quæ *Noſter* molitus eſt.

illos à Catholicis initi Inſtrumentum, eiusque exemplar, Heri ſui ſigillo roboratum, duobus iſtis Principibus obtulerat, quaſi *Vratislaviæ* anno 1527. 12. die Maii percuſſi. In hoc LANGIUS quoque nominabatur, qui impactam calumniam *Litteris* ad Regimentum Imperii datis à ſe depulit, negans: ſe aut *Vratislaviæ* fuiſſe, aut ſuos ibi Legatos habuiſſe. Vide SECKENDORFII *Hiſtor. Lutheraniſ. L. II. p.* 94. *ſeqq.* ubi hæc prolixe narrantur omnia.

Annus MDXXIX. novos pro Eccleſia et Imperio labores *Noſtro* attulit. Acta *Spiræ* belli *Turcici* metu Comitia, quibus *Noſter* poſt Electores primus aſſedit; uti videre eſt apud *Goldaſtum*, *T. II. Conſtitut. Imperial.* Eodem anno obſeſſa per Barbaros *Vienna* quartam partem bonorum eccleſiaſticorum in belli ſubſidium conferri fecit.

Sed jam multo celebriora, totóque orbe *Europæo* famigerata Comitia me vocant, puta, *Auguſtana* anni MDXXX. quibus *Noſter* interfuit, & in quibus Cæſari *Formula Fidei Lutheranæ*, vulgo *Confeſſio Auguſtana* oblata eſt. De hac quum litigaretur inter partes, quæreretur que modus Concordiæ, nec inveniretur, demum de conficiendo Comitiorum Decreto deliberatum eſt, ad quam deliberationem cum *Alberto Moguntino*, Electore *Brandenburgico*, Epiſcopis *Argentinenſi* & *Spirenſi*, præterea *Georgio Saxoniæ*, *Guilielmo Bavariæ*, *Henrico Brunſvicenſi* Ducibus LANGIUS noſter delectus fuit. Itaque decretum eſt firmiter: in antiqua Religione perſeverandum eſſe, nec novandum quidquam ante *Concilii* definitionem; idque 23. Septembris in pleno Principum conſeſſu lectum promulgatumque eſt. Ei decreto uti ſuus conſtaret vigor, conſtitutum die 26. Novembris

Catho-

Catholicorum inter ſe fœdus, cui et *Matthæus* nomen ſuum dedit, adverſus obſtinatos, ſi quid ultro moliri pergerent, aut quæ jubebantur, in integrum reſtituere detrectarent. In eodem Conventu mota per epiſcopos illos, qui prædia fundoſque in terris *Auſtriacis* habebant, uti *Saliſburgenſis &c &c.* controverſia de duplicatis *Indictionibus*, quibus ipſorum vectigales, & coloni premerentur: primum cogi, penſiones facere pro ſorte cenſuum Imperialium in matricula *Imperii* præſcriptorum, ac rurſum alias in terris *Auſtriacis*, ſic ut de ſumma bonorum obligentur *Imperio*, et iterum ratione partis per *Auſtriacos* exhauriantur. Re diſceptata viſum æquitati congruere, ne quis geminum ferre cogatur onus, ne qui ad rationes *Imperii* contribuerent, traherentur ad aliud quid uſpiam pendendum. Sed hæc aſſenſio haud diu ſtetit, refragantibus Ordinibus *Auſtriacis*, demumque *Ferdinandum* regem inducentibus, ut conceſſam immunitatem revocaret. Hæc de Comitiis *Auguſtanis*. — Quibus aliis, quæ per ea tempora in *Imperio* crebrò cogebantur, Comitiis adfuerit *Matthæus*, incompertum; ſane vix dubium, quin in plerisque præſens fuerit.

Anno MDXXXIV. *Cardinalis* noſter electioni *Pauli III.* interfuit, uti teſtatum reliquit CIACONIUS in *Vitis Pontif. p.* 533. ubi eum Conclavi, quo *Paulus III.* Papa creatus eſt, infuiſſe monet. Quæ cauſſa fuerit *Matthæo* veniendi *Romam* (nam ante *Clementis VII.* obitum eo profectus fuiſſe videtur) non obſcure innuit *Eraſmus Roterodamus* in Epiſtola ad *Petrum* CURTIUM; ex qua diſcimus, eò veniſſe *Noſtrum*, ut (haud dubie non ſine *Ferdinandi* Regis, *Caroli*que Cæſaris) Papam ad Concilium generale convocandum hortaretur; quippe

 hæc

hæc una putabatur ratio ſuppetere controverſias Religionis in *Germania* componendi, concordiamque chriſtianam poſtliminio revocandi.

Quomodocunque iſtud ſeſe habeat, *Romanum* hoc iter novum *Noſtro* honoris incrementum contulit; dum anno MDXXXV. a mox dicto *Paulo III.* ad Eccleſiam *Albanenſem* translatus, vel potius (ut credibile ſit per ea, quæ ad calcem huius *Vitæ* afferam) in eius Eccleſiæ poſſeſſionem miſſus eſt, *Cardinalis Epiſcopus* factus. Hoc itidem anno *Matthæus*, ut controverſiam de *duplicatis Indictionibus*, quarum modo memini, aliaſque ſimiles componeret, *Tranſactionem* cum rege *Ferdinando* fecit, datam *Viennæ* ad diem 25. Octobris: quam videre eſt apud LUNIGIUM *P. Spec. Cont. I. Fortſ. I. Abſ. IV. p.* 54. DU MONTIUM *Corps diplomatique*, *T. IV. P. II. p.* 128. & apud *Marc.* HANSIZIUM in *Metropoli Saliſburgenſi*, *p.* 601. ſed *latinè.*

Similiter anno ſequenti MDXXXVI. varias *Carinthiæ* Ordines inter, et Archiepiſcopatum *Saliſburgenſem* obortas controverſias amica compoſitione per Legatos ſive Commiſſarios cæſareos e medio tollere allaboravit. Inſtrumenta, hoc anno, diebus 26. & 27. Auguſti deſuper confecta habes in *Lunigio P. Spec. Cont. I Fortſ. I. Abſ. IV. p.* 182. & 184. & in DU MONTIO *Corps diplomatique, T. IV. P. II. p.* 139. 140.

Interea per *Germaniæ* oras Religionis diſſidia ita invaluerant, ut, quidquid aut Cæſar *Carolus* cum *Ferdinando* fratre, aut ſtrenui *Præſules* ad perſanandas patriæ plagas conarentur, medicinæ locus haud eſſet. Denique res ad arma ſpectabat, præcipue cum novæ doctrinæ ſtudioſi, renovato *Smalcaldico Fœdere* anſam dedere *Catholicis*, ut

ipſi

ipſi quoque manus inter ſe jungerent anno MDXXXVII. primum *Paſſavii*, deinde *Norimbergæ*, ubi ſocietatem armorum pacti ſunt *Matthæus* noſter cum *Moguntino*, Ducibus *Bavariæ Guilielmo & Ludovico*, *Georgio Saxone*, *Erico* & *Henrico Brunſvici* Ducibus. Id Fædus, quoniam pro Sacrorum defenſione ſuſceptum fuerat, inde *fœderis ſancti* nomen traxit: cuius tamen uſum *Matthæus* non vidit, antequam funeſtum illud bellum erumperet, ê vivis ſublatus. Memoratum annum alio inſigni &, quantum pro ſuſceptæ archiepiſcopalis dignitatis officio animarum ſibi creditarum ſalutem cordi haberet, apertiſſime demonſtrante facto notabilem reddidit *Cardinalis* noſter, dum ad Cleri et Sacerdotum mores in melius corrigendos: ad res Eccleſiarum ſibi ſubditarum in ordinem redigendas, ad novorum dogmatum contagionem eliminandam curas intendens, *Synodum* ampliſſimam celebravit, de qua inferius *Sectione III.* ſermo redibit. Eodem anno litem, de *Præcedentia in Conventibus Imperii*, Duces *Auſtriæ* inter & Archiepiſcopum *Saliſburgenſem*, diu ventilatam finiit, declarando: ſe pro ſua Perſona, quoad viveret, Duci *Auſtriæ* deceſſurum, ſalvis tamen juribus Archiepiſcopatûs in ſecuturis Comitiis. V. Librum: *Nachrichten von Iuvavia.* 1784. in folio, *pag.* 498. 499.

Ad annum MDXXXIX. referenda eſt opera, quam *Noſter* in fodienda Arcis ciſterna, ſuperius memorata, laudabiliter utiliterque collocavit: quod declarat Nummus ad eius rei memoriam à *Matthæo* cudi juſſus, ſequenti epigraphe: D. O. M. MATHEUS LANNG. A. WELLENBURG. EPUS. CARD. ARCHIEPS. SALZBURGEN. HANC. CISTERNAM. MAGNO. ARCIS. COMMODO. A. FUNDAMENTIS. F. F. ANNO. A. CHRISTO. NATO. MDXXXIX.

Annum quoque MDXL. *Inſtrumentum Compoſitionis* ſignat, quô controverſia *de Vectigalibus* &c. *Matthæum* inter atque *Berchtolsgadenſem* Præpoſitum *Wolfgangum* dirempta fuit: et quod exhibet LUNIGIUS *Spicil. eccleſ. T. II. Fortſ. p.* 1034. Sed heu! cur ad hunc annum delapſa eſt oratio, quem *Cardinalis* noſter ſibi fatalem habuit. Is jam aliquanto ante obitum tempore defectione nativorum ſpirituum, quos infinitis ingenii contentionibus exhauſerat, degeneravit penitus â ſemetipſo, præbito de ſe luculento humanæ conditionis exemplo, præſtantiſſima ſui parte, qua orbem in admirationem converterat, imminutus ac pœne revolutus ad infantiam. Anno itaque memorato ſub verni jejunii finem valetudine ſolito gravius tentatus, die Paraſceves decubuit: ſabbati ſequentis occaſu abs Ioanne *Rotmayr* cubiculi Magiſtro ſupremis myſteriis expiatus eſt: demum exeunte feria tertia Paſchæ, intra horam decimam et undecimam nocturnam, penultimo die *Martii*, mortalis vitæ curſum abſolvit, annum agens circiter ſecundum ſupra ſeptuageſimum; cum præfuiſſet *inſigni cum laude, ſingularique prudentia ac pietate* Eccleſiæ *Salisburgenſi* annos viginti, menſes decem: cum *Imperium*, *Eccleſiam*, *Pontifices* plures, duos maximos Imperatores *Maximilianum I.* & *Carolum V.* conſiliis, negotiis geſtis, rebus egregie patratis, omni denique ſtudio atque opera, quadraginta annorum, & quod excurriti, ſpatio plurimùm adjuvâſſet, tantum inde nominis ſplendorem conſecutus, ut adverſarii ipſi eum ſuſpicere ac prædicare plane debeant. Corpus terræ traditum in templo metropolitano, prope aram *S. Ruperti* requieſcit, impoſito ſaxo minime ſuperbo, nec tanti Viri meritis maximis reſpon-

ſpondente; cuius *Inſcriptionem* in *Henr.* PANTALEONIS *Proſopograph. T. III. p.* 128. 129. habemus, ubi legere eſt: *Salisburgi in cathedrali Eccleſia ante Chorum ſepultus fuit juxta Wichardum à Polnheim, qui et ipſe Archipræſul anno* 1315. *ibidem collocatus erat, cum hac monumenti Inſcriptione, quam ipſe anno* 1565. *Salisburgi exſiſtens legi & huc adſcripſi:*

REVERENDUS IN CHRISTO PATER ET PRINCEPS
D. MATTHÆUS LANG
CARDINALIS ET ARCHIEPISCOPUS SALISBURGENSIS
APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS
ANNO MDXL. TRICESIMO MARTII
HOC LOCO TERRÆ MANDATUS EST.

Aſt vel hic lapis ſepulchralis, quamvis exilis & *Noſtri* benefactis multum inferior, quandoquidem cathedrali Eccleſiâ, quinquaginta ab obitu *Matthæi* annis Vulcani furore in cineres redacta, unâ interiit; haud abſonum deputo, eidem *Epigramma*, quod vetuſta *Noſtri* effigies in Sacello *Langiano*, ſummæ Eccleſiæ *Auguſtanæ*, ſuſpenſa exhibet, ſurrogare (etſi illud in aſſignandis obtentarum dignitatum annis bis diſcrepet ab iis, quæ ſuperius in *Vita* dicta ſunt) ut hac ſaltem ex parte Lectorum meorum curioſitas expleatur. Eſt ſequens:

Matthæus Lang a Wöllenburg, e bina Patritiorum Auguſtanorum familia Ioannis Lang, & Margaritæ Sulzerin, huic mundo naſcitur anno 1468. — *Fit ob inſignes corporis, & animi dotes, morum elegantiam, ac doctrinæ præſtantiam, ex Imperialis Cameræ Secretario, Maximiliani I. Imperatoris Conſiliarius intimus, Cancellarius, & totius Italiæ Vicarius Cæſareus.* — *Denuntiatur a Sede apoſtolica cathedralis Eccleſiæ Auguſtanæ Præpoſitus anno* 1501.

 — *Epiſ-*

— *Epiſcopus Gurcenſis anno* 1505. — *Denominatur à Iulio II. Cardinalis Diaconus S. Angeli in foro piſcium anno* 15 1. — *Ejusdem tituli Presbyter anno* 1513. — *A RR*[mo.] *Capitulo Salisburgenſi in Coadjutorem eligitur anno* 15 4. — *Sacellum iſtud Deo T. Om. & SS. Matthæo Apoſt. ac Narciſſo Epiſcopo dicatum à fundamentis erigit prænominato anno* 1514 — *Epiſcopus Albanenſis* (*a*) *creatur anno* 15 5. *& eodem anno ad Præpoſituram cathedralis Eccleſiæ Conſtantienſis* (*b*) *promovetur.* — *Archiepiſcopus Salisburgenſis inauguratur anno* 1519 — *Carthaginenſis demum Epiſcopus in Hiſpania proclamatur anno* 1521 — *Tandem tot tantisque dignitatibus obtentis pie moritur Salisburgi* 30[mæ.] *Martii anno* 1540. *ætatis ſuæ* 72. *et ſepelitur in Cathedrali ad altare S. Ruperti.*

Hic vitæ curſus LANGIO fuit, hic exitus honorum plenus, plenus meritorum: LANGII (inquam), cuius

— — — *manet*, *æternumque manebit*
Nomen, *& ingens factorum per ſæcula vivet*
Gloria; *dum ſua* Germani: *ſua fata* Latini:
Dum Galli *recolent*: *dum quos ſpumantibus undis*
Alluit Iſther: *&* arctoo ſub ſydere *dura*
Frigore vexat hyems, *gentis memoraſſe juvabit*
Geſta ſuæ — — — — —

Sectio

(*a*) Hoc quomodo cum iis, quæ in *Vita* ſuperius *ad annum* 1535. dicta ſunt, componi queant, non video; niſi dicamus, *Noſtrum* anno 1515 Epiſcopum *Albanenſem* renunciatum fuiſſe; ſed primum anno 1535. quò *Romæ* egit, eius ſedis poſſeſſionem cepiſſe: aut errorem ſcribæ eſſe.

(*b*) Hæc non conſentiunt cum *Inſcriptione* ſuperius allata *pag.* 25. niſi idem ſentire velis, quod de Epiſcopatu *Albanenſi* mox monui.

Sectio II.

Dotes Noſtri.

Pulcherrimam animi faciem, dotesque *Matthæi* LANGII deſcripturus, haud apti re me via procedere poſſe exiſtimo, quam ſi *Scriptorum* tum coævorum, tum illorum quos poſtera ætas tulit, de eodem teſtimonia in medium protulero, non illa omnia (hoc enim fieri vix ullo modo poteſt) ſed ſplendidiora lectioráque.

Univerſas *Noſtri* dotes compendiô complexus *Jacobus* SPIEGELIUS Iuriſconſultus (*a*) hoc brevi, ſed ſignificantiſſimo elogio, *Matthæum* exornat: *Sanctiſſimus Matthæus* LANGIUS *Epiſcopus Gurcenſis*, *R. E. Cardinalis Reverendiſſimus*, *Imperatorius in Italia Proconſul præilluſtris*, *quo uno magnificentiſſimo ſapientiſſimoque Principe hæc noſtra ætas apud Germanos privatum nihil protulit abſolutius.* SPIEGELIO conſentiens *Ioachimus* VADIANUS (*b*) affirmat: *multa & naturæ & fortunæ*, *non communia cum multis*, *Inſignia* Noſtro *adfuiſſe*. *Ioannes* TRITHEMIUS, *pontificum decus*, eum vocat. His concinunt *Richardus* BARTHOLINUS (*c*) quô uſus *Capellanô* (ùt aiunt) *Noſter* eſt: *Franciſcus* IRENICUS (*d*): *Urſinus* VELIUS Poeta: *Ioannes* DANTISCUS itidem Poeta (*e*); quorum prior *Principem omnium mortalium ad unguem perfectiſſimum*, *abſolutiſſimumque*: alter *Virum plenæ & abſolutæ perfectionis*: tertius *Principem Diis æque*, *ac mor-*

E 5 *ta-*

(*a*) In *Epiſtola præliminari* ad *Quintii* HÆMILIANI *Cimpriaci &c. Epicædion tetracolon in Fridericum III.*

(*b*) In *Epiſtola ad Noſtrum*, præmiſſa *Rich.* BARTHOLINI *Auſtriados Libris XII.*

(*c*) In *Dedicatione Hodæporici* ſui.

(*d*) In *Exegeſi Germaniæ.*

(*e*) In *Carmine* præfixo *Hodæporico* BARTHOLINI.

talibus gratum: quartus *Cardinei ſpecimen decusque chori* appellare non dubitarunt. Sileo *Ioannem* CUSPINIANUM Hiſtoricum & Oratorem celeberrimum, qui multa ac magna de LANGIO in *Maximiliano* ſuo memoriæ prodidit, præſertim quæ ipſe ſuis oculis vidit, unáque cum illo peregit. Sileo *Pierium* VALERIANUM, qui *Noſtri* in Urbem ingreſſum non ſine multis eius laudibus *Petro* CRISPO, Card. *Laurentii* CAMPEGII Secretario, deſcripſit. Sileo *Ianum Franciſcum* VITALEM: *C.* SYLVANUM: *Ioannem* PINICIANUM: *Rudolphum* AGRICOLAM *Rhætum Hydroburgium*, ſeu *Waſſerburgenſem*, qui carminibûs *Noſtri* laudes cecinerunt. Sileo *Sebaſtianum* WUNDERL, qui LANGIUM *Viennam* venientem, *Univerſitatis* nomine, diſertiſſima Oratione, quæ typis excuſa habetur, ſalutavit. Hæc omnia præteriens, & quæcunque generalia ſunt, miſſa faciens ad particularia deſcendo.

I. *Prudentiam* Noſtri, *et in rebus tractandis dexteritatem* extollit BARTHOLINUS, dum eum *Virum inter mortales prudentiſſimum*: VADIANUS, dum *ſumma* eum *in civilium & eccleſiaſticarum rerum tractatione prudentia* excelluiſſe teſtantur. *Andreas de* BURGO, ad annum 1510. *Margaritæ* Auſtriacæ ſcribens, his *Noſtri* prudentiam effert: *Dominus Gurcenſis eſt hîc cum tanta reputatione Cæſaris, & ita prudenter gubernavit omnia, quod eſt in mirabili æſtimatione, & fuit adventus eius mirabiliter bonus & utilis pro Cæſare.* *Ioannes* FABER, poſtquam *Conciliabuli Piſani* per *Maximilianum I.* ſublati meminerat, de *Noſtro* addit: *Utebatur in his Cæſar opera & induſtria prudentiſſimi ac ſane omnium optimi Principis Matthæi, cuius et ingenium, & fides, atque in agendis rebus experientia tunc maxime effulſit. Eum enim ſe tum præſtitit, quem præ ceteris*

teris mortalium ob rerum experientiam ſumme Iulius II. fuerit admiratus &c. In eius prudentia quantum ſpei repoſuerint *Romani*, docet *Pierius* VALERIANUS ſcribens: *Rati (id quod erat) Gurcenſem adventare, ad propugnacula prodimus; magna enim præceſſerat exſpectatio, hominem eſſe hunc, qui, miſſus rerum arbiter à Cæſare ſummis de negotiis, una cum aliis magnorum regum & principum Legatis ad Iulium II. rerum cardinem eo verteret, ut modus tandem tot cædibus & excidiis, quibus per quinquennium hoc præcipue non Italia ſolum, ſed univerſa Reſpublica chriſtiana deſolata, & magna ex parte devaſtata eſt, imponatur.* Et in fine addit: *Quantum ad hominis prudentiam ſpectat, ipſe eum optime noſti* (Petrus CRISPUS ſcilicet) *quum ſuperioribus diebus de negotiis pontificiis ſecum ageres &c.* Oſtendit autem *Matthæus*, quâ pollebat, prudentiam ac dexteritatem, tum in omni vita tum maxime in congreſſu mox dicto: uti etiam in congreſſu illo regio, & conciliatione ſereniſſimarum nuptiarum, de quibus ſuperius in *Vita* ad annum 1515. diſſerui. Quamobrem *Richardus* BARTHOLINUS ſic *Noſtrum* alloqui non dubitavit: *Etſi omnibus tum Germaniæ, Pannoniæque, tum Sarmatiæ Principibus . . . vobis tamen* (Cardinali *Strigonienſi* & *Noſtro*) *potiſſimum chriſtianus orbis debere ſe fatetur, qui tam vigili cura, ſtudio, labore ea pertractaveritis, quæ ad ornamentum gloriamque chriſtiani nominis perpetuo futura videntur.* Tum ad *Noſtrum* ſolum converſus ſubdit: *Si unquam aliàs tum in patria, tum apud externos, quanti & ingenii & ſollertiæ ſis, præ te tuliſti (venia tuarum laudum dixerim) nullibi tamen maius prudentiæ tuæ præconium, quam in hac feliciter peracta tam ardui negotii magnitudine eluceſcet.*

ceſcet. Ergo orthodoxum jam gaudeat Imperium! exultet Chriſtianum nomen! Quin et *Leo X.* ſummus Pontifex ampliſſimum prudentiæ teſtimonium perhibere *Noſtro* non eſt dedignatus, ſcribens ad *Maximilianum I.* in hæc verba: *Poſteaquam ſe Matthæus Cardinalis Gurcenſis . . . prudens excellensque Vir, Romam ſe contulit, cum eo ſæpius ea de re* (de pace facienda) *loquutus ſum.* Idemque Pontifex, quantum prudentiæ *Noſtri* deferret, luculenter oſtendit, dum Legato ſuo *Ægidio Viterbienſi* injunxit, ut *quæ haberet ad Maximilianum I. mandata, ea omnia Noſtro nota faceret, uteretur que in iis tractandis, maxime omnium conſilio Noſtri &c.* Et quaſi unius ſummi Pontificis teſtimonium non ſufficeret, alter quoque acceſſit *Paulus III.* qui in *Epiſtola* ad *Noſtrum* anno 1537. data, *veterem* eius *prudentiam, itemque circumſpectionem, quâ omni tempore atque omni in actione prudentiam præſetulit ſingularem*, extollit. *Maximilianus* Cæſar quoque publicô teſtimoniô prudentiam *Noſtri* ornare non dubitavit, dum eundem ad Concilium *Lateranenſe* ablegans, in *Mandato* hac ſuper re edito, *ſeſe in Noſtri dexteritate, ingenio atque rerum gerendarum peritia plurimum confidere* palam declaravit. Hæc pauca de prudentia et tractandarum rerum peritia in LANGIO ſufficiant.

II. *Modeſtiam* eius autem quomodo pro dignitate deprædicem? *Congreſſus illius eiusmodi erant, ut nulla unquam oborta de loco digniore contentio ſit; nullum ambitionis veſtigium appareret; ſingularis contra humanitas verſus omnes eluceret; & fere ſemper, ubi cum aliis Eccleſiæ proceribus incedendum erat, modeſtum de ſecundis litigium ageretur.* Apte in hanc rem narrat *Pierius* VALERIANUS ſequentia: *Inde cum progredientes Cardinales eum* (Noſtrum) *inter*

inter ſeſe medium exciperent, Cardinalibus ipſe decidere, utque probatiſſimâ eſt modeſtiâ, negare ſe locum eum occupaturum. At poſtea cum reluctari non potuit, ingenuam profeſſus verecundiam, coactus eſt inter eos ſacroſancti ſenatûs proceres medius obequitare. Concinit *Richard.* BARTHOLINUS dicens de Archiepiſcopo *Leonardo*, *Noſtro*, & *Ludovico Bavariæ* Duce: *Cum ſalutandi officio ultro citróque functi eſſent, de loco digniore grata omnibus altercatio orta eſt. Archiepiſcopus Gurcenſi (quia Cardinalis) aſſurgere volebat: Gurcenſis, quia loco patris Archiepiſcopum et veneratur & colit, contra ut ille præiret, nitebatur &c. &c.* Iſta haud dubie modeſtia fecit, ut (quod ipſe de ſe ſcribit) *Bononiæ Iulium II.* conveniens, eum efflictim rogârit, ut is paratas ſibi, quà Legato, excipiendo cærimonias omitteret, & confeſtim ad res ipſas pertractandas aggredi dignaretur. Iſta haud dubie modeſtia fecit, ut à *Iulio II* honore cardinalitio ornatus, eius tamen dignitatis inſignibus uti noluerit, eaque, Urbem Legatus Cæſaris ingrediens, jubente demum *Leone X* propemodum coactus ſumpſerit. Iſta dein modeſtia fecit, ut, quum à parvis ad ſumma aſcendiſſet, omnem tamen invidiam ſuperarit, atque in eo gratiæ palatinæ faſtigio (quod oppido infrequens) maximam in vultu, moribus, habitu, omnibusque actionibus moderationem ſervarit Nil per inſolentiam facere ſolebat; nihil in quemquam præter fas ſibi licere putabat; quin de omnibus, ut paſſim memoriæ prodiderunt, *infimis pariter ac ſummis bene mereri* ſtudebat: quo factum. ut apud vulgum æque ac principes in amoribus eſſet: &, quoties peregre adveniſſet, ingentibus hominum concurſibus, & inſolitis officiis acciperetur.

III.

III. Quid de *comitate* et *oris dignitate*, qua *Noſter* effulſit, dicam? *Pacatiſſimo adverſus obvios vultu nunquam ſibi in urbanitatis officiis præſtandis ſatisfaciebat*, adeo ut *mortalium omnium elegantiſſimum* nuncupare BARTHOLINUS non dubitârit. Hac comitate factum eſt, ut Noſter *nonnunquam in coetu Principum* (*uti tum mores Germaniæ ferebant*) *ad choreas deſcenderet amicorum invitatione jam Cardinalis*; *adeo tamen pudice*, *adeo graviter*, *ut*, eodem BARTHOLINO Familiari teſte, *etſi divini vultus gravitatem ſeponere aliquantiſper conaretur*, *tamen vel invito ipſa oris dignitas augeretur*: *quæ*, *cum gratia quadam et ſingulari manſuetudinis ſpecie conjuncta*, *mirificam contuentium oculis voluptatem afferebat.* At erunt fortaſſe nonnulli, qui BARTHOLINO iſta nimiô adulandi ſtudiô excidiſſe dicant. Quamobrem duos alios teſtes in medium producam, contra quos exceptio fieri nulla ratione poterit. De *humanitate Noſtri* luculentiſſime teſtatur *Conr.* PEUTINGERUS, popularis, eíque amiciſſimus, in *Sermonibus convivalibus*, hîſce verbîs: *Accedit ſingularis tua illa bonarum litterarum eruditio*, *atque humanitas*, *ubi circa te fortuna mutavit nihil. Neque enim* (*ut fere ſolent*) *quidquam ſuperbe tumidéve*, *nihil denique cupide et libidinoſe agis*; *ſed omnes ad te ingredientes benevolentiſſime excipis*, *comitaris*, *prope eos ſubſiſtis*, *quin et occurris omnibus. Hæremus lateri tuo*, *quique accedimus*: *eos inter medius*, *etſi emines*, *quaſi tibi pares eſſemus*, *concedis.* De *oris dignitate* vero in *Noſtro* ſcribit *Pierius* VALERIANUS: *Nos*, *hominis effigiem non ſine voluptate cominus ex proxima feneſtra contemplati*, *omnes corporis dignitatem mirifice commendabamus*: *manſuetudinem atque prudentiam*, *quam oculis & fronte præferebat*, *nunquam*

ſatis

ſatis admirati ſumus. Dexteri omnibus oculi ſaliebant, dum tuendo expleri nequimus. Subdit idem: *Romani ex prima facie magnum quid & omnibus æque commodum augurabantur, ſpemque et exſpectationem tranquillitatis Italiæ omnes optimam ex eo conceperant.*

IV. Quanquam autem comem ſe omnibus, affabilemque et urbanum præbuerit, tamen mira animo eius *conſtantia* adſuit; adeo, ut ſicubi rem probe deliberaverat, a ſuſcepto conſilio dimoveri nulla ratione potuerit. Proveniebat hæc ſententiæ obfirmatio ex eo, quod nihil temere agebat, ſed enim prævia gravi deliberatione, & maturo conſilio. Verterant hanc animi firmitatem ei nonnulli in vitium; ſed recte tuetur BARTHOLINUS dicens: LANGIUM *in uno damnari ſentio, quod ego maxime laudo, & fidei in Cæſarem non vulgari attribuo. Vulgo enim fertur, cauſſis cæſareanis ita firmiter inhærere, ut quod ſemel dixit, nihil præterea extorqueri poſſit, quanquam omni ſtudio, opera, induſtria:*

V. Huius conſtantiæ fons et origo fuiſſe cenſenda eſt *æquabilitas animi*, quâ *Noſter* in capeſſendis conſiliis utebatur. Ubi enim ad deliberandum acceſſit, id in neutram partem propendente animo, voluntate ſuſpenſâ nec præjudicatâ quâdam ſententiâ, in hanc potius quam illam partem inclinata, fecit. Hinc non iræ, non odio, non cupidini, non timori locum dabat; a quæſtu autem ſordido, & utilitatis propriæ damnabili ſtudio (ut erat excelſo & ſublimi animo) quam maxime abhorrebat.

VI. Adjuvit has dotes plurimum *ſolertia* incredibilis; *nam erat animo in id, quod deliberaverat, adeo intento, ut nihil induſtriæ reliquum faceret,*

ceret, dubiumque eſſet, an plus ingenio ad conſilia; an ad efficiendum ſollertiâ polleret. Auguſtum huius dotis teſtimonium *Noſtro* perhibuit *Maximilianus* Cæſar, „qui Nobilibus expoſtulantibus, quod in „omnibus officiis & actionibus potiſſimum opera „hominis plebeii & ſacerdotis (LANGII) uteretur, „reſpondiſſe dicitur: *Cur vos non facitis, quos de-„cebat has partes ſuſcipere et tueri? Mihi opus eſt „homine induſtrio et ſedulo, per quem negotia mea „expediam. At vos deſugitis hæc officia. Ideo Scriba „hic mihi deligendus fuit, qui labores aulicos ſuſti-„neat. Equites ego facile creare poſſum; ſed viros „idoneos ad gubernationem, & tolerantes laborum „& onerum Imperii non poſſum creare*“ Certe mirum erat, eundem, *quum ſumma quæque curaret, ſufficere tamen ad res etiam minutas, curioſum in omnibus*; uti rurſus BARTHOLINUS ait. Hoc modo *idem civilia: idem bellica, idem ſacra pariter ac profana, idem non imperitius feſtiva et genialia, quam ſeria adminiſtrabat, dexteritate in omnibus tam egregia, ut non minus eleganter inſtrueret convivium, quo ſæpius Principes excipiebat, quam de rebus maximi momenti diſſereret: etiam cum recreationibus indulgeret, de rebus arduis conferre, diſputare, & feliciter ſtatuere ſolitus*; uti teſtatur *Valent.* ROTMARUS.

VII. Fuit præterea admirabili *corporis patientia*, quâ labores, incommoda, vigilias, pericula omnia contemſit. Heus! *quantos terra et aquis labores exantlavit? Quoties*, ut BARTHOLINUS de ſuo monet, *Italiam, Galliam, Germaniam, Belgium, Pannoniam* metiens, remetiensque *æſtuavit et alſit?*

VIII. Neque defuit *Noſtro liberalitas*, qua maxime Viri ſummates commendantur; nam cum ab

avari-

avaritia plane alienus eſſet, haud validius vinculum, quo animos hominum obſtringeret, ſibi præſtò eſſe credebat, quam munificentiam et hoſpitalitatem: videbaturque eo fine gerere dignitates, ut earum labores ad ipſum, redditus ad alios pertinerent. Neque vero tam uſurpabat occaſiones benefaciendi oblatas, quam ipſas tardantes ultro captabat. Inde nata hoſpitalitas eius admirabilis, qua quemvis hoſpitum nobilioris notæ *Salisburgum* venientem (ſive Clericus is eſſet, ſive Laicus) ad ſe invitavit, dato cauponibus tabernariis mandato, ut ſi quis eiusmodi adveniſſet, id ſibi quantocyus indicarent; quò ad ſe vocatum in palatio exciperet. Hac indole cum eſſet, nihil mirum, nunquam eum ſine multo numero clientum et nobiliſſimorum hominum ſtipantium inceſſiſſe, nunquam ſine eiusmodi comitatu itinera feciſſe. Iſta deinde *Noſtri* liberalitas præcipue ad Viros litteratos, *quò non aliud hominum genus magis is in pretio habebat*, pertinuit (Sed de hoc infra *Sectione III.* videbimus) Hæc denique munificentia, ſplendidæ cuidam magnificentiæ conjuncta, in cauſa fuit, ut, *Noſtro* ſumptibus minime parcente, *Maximilianus* Cæſar aliquando ſuis diceret: „duos eſſe „ſibi Capellanos, unum (*Leonardum*, Archiepiſco„pum puta & deceſſorem *Noſtri*) quem evacuare: „alterum (videlicet *Noſtrum*) quem exſatiare non „poſſet".

IX. Tot tantiſque dotibus coronidem impoſuit *probitas vitæ, morumque integritas*, quâ factum eſt, *ut quum in tanta verſaretur orbis luce, intentis omnium in eum oculis: quumque cum omnium hominum genere, ſequioris etiam (ut in vita aulica aſſolet) ſexûs converſari debuerit: tamen integrâ ſemper famâ eſſet, eaque gravitate nominis, ut ei ne ſuſpicio*

quidem deterior adhæſerit. Unde *Florimundus* ROBERTETUS de eo, dum in aula regis *Gallicrum* fuit, ad annum 1511. ſcribens, teſtatur: *Sieur de Gurce ſ' eſt ſi bien & vertueuſement porté jusqu' ici, qu'il en ſera à jamais loué & eſtimé* ... Certe innocentiæ eius vel hoc invictum, inſtar omnium, eſt argumentum, *quod, cum tam multi de illo ſcripſerint, nemo aliquis ei labem ullam dedecoris aut vitii ſit auſus impingere*; unum alterumve ſi excipias, qui de Noſtro ſiniſtre ſcripſerunt: et ad quos refutandos pergo, ſilentio ſtudioſe prætermittens, quæ ad *pietatis* commendationem in *Noſtro* ſpectant: de quibus, etſi materies dicendi (*) minime deeſſet, hôc locô, utpote in *Opere litterario*, dicere non attinet.

Licet *Cardinalis* noſter plurimis iisque præclariſſimis dotibus (quod vidimus) enituerit, tamen quorundam Scriptorum effugere cenſuram nequivit. Hos inter eſt GUICCIARDINUS (*f*) accuſans eum, ac ſi in Legatione cæſarea anno 1511. ad *Iulium II.* obita haud parum faſtûs & ſuperbiæ prodidiſſet. GUICCIARDINO concinit UGHELLUS (g) dicens: *Hic eſt ille Cardinalis Gurcenſis, ob prudentiæ exactiſſima momenta celebris apud omnes, Conſiliarius Maximiliani Imperatoris, ejusdemque in Italia vicesgerens, qua etiam dignitate in Germania, Pannonia, Poloniaque perfunctus eſt: cuius exaggeratis*

(*) De pietate *Noſtri* memorat nonnulla *Chriſtoph.* JORDANUS in *Chronica*; &, haud dubie ex eo, HANSIZIUS. Pietatem eius laudat etiam *Paulus III.* in *Epiſtola* inferius afferenda.

(*f*) In *Hiſtor. Ital.*

(g) In *Italia ſacra* inter *Epiſcopos Albanenſes. T. I. p.* 272. Conſentit, ſed malè, etiam BEMBUS in *Hiſt. Venet. L. XI. p.* 457.

patis virtutibus ſi moderatio quædam civilis adfuiſſet, gratior effulſiſſet apud omnis ordinis homines; modo vero cum adeo elati animi eſſet, ut regiis obſequiis ſeſe colendum arbitraretur, Romanam aulam in iis præſtandis officiis duriorem expertus eſt. Multo ineptiora ſunt, quæ *Ludovicus* MORERIUS (*h*) de *Noſtro* ſcripſit: *eum nec habitu nec moribus virum eccleſiaſticum præſetuliſſe: in itinere Hungarico ſolennes choreas (ut fama ferebat) in gratiam nobilium fœminarum inſtruxiſſe: nil antiquius habuiſſe, quam ut poteſtatis & magnificentiæ ſuæ documenta publica daret: morte Maximiliani Cæſaris ambitionem eius, exiſtimationemque omnem eſſe accîſam.*

Belle hæc omnia refellit *Marcus* HANSIZIUS (*i*) ſcribens: *Ut pronum eſt accuſari quenquam eius vitii, cuius materiam copiamque fortuna præbuerit, quod perdifficile ſit ſtateram, cum poſſis, nunquam excedere: ſic in promptu eſt, viris honoratis imputari ſuperbiam, & exigentibus quandoque pro officio, quod gerunt, honorem debitum, elati animi vitium impingere. Quid quod ex uno nonnunquam actu, præſertim in Viris illuſtribus, de toto animi habitu ſtatuatur, & famæ malignitate agente labes ex parte transferatur ad univerſum. Sic parum verecunde* MORERIUS, *homo Gallus, generatim pronunciat: „fuiſſe hominem vanum, ambitioſum, inanis gloriæ „cupidum, parumque eccleſiaſticum". Nempe libido eſt nonnullorum ex livore genita, eum, quem prædicari præter ſolitum audierint, quærere, quomodo obfuſcent, Et denique plus eſt, quam ferat humana conditio, palato ſatisfacere omnium. Quam pronum autem, Legationem nomine Cæſaris obeunti, majeſtatemque imperatoriam Italis obiicere cupienti,*

(*h*) In *Dictionnaire hiſtorique.*
(*i*) In *Metropoli Salisburgenſi.* p. 568. 572.

ti, ut Italorum aut Gallorum nonnemini videretur faſtuoſus? Atque adeo, ſi quid etiam immodice videtur ambiviſſe, id non hominis ingenio, ſed ſtudio tuendæ dignitatis cæſareæ, cuius perſonam referebat, adſignandum. Imperitum ſane eſt, ſi quis Legatis Principum ſuccenſeat, eos petere nonnunquam (ut dicitur) iniquum, ut tanto certius obtineant æquum; quos conſtat ſæpe magnitudinem Principis oſtentare velle, immodica petendo.

Sunt et alii Scriptores, qui *Noſtrum* cavillari non erubuerunt. *Georg.* SPALATINUS in *Annalibus* (inter MENCKENII *Scriptores*) & in *Diario* (inter *I. G.* SCHELHORNII *Amænit. litter T. IV. p.* 411.) nonnulla adverſus eum attulit nobis plane negligenda. Similiter SECKENDORFIUS in *Hiſtor. Lutheraniſ.* ac *I. D.* KHOELERUS in Libro: *Münz-Beluſtigung, T. IV. p.* 25. *ſeqq.* hinc inde minus honorifica de eodem propoſuerunt; & ſi qui ſunt alii. Sed quid hos longius morer, cum omnes per ea, quæ ſuperius præmiſſa ſunt, quaſi in anteceſſum, ſolide confutati ſint. Atque ut, quod mecum cogitans ſentio, eloquar; inſignis imprudentiæ adfinem ſe facit, qui in Viris maximis potius ad ea, quæ hic vel ille privatus moroſius ſcripſit, aut incertos ac malevolos rumores, & ſubleſtiſſimæ fidei narrationes ſequens retulit addito frivolo illo verbo: *Dicitur, Fertur, Aiunt;* quam ad communem ſynchronorum & poſterorum in laudando conſenſum, publicamque famam attendere maluerit. Injuſtus deinde fuerit, qui, factis eorundem illuſtriſſimis inſuper habitis, nævos indagando venetur, placens ſibi, ſi quos inveniſſe ſe credat.

LANGIO a vitiis, quæ Scriptores aliqui ei temere objecerant, purgâtô ſtylum ad encomia, qui-

quibus abs Scriptoribus ſequioris ætatis plurimum exornatus eſt, vertere oportet. Verùm cum horum numerus iniri vix queat, ſatis habebo (ne nimíum excurrat oratio) paucorum aliquot teſtimonia, ſed ea inſigniora depromere. *Alphonſus* CIACONIUS (*k*) de *Noſtro* teſtatur: Fuit *Vir ſingularis prudentiæ & doctrinæ, magnificus, beneficus & hoſpitalis ... & proterea apud omnes Germaniæ Principes, præſertim apud Maximilianum, cuius interceſſione Salisburgenſis Archiepiſcopus renuntiatus eſt, magna valuit auctoritate.* Prolixum *Noſtro* encomium ſcripſit *Valentinus* ROTMARUS in *Annal. Acad. Ingolſtad. T. I. p.* 27. inter alia dicens: *Heros magnificus fuiſſe dicitur, vir ſingularis prudentiæ, animi excelſi, ingenii rotundi, in rebus agendis dexterrimus &c. &c. Henricus* PANTALEO (*l*) ſequenti *Noſtrum* encomio ornare non intermiſit: *Hic felici ingenio præditus litteris operam dedit, & in Virum maximum apud Germanos evaſit. Erat enim multis virtutibus & ſingulari dexteritate in rebus perficiendis præditus. Itaque Maximilianus Cæſar eum plurimum dilexit, in conſilium adſcivit, atque res maximas, præſertim in Italia, expedire juſſit.... In eo loco* (Salisburgi) *magna autoritate præfuit per* 21. *annos: atque Carolo Cæſari & Ferdinando Regi gratiſſimus extitit; nam* 1519. *anno, cum Electores Francoſurti conveniſſent, Caroli Legatus exiſtens pro eo Imperium petiit & impetravit. Eam autoritatem poſtea conſervavit, & in Comitiis, quæ voluit, impetravit. Erat Matthæus procero corpore, & facie honeſta; verum macilentia inſignis. Cum autem laboribus & annis exhauſtus eſſet, tandem* 1540. *obiit. Iustus* REUBERUS in *Script. Rer.*

 p. 1102.

(*k*) In *Vit. Pontif. T. III. p.* 300.
(*l*) In *Proſopograph. T. III. p.* 128.

p. 1102. *inclytæ virtutis, magnæque in rebus Imperii publicis tum prudentiæ tum autoritatis Principem* vocat. *Georgius Ioſephus Eggs* (*m*) in *Cardinale* noſtro *inſignes corporis ac animi dotes, morum elegantiam, doctrinæ præſtantiam, ſenatoriam prudentiam* collaudat: et poſtquam ſuperius allata MORERII convicia in *Noſtrum* retuliſſet, ſubdit: *Sed livida* MORERII *in Germanum Principem criſis tanti non eſt, ut multis in contrarium productis teſtimoniis refelli debeat. Omnium Scriptorum calamis celebratus* LANGIUS, *inque cœlum uſque elatus altior eſt, quam ut à privati hominis Galli* (Adde: aut Germani, aut Itali) *lingua tangi obſuſcarique queat.* Editor Epiſtolarum Ludovici XII. Regis Galliarum (*Lettres du Roi Louis XII. &c. Bruxellis.* 1712.) ſequentia de *Noſtro* affert: *Matthieu* LANG ... *étoit un homme toujours agiſſant, également propre à la guerre & aux negotiations. Quoiqu' Ambaſſadeur de l' Empereur Maximilien I. le Roi Louis XII. ne laiſſoit pas de lui confier ſes plus importants affaires. L' Affection, qu' il avoit pour ſon Maitre, lui fit refuſer le chapeau de Cardinal dans un temps, où il ne pouvoit l' accepter ſans nuire aux affaires, dont il étoit chargé. Le portrait, qui le repreſente comme un Gendarme* (Vide *Imagines veriſſimas Imperatorum &c. Oeniponti*, 1601. editas) *armé de toutes pieces, l' épée au côté, la croix archiepiſcopale a une main, une maſſue dans l' autre, la mitre en teſte, la chape rebraſſée au deſſus des coudes, et un caſque à ſes pieds, marque ſon caractere beaucoup mieux, qu' on ne pourroit faire. Ioannes Chriſtoph.* WENDLERUS (*n*) eum inter claros

ros

(*m*) In *Purpura docta.*
(*n*) In *Diſſertat. II. de Merit. Reipubl. Auguſt. p.* 39.

Simi-

ros Theologos *Auguſtanos*, Romanis ſacris addictos, primo loco reponit dicens: *Iis temporibus, quibus univerſa tantum non Europa ignorantiæ tenebris ſuccumbere, litteræque tam ſacræ quam profanæ ex orbe proſcriptæ videbantur, Auguſta noſtra educavit Matthæum* LANGIUM... *Nummum quendam à Noſtro cuſum exhibent Auctores der Hamburgiſchen hiſtoriſchen Remarquen anno* 1704. *p.* 418. *Prudentiam vero eius politicam Scriptores coævi paſſim celebrant, Ioannes* CUSPINIANUS *inprimis in Diario congreſſus Maximiliani & trium Regum, nec non Richardus* BARTHOLINUS. Quid alios Scriptores innumeros commemorem, & encomia cumulando longior ſim, præſertim cum omnium inſtar eſſe poſſit *Marci* HANSIZII, quod ſequitur, teſtimonium & laudum *Noſtri* brevis ſumma: „A „tenuibus initiis evaſit ad ſumma, ingenio acer„rimo, amplitudine doctrinæ, prudentiâ, probitate „vitæ, incredibilique in aggrediendis premendisque „negotiis ſolertiâ, tum eloquentiâ ſingulari, præterea „comitate morum, æquitate, beneficentiâ; quibus, „aliisque virtutibus apud ſummos æquè ac infi„mos manus habebatur: præcipue *Maximiliano* „Cæſari gratioſus & familiaris, ac planè *Theſeus*, „& manus eius dextera; nam conſiliorum ejus om„nium moderator idem erat, & effector, tantâ fi„de, prudentiâ, auctoritate; ut nihil penè magna„rum rerum niſi per ipſum Cæſar aut deliberaret, „aut faceret. Hunc *Italiæ* primùm *Vicarium*, ſeu „(ut vocabant) *Locumtenentem*; hunc militiæ Præ„ſidem; hunc in *Galliam*, *Italiam*, *Poloniam*, ad

F 4 „*Ger-*

Similiter claris *ſæculi XVI.* Theologis annumerat *Io. Andr.* FABRICIUS in Libro: *Abriſs einer allgemeinen Hiſtorie der Gelehrtheit. T. III. p.* 390. & FREHERUS in *Theatro Viror. erudit. p.* 29.

„*Germaniæ* Principes Legatum habuit; per hunc „bella, paces, fœdera, nuptias, conventus, & quid„quid erat regiorum munerum, tractavit, adeo „feliciter, ut, quidquid fere aggrederetur, efficeret.

„Celeberrimum fædus *Cameracenſe* inter *Cæ„ſarem*, *Ludovicum* Regem *Galliæ*, & *Iulium II.* „Pontificem contra *Venetos* ipſe fabricavit. Dein „pacem *Italiæ* reſtituit. *Maximilianum Sforziam* „in ducatum *Mediolanenſem* reduxit. Ipſe mag„nificum illud conſilium expeditionis generalis in „*Turcas* delineavit, quo conceptum erat, Chri„ſtiani nominis hoſtem è partibus invadendum tri„bus: *Cæſar* per *Hungariam* cum Germanis, Hun„garis, Polonis *Boſniam*, *Mœſiam*, *Thraciam* in„vaderet, *Conſtantinopolim* terrâ cingeret: *Galli* „cum Italis, Venetis, Helvetis mari trajicerent „in *Græciam*: *Papa* cum Hiſpanis, Luſitanis, Ang„lis claſſem emitteret ad *Conſtantinopolim* parte ma„ritimâ oppugnandam; cuius expeditionis ideam „Cæſar adeo alte deſcripſerat animo, adeoque in „votis habebat, ut nihil crebrius ſeu agitaret con„ſiliis, ſeu ſermonibus uſurparet; eoque ſpectabat „fædus & affinitas, quam cum *Hungariæ*, *Polo„niæque* Regibus anno 1515 memorabili apparatu „contraxit: quando Cæſar Reges ope LANGII con„ciliatos permovit, uti *Viennam* unà venirent; „ubi officiis omnibus cultos ita fecit ſuos, ut non „ſit memoria, Principes inter ſeſe ſincerioribus „unquam amicitiæ vinculis fuiſſe colligatos. At„que horum omnium faber inſtructorque, caput „& cauſſa erat *Matthæus* noſter. Idem deinde poſt „obitum *Maximiliani* Cæſaris effecit; ut inter ri„vales Imperii præpotentes *Carolus* huius nomi„nis *quintus* ab Electoribus optaretur. Quibus, „aliisque rebus tum de Cæſare ejuſque domo præ-

„clariſ-

„clariſſime meritus fuit, tum haud minus de Pon-
„tificibus & Sede apoſtolica.

„Ejus potiſſimum operâ concordia, inter *Cæ-*
„*ſarem* & *ſacram Sedem*, inter illas *Italiæ* turbas
„revocata: ejus interventu abjectum à Cæſare &
„Germanis *Conciliabulum Piſanum*, ex quo novum
„Schiſma in Eccleſia ſurrexerat: denique dignita-
„tem *Romanæ Sedis* adeo tuebatur, ut *Clemens VII.*
„Papa teſtaretur, ſe petitioni *Matthæi* lubentem
„annuere, *ob ſuorum magnitudinem meritorum,*
„*quibus Eccleſia Romana peramplius illuſtraretur.*
„Pontificum ille ſerviebat ſtudiis in procuranda
„chriſtianorum Principum pace: in iis, quæ pro
„fæderandis contra Infideles Principibus & fecit,
„& tentavit: ut adeo nihil mirum ſit, fuiſſe, ut
„Romani Pontifices eum & colerent mirificè, &
„quoties ad ipſos venit, inſolitis afficerent hono-
„ribus.

„Quod quum propter excellentiam munerum,
quæ gerebat, propterque autoritatem, quâ a-
„pud Cæſarem & Principes pollebat, facerent: tum
„propter inſignes ejus dotes & ornamenta virtu-
„tum. Tanta erat vulgò exiſtimatio Viri, ut ve-
„luti ſydus quoddam ſui Seculi ſuſpiceretur. Qui-
„qui fere de ipſo ſcripſerunt (ſcripſerunt autem
„quamplurimi) id non ſine ſingulari nota & præ-
„dicatione fecerunt, teſtes plerique domeſtici, qui
„conſuetudine familiari lumen illud virtutis & in-
„genii quotidie coram intuebantur: quorum te-
„ſtimonium tanto majoris eſt momenti, quantò
„difficiliùs occuluntur nævi apud inſpectores aſ-
„ſiduos.“

Sic encomiorum, ad *Noſtrum* pertinentium, & *Sectionis II.* finis eſto.

Sectio *III.*
Doctrina Noſtri & Scripta.

De doctrina *Matthæi* LANGII Scriptisque eius tractaturus ſuperfluum fore arbitror, ea repetere, quæ de ſtudiis in *Ingolſtadienſi* & *Viennenſi* Univerſitatibus, in quibus per ea tempora optimi artium ac ſcientiarum Profeſſores clareſcebant, probe à *Noſtro* excultis monui, Certe quis fuerit eô annô, quô LANGIUS ſtudiorum cauſſa *Ingolſtadii* commoratus eſt, Academiæ ſtatus, diſci poteſt ex *Annalibus* à *Io. Nepom.* MEDERER editis. *Viennenſis* autem Univerſitatis faciem ad annum 1486. ſic deſcripſit *Georg.* EDERUS in *Catalogo Rectorum & Virorum illuſtrium &c.* „Præ ceteris Phi-„loſophiæ diſciplinis celeberrimum fuit circa hæc „tempora Theologiæ ſtudium & Juris pontificii; „quorum nomine illuſtres habentur: *Theologi*, „Ioannes Harrer; Andreas de Potenprun; Petrus „de Corona; Oſwaldus Ludovici ex Weykerſdorff: „*Canoniſtæ*, Auguſtinus de Elbing; Michael Loch-„mayr de Heydegg; Ioannes Kaltenmarkhter: „*Medici*, Caſparus Grueſſenpeck; Paulus Urſn-„peck; et Ioannes Munſterberg inſignis Mathema-„ticus.“ Horum vero plures à *Noſtro* auditos fuiſſe, plane credibile facit *Richardus* BARTHOLINUS ſæpius à me citatus; dum de illius juventute, quà ſcientiarum ſtudia reſpicit, in hæc verba cecinit(*a*):

Quod mentis acumen
In puero eluxit? Studiorum quantus in illo
Præmaturus amor? Quantum profecerit, ipſa
Miratur Pallas: ſive aſtra polique rotatus,
Seu vim ſigniferi; ſeu res præceptaque morum
Inqui-

(*a*) In *Hodæporico* inter FREHERI *Script. Rer. Germ. T. II. p.* 668.

Inquirat; terræque amnes atque æquora ponti;
Quæque ſub occaſu gentes ſint, quæque ſub ortu;
Ut fluat Oceanus, quam longo margine tellus
Claudatur, qua parte gelu coit, æquor, & undæ;
Nigris inventus deſcendat Nilus ab Indis.
Differit hoc melius nemo. Suadela, Venuſque
Seſſitat in labris: quo fante pependit in æthra
Ales ſæpe, ſuosque oblita eſt incuba nidos:
Divinique animi ſtupuere: undasque ſilentes
Firmatas vidi, atque auritas currere quercus.
Os etiam ſublime datum, poſituſque ſub alta
Majeſtate decor, gravitas, præſentia, motus
Diis ſimilem efficiunt.

In *eloquentia* quidem quantum profecerit, teſtimonio eſt dolor, quô idem BARTHOLINUS (*b*) ſe affectum fuiſſe affirmat, quòd orationi extemporaneæ, à *Noſtro* habitæ, intereſſe ſibi non licuerit: *De adventu Regum cum ultro citroque diſceptatum fuiſſet, Oratores à Caſare redeundi licentiam accepere, quibus ut ex ſententia factum ſatis videretur, Gurcenſis etiam Orationem habuit: utpote qui heſternæ concioni vel reſpondendo quippiam adderet, vel quia Cæſar, tanto Viro dicente, maiorem in Reges affectum oſtenderet. Hoc compertum habeo, longam ſatis, ſed citra faſtidium, ornatamque Orationem extemporaliter habuiſſe. Quod poſtquam reſcivi, animo mirum in modum, non interfuiſſe, diſcruciatus ſum. Nam quam erudite ſapienterque verba faciat, Princeps omnium mortalium ad unguem perfectiſſimus abſolutiſſimusque, ſæpius & audivi & admiratus ſum. Nam eius ex ore mel fluere, quam verba (ut in Neſtore Homerico) potius dixerim, talemque dicendi ſuadelam Veneremque, qualis in Periclis labris ſeſſitaſſe fertur, percipi. Ut propo-*
nit

(*b*) *Ibidem*, p. 649.

nit breviter ac dilucide; ut ornate dividit; ut diſputat ſubtiliter; ut reſumptionem rerum in fine feliciſſime proſequitur. Quod ſi alicui reſpondendi detur provincia, profecto vidi neminem, qui maiore memoria ſuperflua non ignarus præterierit: partium ordini denſius reſponderit: brevius concluſerit: ac, ubi neceſſitas cogit, erudita quadam latitudine, ſine diſpendio tum verborum tum temporum, concinnius Orationem diffuderit. Non abſimile facundiæ Noſtri teſtimonium perhibuit *Pierius* VALERIANUS, qui, poſtquam *Cardinalem* noſtrum, *Romam* ingredientem, â Cardinale Epiſcopo *Strigonienſi* fronte hilari compellatum, et Pontificis ac ſacroſancti Collegii nomine ſalvere juſſum fuiſſe monuerat, ſubdit: *Matthæus vero minime ad loquendum ineptus omnibus pro re, loco, tempore, luculenter & ſcite adeo reſpondit, ut magna nobilium convenarum corona facta, ex affabilitate atque prudentia omnibus e veſtigio ſeſe præſtiterit admirandum.* Audiamus quoque *Io. Dominic.* HESSUM in *Catalogo* metrico *Antiſtitum Salisburgenſium* canentem:

Qualis commendat Ulyſſen,
Qualis et Aeneam, talis quoque Muſa deceret
Matthæum, Heroum qui ſplendor & ornamentum
Grande, ſuique fuit decus admirabile ſæcli.
Neſtora mirentur Græci, cui verba fluebant
Mellea; ad aſtra vehant Ciceronem laude Latini,
Libera cum patriæ dicebat Roma parentem.
Vix fuit inferior noſtri facundia Patris,
Quæ reges, rerum Dominos, ipſumque tenebat,
Attonitum fando, ſanctum cum Cæſare Papam &c.

Artem quoque *poeticam* minime invitâ Minervâ tractaviſſe *Matthæum*, iſtud credibile facit, quod ſingulari Poëtas amore proſecutus ſit: cuius rei luculentum teſtimonium perhibet *Ian. Franc.*

VITA-

VITALIS, in *Panegyri* LANGIO ſcripta ſic canens:

Cui nomen utrumque,
Principis *et* Vatis, *merito memoranda dedêre*
Facta: ſub auſpiciis cuius ſecura Poetæ
Credunt vela mari, Zephyris adjuta ſecundis.

Et rurſus:

Namque tua gaudent ſub tempeſtate Poëtæ
Laurigeri — — — — —

VITALI jungere oportet *Conradum* CELTEM *Portuccium*, cuius ex *Odarum Libro IV.* diſcimus, *Matthæum* noſtrum *Collegio Poetarum Vienneſi* ineunte ſæculo decimo ſexto à *Maximiliano I.* condito *patrocinium* impendiſſe. Namque in *Ode II.* eum, *Collegii Poetarum Patronum* vocans, in hæc verba canit:

Matthæe cunctis candide poſteris
Legendus, aures ſi dederis mihi,
Utrumque noſtrûm quo perennis
Gloria perpetuos manebit.
— — — — —
— — — — —
Dum docta vates carmina Teutoni
Tibi reponent, teque ſuum *canent*
Collegio *erecto* Patronum,
Pieridum *et venerandum* amicum.

Hinc idem CELTES, *Noſtri* in vates benevolentiam cognitam habens, poſtquam itinera, quæ jam fecerat, enumeravit, rogat *Matthæum*, ut aliud iter in *Arctoas* regiones, quod animo ſuo propoſitum *Portuccius* habebat, potenti apud *Maximilianum I.* commendatione adjuvaret: in quem finem ſubdit:

Reſtat ſub Arcton cernere Thetios
Rigentes undas, littora, & inſulas,

Natu-

Natura quà finem gelato
Fecerat imperioſa cœlo.
Opus patrono eſt hîc mihi maximo,
Hanc conſequamur quomodo gloriam,
Ut latitudo, longitudo &
Teutonicis habeatur oris.
Hinc Regis *aures ſollicitus petes*
Ut ille noſtris æra *laboribus*
Condonet, *aut* commendet illis
Regibus, *quos habet alter orbis.*

Et votorum ſuorum, *Noſtro* interveniente, damnatum fuiſſe CELTEM, perſuadent mox ſequentes *Odæ III.* & *IV.* in quibus *de enavigatione Sinûs Codoni*, melius *Codani*, hodie *Baltici*: et *de Lapponibus ſylveſtribus, ſituque Livoniæ* Poeta canit.

Neque politiora duntaxat ſtudia coluit *Matthæus*, ſed etiam ſeverioribus gravioribuſque ſeſe confecravit. In *Theologicis* quam peritus extiterit, *Georg. Benignus, Ord. S. Franc.* Theologiæ Profeſſor, Epiſcopus *Callienſis* in *Umbria*, dein *Nazarenus* Archiepiſcopus teſtatum reliquit (*c*), dicens: *Quum Oeniponte.. Cæſarea Majeſtas RRmum Legatum Apoſtolicum* (Bernardinum Carvagialem Cardinalem S. Crucis) *ad cœnam invitavit, & tua Paternitas acerrimo illo, quo in cæteris utitur & in omnibus valet, ingenio nonnulla de Unitate deque ſumma illa Trinitate* (Innuit doctam illam diſputationem inter epulandum habitam, de qua ſuperius in *Vita* dixi) *acutiſſime proponeret: illeque in omni ſcientiarum genere eruditiſſimus Legatus, tanquam Apollinis oraculum reſponderet; tunc imperatoria Majeſtas, tanquam oblita epularum & vehemen-*

(*c*) In *Nuncupatoria* Operis: *De Trinitate*, quod *manuſcriptum* inter Codices Cæſareos habetur: et quod in *Noſtro* dedicavit.

ſementiſſimarum apud mortales voluptatum, toto animo in Deum ferri videbatur, ac de his, quæ diſputabantur, ſummam ipſe quoque et interrogando & reſpondendo capere voluptatem. Quibus ex rebus Celſitudinem ſuam in contemplatione divinarum rerum, et in illa ſuprema et ſumma genealogia ſummopere oblectari concluſimus. Hæc itaque oblectabunt ipſius divinum ingenium, neque tuæ Paternitati obſervantiſſimæ, cui tanquam acutiſſimo, omnia acuta voluptatem præbent, diſplicebunt; quam & ſupplex oro, quo apud Cæſaream Amplitudinem velit mihi eſſe bonus Mecænas &c.

Hunc certe inter convivandum de rebus quæſtionibúſque litteratis amicè diſputandi morem ſtrenuè coluiſſe *Noſtrum*, invicto argumento ſunt inde in lucem publicam, obſtetricante *Conr.* PEUTINGERO Viro longe doctiſſimo, & bonarum litterarum per *Germaniam* illis temporibus inſtauratore ſollertiſſimo procuſi *Sermones convivales*; nam cùm *Ioannes* CAPER Theologiæ Doctor, *Bernardus* VALDKIRCHIUS & *Hieronymus* LOCHNER Canonici, *Sebaſtianus* ILLSUNG, *Conr.* PEUTINGERUS, *Ioannes* JUNG ſenior & *Ioannes* OTTO Medici à *Noſtro* ad convivium laute inſtructum vocati fuiſſent, deque variis tum ſacris tum profanis antiquitatibus, veterum *Diepnoſophiſtarum* more, *Noſtro* Sympoſiarcham agente, ſermones contuliſſent: ex iis PEUTINGERUS anſam arripuit, ſupra memoratum Opus in lucem proferendi (*d*).

Singulari deinde ſtudio in colligendis *Veterum Monumentis* & *Antiquitatibus* verſabatur *Matthæus*. Sic inventam anno 1502. in agro *Carinthiæ Solvenſi* æneam ſtatuam virilem ſuam fecit, & de-

inde

(*d*) Vide *Vitam Conr.* PEUTINGERI à me anno 1783. editam, *pag.* 72. Item ipſos PEUTINGERI *Sermones convivales*.

Medicum *Auguſtanum*, qui in *Libro ſelectarum Cantionum*, *quas vulgo Mutetas appellant.* 1520. in folio,

que (Ut ad laudes, quæ ad *Noſtrum* à doctrina, quâ valuit, redeunt, propius accedam) debet ei orbis literatus *Alſaharavium* Medicum Arabem, quem *Noſter* a ſe, neſcio ubi, inventum atque è tenebris erutum anno 1519. *Auguſtæ Vindel.* in *folio* publicavit hoc titulo: *Liber Theoricæ nec non Practicæ* ALSAHARAVII *in priſco Arabum Medicorum conventu facile principis, qui vulgò Acararius dicitur, jam ſumma diligentia & cura depromptus in lucem.* Antequam hoc Opus foras emitteret *Noſter*, utut ipſe per ſe ſatis doctus; tamen *Paulo* RICCIO mox laudato illud tranſmiſit, Viri huius maximi judicium deſuper exquiſiturus. Qui cum in hanc ſententiam reſcripſiſſet: *Admirari ſatis nequeo, quænam ſors atra & quis nubilus ſyderum vultus præclara huius Viri monumenta aſpexerit: quòd, ad hanc uſque diem cæco carcere clauſus, luce & multorum ſtudioſorum Virorum (præter unicum Matthæum de* GRADO *Virum medica facultate percelébrem, tuius ore paſſim* Alſaharavii *verſatur autoritas) intuitu & lectione caruerit; quem utique... nullo Medicorum, poſt medicinæ parentem* Hippocratem *eiusque interpretem* Galenum, *inferiorem dicere minime erubeſco &c.* Atque ob eam rem, GRIMMUM vehementer ad illum edendum cohortatus eſſet; *Noſter* haud diutius ſibi differendum judicavit, quin eum luci publicæ ſuo ingenio ſuoque (ut aiunt) Marte exponeret. Liber eſt perrarus, nec iteratis typis editus, etſi iisdem *ob ſui raritatem* plane digniſſimus, teſte *Chriſt. Gul.* KESTNERO in *Biblioth. medic. p.* 137. qui tamen in eo errat, quod hunc Librum junctis RICCII & GRIMMI viribus prodiviſſe dicat; cum laus iſta ad ſolum GRIMMUM pertineat. Confer CLEMENT *Bibliotheque hiſtorique & critique &c.* Ego nil addere habeo, quam alium GRIMMUM, cognomine *Simonem*, *Auguſtanum*, haud dubie ex poſteris *Noſtri*, *Diſſertationem* inauguralem *de Profanatione Rei ſacræ*, pro capeſſenda *Doctorat's in Jure* laurea, *Gieſſæ Haſſorum.* 1687. in 4to. edidiſſe. Confer Librum: *Unſchuldige Nachrichten. T. XL. p.* 557.

lio, *Auguſtæ* a ſe excuſo his verbis *Noſtrum* affatur: *Sed cur apud te, Reverendiſſime Princeps! Muſicen tam multo celebramus ſermone, aut eius exaggerare dignitatem ſtudemus, cui tu ipſe ampliſſimo ornamento eſſe poſſis. Satis enim conſtat excellentiſſimam dignitatem tuam, ſcientem hanc ipſam Muſicen eſſe optimam nobiliſſimi otii miniſtram, ſemper tibi fuiſſe loco cuiuſdam atque omnium fideliſſimi commilitonis, muſicæque expertes, immodulabileſque (veluti prophanos) à ſacris penetralibus tuis procul ablegatos. Quam ob rem cum aliquot numeros muſicæ, non eius quidem, quæ hodie in choris puellarum ſaltationibusque, laſcivis carminibus, perſtrepit levis ac plane frivola, ſed gravis illius, ac inprimis principum virorum auribus digna harmoniæ, quæ receptiori nomine* Mutetæ *vocantur, publicare ferebat animus, laborioſiſſimo hoc immodicæque impenſæ Opere recognitas, ab præclaro artis ipſius excultore, Ludovico* SENFELIO *Helvetio illo, qui Muſicam Cæſaris Maximiliani Capellam, poſt inclyti Præceptoris ſui Iſaci* ORPHEI *Germani exceſſum, illuſtrarat, hoc ipſum Opus ſub nomine tuo, — — — in lucem prodire curavimus.* Confer, ſi lubet, *Perilluſtris Pauli à* STETTEN *iunioris* Librum: *Kunſt-Gewerb-und Handwercks-Geſchichte von Augſpurg T. I. p.* 525.

His aliiſque doctrinæ præſidiis & ſcientiarum ornamentis inſtructum dum cogito *Matthæum*, nihil poſthac miror, Viros eius ætatis doctiſſimos teſtimoniis longe ampliſſimis *Noſtrum* â doctrina certatim prædicaſſe. Horum nonnulla in medium proferre, haud abs re erit *Iano Franciſco* VITALI Noſter *omni bonarum artium diſciplina excultiſſimus* audit. A *Georgio* BENIGNO, paulo ante laudato *Vir in divinis ac humanis litteris eruditus*,

acer-

acerrimo in omnibus valens ingenio appellatur. *Jacobus* WIMPFELINGUS eum cum Viris eruditionis laude per id ætatis clariſſimis annumerans ait: *Nonne Matthæus* LANGIUS .. *doctrinam cum facundia conjunxit, doctosque in pretio habet ac fovet?* VADIANUS non ſolum *eruditiſſimum* vocat, ſed etiam tantum doctrinæ eius tribuit, ut communem Reipublicæ litteratæ Iudicem conſtituat; quippe *qui uno omnium doctorum ore, uno optimorum quorumque, qui eum noviſſent, conſenſu is eſſe judicaretur, in cuius conſpectum debeant, quotquot eduntur, illuſtrium ingeniorum monumenta venire: non tam ut iſtorum officio ille ei honor, quem ampliſſimum conſecutus eſſet, augeatur ac confirmetur; quam ut ſcire poſſint, dignum ſit luce ac lectione, necne, quod edunt.* Tum ſubdit: *Hoc enim tibi, celſiſſime Princeps! ſupra multorum Principum fortunas peculiare acceſſit, ut judicare et diſcernere in omnium illuſtrium doctrinarum inſtituta contentione, quid optimum, quidve optimo proximum ſit, perfacile poſſis.* His accedit *Petrus Tergeſtinus epiſcopus*, ſequentibus Noſtrum verbis compellans (*h*): *Sollertiſſimus es ingeniorum noſtri temporis cenſor .... Quamvis ſacratiſſimi Cæſaris Maximiliani maximo negotiorum pondere deprimaris, ut vix â laboribus reſpirare liceat, nihil tibi ſuavius, quam cum Viris doctis verſari, & litterarum ſtudioſis oblectari plurimum, inter quos mihi, pace dixerim aliorum, primum tenere locum videris.* Eandem cenſoriam in Republica litteraria autoritatem *Noſtro* attribuit *Ioannes* FABER in *Nuncupatoria* ad *Orationem funebrem in Maximilianum I.* dicens: *Eam Orationem tibi dedico ... quo tutior in lucem prodeat... Quis enim improbabit, quod à Principe doctiſſimo & omnium rerum expertiſſimo fuerit*

(*h*) V. PEUTINGERI *Sermon. convival.*

rit approbatum? Et poſtquam monuit, Poëtas, Oratores, ſeu cuiusvis doctrinæ homines quamplurimos à *Maximiliano I.* ad honores publicos evectos fuiſſe, eius rei teſtes inter, primo cum Viris illius ætatis doctrinâ principibus (puta *Eraſmo*, *Reuchlino*, *Peutingero*, *Stabio*, *Cuſpiniano*, *Zaſio &c,*) locô *Noſtrum* commemorat. *Ioannes* STAMLERUS *diſciplinarum fere omnium auditorem & defenſorem acerrimum* appellat, eumque à *gravi, nobili & magnificentiſſimo ingenio* commendavit. Verum quid huiusmodi præconia accumulo, quæ ſi perſequi univerſa vellem, et dicendi finem non inveniam, & brevitatis propoſitæ fines excedam: tum etiam benevoli Lectoris patientiam ipſa eorum multitudine certiſſime obtundam? Itaque finiat *Franciſcus* IRENICUS ſupra laudatus, qui in hæc verba de *Noſtro* ſcribit: *Superſunt ætate noſtra illuſtriſſimi ac mirabiles rerum ſcientiâ Viri: pace tamen omnium, tria Germanorum lumina, et hæc ſola cæteris præſtare mihi perſuaſum eſt, quorum excellentiæ omnis libero ac ſolido animo, quantamcunque meſſem in litteris fecerit, ultrò cedere, ac illis palmam tribuere minus erubeſceret. Primus illorum, amplitudinis ſummæ gratia, nobis Reverendiſſimus Gurcenſis Cardinalis appellandus eſt, qui, ſola virtute, Principis nomen ingenii ſublimitati adjiciens, omnes felicitatis calculos conjungens, et ex triplicis generis bonorum, nulli hominum alteri conceſſorum, conjunctione in unum plenæ ac abſolutæ perfectionis Virum abivit, membrorum firmitate, dotibus animi, tum et ampliſſimo ſacerdotio præditus, ſummum jus apud Maximilianum, quem ut proprium ſibi devinxit, aſſecutus eſt, et quod longe honeſtiſſimum eſt, præ cæteris politiora ingeniorum ſtudia alit, colit, ſuſtentat atque conſervat. Huic quid-*

quid

quid feliciori ingenio productum eſt; politiori facundia perfectum eſt, plus aliô Germanô arridet. Quare adducti ſumus, et Germanias noſtras ipſi, ut Germanorum abſolutiſſimo, ſive eius nomini conſecrare.

Tanta dein doctrinæ *Langianæ* opinio & exiſtimatio tanta Litteratorum eius temporis animos pervaſerat, ut ſatis non habuerint, eam ſummis laudibus ad aitra extuliſſe; ſed multum etiam gloriæ atque famæ publicæ ſuorum ingeniorum partubus acceſſurum putarint, ſicubi eoſdem nomini *Langiano* inſcriberent, et ad eius veluti quoddam eruditionis tribunal deponerent. Sic *Conrad.* PEUTINGERUS *Sermones ſuos convivales*: ſic *Ioannes* STAMLERUS (*i*) Opus ſuum *de diverſarum gentium*

 ſectis:

(i) *Ioannes* STAMLER *Auguſtanus*, adultior factus, *Tubingæ* anno 1492. eius Academiæ albo nomen ſuum dedit, teſte CRUSIO in *Annal. Suevic. Dod. III. p.* 496. Eundem *multarum gentium peregrinatorem fuiſſe, multorum populorum mores vidiſſe, doctos non ſine pingui lucro auſcultaſſe*, â *Jacobo* LOCHERO *Philomuſo* docemur. Demum temporum decurſu Parochus *Kiſſingæ*, pago ab urbe *Auguſta* ſpatio unius milliaris diſſito conſtitutus, hortatu memorati LOCHERI ſcripſit, ediditque anno 1508. in *folio*, ſequens Opus: *Dialogus in modum comici Dramatis formatus, a Ioanne Stamler presbytero ſuccincte digeſtus, de Tartarorum, Saracenorum, Turcorum, Judæorum & Gentilium Sectis & Religionibus, ac eorundem confutatione, & cum noſtræ apoſtolicæ Fidei hiſtoriarum, figurarumque, præterea utriusque Teſtamenti ſacrarum Scripturarum compendioſe inſertarum approbatione.* Eſt *Auguſtæ* per *Erhardum Oeglin*, & *Georgium Nadler* (non *Erhardum Ratdolt*, ut male habet *Carol.* STENGELIUS in *Comment. Rer. Auguſt. p.* 256.) excuſus, quem, ut ſupra moneo, *Langio* noſtro dicavit. Laudavit Opus pluribus *Iacobus Philomuſus*, ſibique et doctis contubernalibus ſuis placuiſſe: æquis etiam Lectoribus & minus faſtidioſis apprime placiturum eſſe, *Noſtro*

aſſe-

ſeſtis: ſic *Ianus Franciſcus* VITALIS *Panegyrin* ſuam: ſic *Georgius* BENIGNUS Opus *de ſumma Trinitate*: ſic *Sigiſmundus* GRIMMUS *Librum ſelectarum Cantionum*, *quas vulgò Mutetas appellant*; uti ſupra innuimus: ſic *Ioachimus* VADIANUS *Richardi* BARTHOLINI *Auſtriadem*: ſic *Ioannes* FABER *Orationem in obitum Maximiliani Cæſaris* a ſe habitam: ſic *Franciſcus* IRENICUS *Exegeſin Germaniæ*, ſaltem ex parte: ſic *Caſpar* URSINUS *Velius*, Doctor & Poeta laureatus, ſuum *in D. Maximilianum Cæſar. Epicœdion*: ſic *Georg.* TANNSTETTER, Phyſicus & Mathematicus clariſſimus, ſuum *Iudicium aſtronomicum Viennenſe anni* 15 9. itemque *anni* 15 0: ſic *Blaſius* PROFUS *Inticanus* ſuum *ad Ioannem Fabri* Præpoſitum *Budenſem Epigramma*: ſic *Chriſtoph.* CULBERUS, Rector Academiæ *Viennenſis*, *Orationes Viennæ Auſtriæ ad D. Maximilianum*

aſſeveravit. Contra ſenſit *Conrad.* GESNERUS in *Bibliotn. univerſali* dicens: *Eſt Dialogus iſte a Stamlero, adhuc juvene, ſcriptus ſermone non ſatis latino & affectato, de Tartarorum, Saracenorum, Turcorum, Judæorum & Gentilium ſectis & religionibus, cum eorundem confutatione, & approbatione noſtræ Fidei hiſtoriarum figurarúmque per utriusque Teſtamenti Scripturas. Accedunt & Annotationes paſſim in marginibus.* Utcunque ſe iſtud habeat, Liber eſt admodum infrequens, et in Bibliothecis non niſi rariſſime invenitur. Confer, ſi lubet, G. G. ZAPFII *Annales Typograph. Auguſtanæ*, ad annum 1508. IIo. Alium *Dialogum MSStum.* noſtri *Ioannis*, *in Religions & Juris Detractores*, Foliis ſeptendecim conſtantem, ſervat *Bibliotheca San - Udalricani Monaſterii*, *Auguſtæ*. Interlocutores ſunt *Stilpho*: *Amarillus*: *Callimachus* ſenex; Incipit: *Miror artificium meum &c. &c.* Allegat *Noſtrum Ioannes* ECCIUS in Libro: *Ains Juden Buchlins Verlegung* (melius *Widerlegung*) *Ingolſtadt* 1541. ubi *Ioannem* noſtrum *Doctorem* & *Canonicum Brixinenſis* Eccleſiæ cathedralis vocat.

num Cæſ. Aug. aliosque illuſtriſſimos Principes in celeberrimo trium Regum ad Cæſarem Conventu, anno 1515. *habitas Noſtro* dedicarunt: et ſi qui ſunt alii, quos brevitatis gratiâ omitto.

Eratque profecto dignum ac condecens, tantis obſequiis coli Virum, qui tum litteras ipſus apprime coluit, tum eas earumque aſſeclas ſovere atque adjuvare modis omnibus conatus eſt. Nam non ſolum eos ipſe per ſeſe benevolentia, honore, & munificentia mira proſecutus eſt; ſed etiam impetratis â Cæſare honorificentiſſimis privilegiis atque immunitatibus ornare atque augere pro viribus et auctoritate, qua valuit, maxima ſtrenue allaboravit: adeo ut inter primos eius ætatis Litteratorum Mecænates, et optimarum litterarum per *Germaniam* inſtauratores præcipuos jure meritiſſimo connumeretur. Hinc optime *Georgius* TANNSTETTERUS Archiater Cæſareus in *Iudicio aſtronomico Viennenſi, anni* 1520. *Matthæum* noſtrum *Litteratorum omnium, quos Germania aut peperit, aut etiamnum parturit, unicum et præſidium & ornamentum* vocat. *Vinandus* autem PIGHIUS in *Hercule Prodicio, Antiquitatum et virtutum omnium ſummum cultorem et admiratorem, doctorumque Virorum ſui temporis Mæcenatem maximum* nuncupat.

Hanc *Noſtri* erga doctos benevolentiam ac liberalitatem ut argumento quodam certiſſimo, et luculentiſſimo teſtimonio confirmem, libet adducere locum, ſatis quidem prolixum, ſed ad propoſitum maxime facientem, ex Epiſtola *Eraſmi Roterodami* ad *Petrum* CURTIUM Rhetorem in Academia *Romana* clariſſimum anno 1535. data: in qua cum *Eraſmus* amicum monuiſſet, ſe, *Matthæo* noſtro *Româ* in *Germaniam* reverſo, dediſſe

litteras ad Aulæ eius Præfectum, ut comperiret: *quidnam bonæ ſpei de componendis diſſidiis: & reſarcienda concordia chriſtiana Cardinalis attuliſſet*, ſubjicit: „Qui (Aulæ ſcilicet Præfectus). cum pri„mum epiſtolam aperuiſſet, et manum meam jam „diu ſuis oculis familiarem agnoviſſet, ad *Cardina„lem* ſtatim accurrit, nunciatque litteras eſſe ab *E„raſmo*. Quo audito *Cardinalis* ſuaviter ſubridens, „*egregie*, inquit, *nobiſcum agitur*, *quod Eraſmus lit„teris ſuis inviſat*; *nam annus mihi eſſe videtur*, *ex „quo ne apicem quidem ab eo litterarum conſpexi*. „Quid multis? Recitari eas juſſit, et ſub finem „earum magna mea cum laude, quod de pacando „religionis ſtatu ſollicitus eſſem, plane regia et „tali Principe digna verba in frequentiſſimo illius „Aulæ theatro protulit, *nihil ſe uſquam habere*, „*quod doctorum Virorum proprium eſſe nolit*; mul„taque alia de me adjunxit, quæ modeſtiæ cauſa „prudens omitto. Sed unum tamen hoc præteri„re non poſſum, quod aureum poculum artificio„ſiſſime cælatum, quod tum congerronibus ſuis „forte oſtendebat, transmitti ad me, veluti mne„moſynon animi erga me ſui, voluerit, ut decla„raret, gratam ſibi fuiſſe ſollicitudinem meam. „Quo ego profecto ita fui ob Phidiacum plane ar„tificium delectatus, ut profeſſus ſim inter docti„ſſimos et ſcitiſſimos compotores meos, qui tum „aderant, inter quos fuit *D. Rhenanus*, et *Hen„ricus Glareanus*; hic poeticæ, quæ bibax eſſe ſo„let; ille hiſtoriæ deditus, me non alio poculo „vel pharmacum adverſus calculum, vel ad ex„ſtinguendam ſitim liquorem ſumpturum eſſe: nam „operculum, quod paulo infra crepidinem *Æſcu„lapium* tornatilem habebat, medicinæ propi„nandæ fabrefactum datâ operâ videbatur: Cya-

„thus

„thus ipſe non mediocris capacitatis, σκιρτῶντας „circum habebat Satyros, et in eorum medio „Bacchum ebrioſulum, tanta (ita me Deus a„met) elegantia, ut jam *Praxitelis* opera mi„hi ſordere perfacile poſſint. Sed hæc præter „rem. Perlectis literis meis, reſponderi mihi juſ„ſit, *Paulum III. Pontificem maximum ab ipſa ſta„tim electione pollicitum eſſe ſibi*, & *Reverendiſſimo in „Chriſto Patri et Domino D. Bernardo Cardinali „Tridentino: Concilium ſe congregaturum, ut infi„nita malorum examina apud Germanos funditus „exſtirpentur, et eradicentur. Reliquum eſſe, ut ip„ſi homines eruditos et cordatos paſſim in Germania „cohortentur, ut Religioni ferre ſuppetias velint.* „E quibus plusquam monogrammum ampliſſimus „Præſul me primum nominare decrevit. Sed ta„men committere non voluit, quin me de non„nullorum impudentia, de quibus Romæ intelle„xerat, admoneret, qui *Theoninis* dentibus famam „meam arroderent, et lacerarent. Idque eo con„ſilio fecit prudentiſſimus, et hoc prope facto il„luſtriſſimus Princeps, ut labes mihi adſperſas prius „abſtergerem, quam huic ſtudio me præpararem". Hæc *Eraſmus* ſat gravis idoneusque teſtis; cui adjungere licet *Caſp. Urſin.* VELIUM, qui *Noſtro* aliquamdiu *a ſecretis Epiſtolis* fuit, & qui in *Epicœdio in Maximilianum I.* collata ſibi à *Noſtro* beneficia multis deprædicat, ac peramplas ei gratias agit, quod *commendationis Noſtri autoritate* (ut ait) à mox memorato Cæſare, in conventu ſpectatiſſimorum Virorum, *hilariter & ambabus, quod dicunt, manibus laureâ coronâ inſignitus fuerit*: quod gratiæ genus pluribus Poëtarum eius ætatis pro ſummo, quo in illos ferebatur, ſtudio procuraviſſe *Noſtrum*, dubitare nullo modo licet.

Tantum erga Litteratos amorem cum palam oſtenderit *Matthæus*, nil miror, eundem à Viris illorum temporum doctiſſimis crebris *Epiſtolis* compellatum fuiſſe. Vidimus de hoc ſuperius, ubi *Nuncupatorias* eorundem, ad *Noſtrum* directas, recenſui. Quare, ut brevis ſim, Viris doctis hactenus nominatis tres ſolos, ſed hos famæ longè maximæ, iſtô locô addam. I. *Ioannem Franciſcum* MIRANDULANUM, qui ê terris ſuis à fratre *Ludovico* extorris factus, dum vitam profugam *Argentinæ* egit, inde ſcripta anno 1505. 4. Cal. Majas *Epiſtola* afflictis rebus ſuis à *Noſtro*, cuius patrocinium maximi apud *Maximilianum* momenti eſſe noverat, opem imploravit. Eſt autem Epiſtola illa eiusmodi concepta verbis, ut facile pateat, intimiorem *Mirandulano* amicitiam cum *Noſtro* fuiſſe. Ait enim: *Potuiſſem vacuus reverti ad Cæſarem. Malui dare litteras, quia non erubeſcunt; ex quibus intelliges, nihil actum eſſe in re mea. Tu pro tua in omnes humanitate, & in me benevolentia curabis, ne fruſtrer voto.... Tuus jam ſum; da operam, ut magis fiam. Laconicè ſcripſi... ſed tibi linea pro ſchedula...* (*k*). Neque dubitare licet, *Noſtrum* pro viribus amico ſuccurriſſe, II. *Ioannem* REUCHLINUM, à quo, binis imploratus litteris, per *Sebaſtianum* SPERANTIUM ſuum, cæſareumque Secretarium nuntiare ſupplicanti juſſit: ſe eius patrocinium *cum omni favore et diligentia ſuſcepturum, et apud Cæſarem haud dubie effecturum, ut iſte ſua auctoritate omnes illas diſſenſiones* (ſat notas Eruditis) quantocyus *extinguat* (*l*). III. *Ioan-*

(*k*) V. *Opp. T. II. p.* 1338. *Edit. Baſileenſ. de anno* 1573.
(*l*) V. *Illuſtrium Virorum Epiſtolas ad Io.* REUCHLINUM. 4to.

III. *Ioannem* TRITHEMIUM *Ord. S Bened.* Abbatem, cuius habetur *Epiſtola* (*m*) ad *Noſtrum* anno 1507. *Herbipoli* 1. Septembr. data, qua certior fieri cupit, utrum ire ad Cæſarem *Maximilianum I.* debeat? Sæpius videlicet Princeps iſte (ut erat in Viris doctis ad ſe evocandis apprime curioſus) *Trithemium*, nil dubito *Noſtro* ſtimulante, invitârat, ut in aulam ſeſe conferret. Paruit is vocationi tertiæ, annoque 1508. *Moguntiam* delatus, ibi a *Bernardino* CARVAGIALE Cardinale & Legato apoſtolico, una cum *Matthæo* noſtro, & Archiepiſcopo *Moguntino*, convivio exceptus eſt. Inde vero eum *Noſter* die 26. Maii *Coloniam Agrippinam* ad Cæſarem honorifice deduxit, vocationis ſuæ cauſſam doctaque mandata ex ore ipſius Principis percepturum.

Sed modo tempus monet, ad litteraria *Noſtri* monumenta recenſenda tranſire. Hæc ſunt.

I. *Oratio habita Bononiæ à Noſtro coram Iulio II. annô MDXI.* Huius ſummam ſervavit nobis *Michael* COCCINIUS *Tubingenſis* in Libro *de Bello Maximiliani I. cum Venetis*, ſub initia ſæculi XVI. in *folio* parvo excuſo: quem poſtea *Marquardus* FREHERUS ſuis *Scriptoribus Rerum Germanicarum*, *T. II.* inſeruit, ubi vide, *p.* 542. Atque utinam integram nobis idem COCCINIUS reliquiſſet! Hæc eſt *Oratio* illa, ob quam *Noſter* à GUICCIARDINO nimiæ arrogantiæ immerito accuſatus fuit.

II. *Epiſtolæ complures*, tum *latino* tum *gallico* ſermone ſcriptæ, *ab anno* 1510. *in annum* 1514. ad *Andream de* BURGO Imperatoris *Maximiliani I.* plurium annorum ſpatio in aula Regis *Galliæ* Legatum:

(*m*) V. Eius *Epiſtol. familiar.* 335. *b. Hagenoæ.* 1536. Confer *Hiſtoriam litterar. Ord. S. Bened. T. III. p.* 291. 292.

gatum: ad *Stephanum de* PONCHER Epiſcopum *Pariſienſem*: ad *Margaritam* filiam *Maximiliani I.* Gubernatricem *Belgii*: ad *Maximilianum* SFORTIAM Ducem *Mediolanenſem*: ad *Maximilianum I.* Romanorum Imperatorem. Habes eas in Libro: *Lettres du Roy Louis XII. & du Cardinal George d' Amboiſe. à Bruſſelle.* 1712. quem, ſi lubet, conſulas, ut magis intelligas, quanta publicorum negotiorum tractandorum peritia in *Noſtro* reſederit.

III. *Schedula lecta per Noſtrum in Seſſione III. Concilii Lateranenſis V.* quâ Conciliabulum *Piſanum* reſpuit, econtra *Lateranenſe* Concilium amplectitur. Extat in *Collect. Conciliorum* LABBEI & COSSARTII. *Edit. Venetæ*, de anno 1732. *Tom. XIX. p.* 733. & in DU-MONT *Corps diplomatique T. IV. P. I. p.* 150.

IV. *Litteræ* vernaculè ſcriptæ *ad venerabilem Fratrem, Amicum chariſſimum, Dominum Philippum Epiſcopum Friſingenſem, anno* 1519. *die penultima Auguſti*, quibus eum rogat, ut ſibi *Conſecrationem archiepiſcopalem* impendat. Exhibet illas, nemini antea obſervatas, *Carol.* MEICHELBECKIUS in *Hiſt. Friſing. T. II. p.* 296. Vide ſupra, in *Vita*, ad hunc annum.

V. *Mandatum ad Clerum, datum in oppido Mühldorf, anno MDXXII.* Hoc *Florianus* DALHAM Presbyter *è Scholis piis*, Archiepiſcopi *Salisburgenſis* Conſiliarius eccleſiaſticus & Bibliothecarius (in *Conciliis Salisburgenſibus*, à ſe in *folio*, 1788. vulgatis) ad exemplar typis excuſum, in Tabulario Conſiſtorii archiepiſcopalis extans, luci denuo dedit *pag.* 281. ſequentibus præfatus: *Fuit ea tempeſtate ruſtici belli per omnem Germaniam maxima acerbitas et deſolatio, agreſti plebe paſſim et in Principes, & Sacerdotes, atque in avitam Religionem catholicam armis*

mis graſſante, præſertim poſtquam nova Lutheri dogmata percrebuerunt.... Erat tum et Clericorum & Monachorum ſumma licentia, craſſæ litterarum politiorum ignorantiæ conjuncta.... Anxius & de parandis morbo remediis ſollicitus Archiepiſcopus, de intercipiendis item Lutheri progreſſibus & quonam id potiſſimum pacto effectum daretur, quosdam ſuorum Suffraganeorum Mühldorfium evocavit. Conſenſere omnes, temporum vertiginem, e corrupta eccleſiaſtica diſciplina natam, ſola Cleri emendatione excuti oportere. In hunc itaque effectum ſupradictum *Mandatum* à *Cardinali* noſtro publicatum fuit. Confer *Car.* MEICHELBECK *Hiſtoriam Friſingenſem, T. II. p.* 299. ubi *Litteras* habes *Philippi* Epiſcopi *Friſingenſis* mox dicti, quibus is *Mandati* huius, cuius condendi, cum aliis Epiſcopis Provinciæ *Salisburgenſis*, particeps fuerat, ſedulam executionem urget.

VI. *Litteræ publicæ*, ſeu *Manifeſtum editum à Noſtro, anno MDXXVI. die* 16. *Iunii, ſabbatho poſt feſtum S. Viti*, contrà Subditos ſuos rebelles. Has *Wiguleius* HUNDIUS *ad cautelam generationis* (ut ait) *quæ ventura eſt*, ex autographo deſcriptas exhibet in *Metropoli Salisburgenſi, Tom. I. pag.* 55. *ſeqq.* ubi addit: *Præmiſſæ Archiepiſcopi Cardinalis Matthæi Litteræ cauſſam exortæ in Archiepiſcopatu Salisburgenſi ſeditionis diſerte oſtendunt, nempe prætextum Evangelii &c.* Inveniuntur etiam in LUNIGII *Spicilegio eccleſiaſt. I. Th. Fortſez. p.* 1028. & in *Franc* DUCKHERI *Chronick von Salzburg, p.* 243. Summam earum ſequentibus exprimit *Marc.* HANSIZIUS in *Metropoli Salisburg. p.* 598. dicens: *MatthæusScriptum publicum edidit, quo expoſitis primum inſolentiis, contumacia, perfidia, pernicioſiſque conſiliis conjuratorum, ſtudioque ſuo conſervan-*

vandæ tranquillitatis, *quo omnem operam adhibuerit ad obſervandos Tractatus nuper ſancitos*, *ad confovendam in quiete provinciam*, *teſtatur ſe nullam belli dediſſe cauſſam*, *nihil citra conſilium Ordinum provincialium egiſſe*, *ſtudiaque ſua non ad aliud contuliſſe*, *quam ut expulſis peſtiferarum factionum auctoribus bonorum hominum quieti conſulere*. *Nunc ſe*, *rurſus per vœcordiam quorundam adactum ad repellendam vim*, *mandare fidelibus patriæ civibus*, *uti mature ſe ab eiusmodi noxiorum ſocietate ſubducant &c. &c.* Hæc te monere, Lector! volui, ne forte per *Epiſtolam Statuum ditionis Salisburgenſis*, & *Joannis* GOLDII *Reſponſa ad propoſitas Quæſtiones* in errorem inducaris, ut credas, Noſtrum adfinem fuiſſe criminum, quorum inibi accuſatur. Fuit autem GOLDIUS *Iudex* civitatis *Salisburgenſis*, aut (ſi mavis) *Prætor*, de quo *Chriſtoph.* JORDANUS in *Chronica* diſerte ait: *Accuſatur* GOLDIUS, *diſſidium Archiepiſcopum inter & cives variis*, *ac paradoxa ferentibus dictis excitaſſe*; et rurſus ait: *eundem*, *cum quadam die cives in foro cum Ioanne* SCHENCKIO & *Sigiſmundo de* TURRI, *Miſſis Archiepiſcopi*, *conveniſſent*, *adfuiſſe equo vectum*, *ſub veſtibus lorica probe munitum*, *eo conſilio*, *ut ſe fuga proriperet*. Quis tali Viro, quis Subditis debitam Principi legitimo fidelitatem violantibus fidem adhibeat, quorum maxime intererat, ad palliandam perfidiam varia comminiſci, aut exaggerare, aut inverſe proponere? Contra hæc faciunt *Inſtrumentum Pacificationis interventu Ludovici Bavariæ Ducis anno* 1525. *die ultima Auguſti initæ*: & *Litteræ* ipſæ *Archiepiſcopi*, de quibus ſermo eſt: item Libellus parvus quatuor foliorum, in 4to. hoc titulo: *Welchergeſtalt die aufrühriſchen Salzburgiſchen Unterthanen*, *nach dem ſie durch die Ständ*

des

des Bunds zu Schwaben widerum zu Gehorſam gebracht ſein... Huldigung gethan haben. Sed de his ſatis. — *Epiſtolam Statuum ditionis Salisburgenſis ad Magiſtratum Auguſtanum* datam *anno* 1525. *in feſto S. Udalrici*, *Ioannis* GOLDII *Reſponſa*, & *Inſtrumentum Pacificationis* memoratæ invenire eſt in Libro: *Merckwürdigkeiten der Zapfiſchen Bibliothek*, *II. St. p.* 490.

VII. *Epiſtola brevis ad Regimentum Imperii à Noſtro anno MDXXVIII. die Mercurii poſt Pentecoſten data;* qua prorſus negat, ſibi de Foedere, quod comminiſci peſſime auſus fuerat *Otto* PACKIUS, quidquam compertum eſſe; cum nec *Vratislaviæ* fuerit, nec Legatos ibi habuerit. Reperitur in *Friderici* HORTLEDERI Opere: *de bello Germanico, Vol. I. L. II. p.* 791. hoc titulo: *Erzbiſchofs Matthæi zu Salzburg Entſchuldigung der vermeinten Bündnus halber, von unſerm gnädigſten Herrn von Salzburg &c. an das kayſerliche Regiment zu Speyr ausgangen.*

VIII. *Receſſus Mühldorfenſis*, *die* 15. *Ianuarii, anni MDXXXVII.* Hunc, *vernacula lingua* concinnatum, habes in ante - memoratis *Conciliis Salisburgenſibus P. Floriani* DALHAM, *pap.* 287. Cum „à *Paulo III.* Concilium univerſale *Mantuam* indic„tum eſſet, quod poſtea *Tridentum* translatum fuit, „*Noſter* neceſſum plane cenſuit, *provinciale Con„cilium* cogere, ad Nuntios legitime ablegandos „in locum oecumenici Concilii, & præcipua ca„pita proponenda, avitam Religionem *Salisburgen„ſem* & ſalutarem diſciplinam vehementer infeſtan„tia." Ad hanc itaque *provincialem Synodum* ut Epiſcopi & Patres inſtructos adferrent animos, prævium quorundam Epiſcoporum & Nunciorum, quos vicini Principes et abſentes Epiſcopi eò deſtinâ-

ſtinâſſent, conventum *Mühldorfii* indixit: ex quo ſupra laudatus *Receſſus Mühldorfenſis* originem habuit.

IX. *Epiſtola encyclica ad Epiſcopos & Principes*, quâ eos *Matthæus* ad *Synodum provincialem*, anno MDXXXVII. in Dominica: *Iubilate*, habendam convocat & invitat. Habetur apud eundem *Florian.* DALHAM, *p.* 290. â quô diſcimus, Terminum habendæ Synodi gravibus de cauſſis â *Noſtro* â Dominica: *Iubilate*, usque in Dominicam: *Exaudi*, prorogatum eſſe.

X. Concilium Salisburgenſe anno Chriſti MDXXXVII. Pauli III. Papæ anno III. Caroli V. Imperatoris anno XIX. coactum â Matthæo Archiepiſcopo, ad conſultandum de rebus ad generale Concilium perferendis, ad reprimendas hæreſes, emendandos Clericorum mores, & eccleſiaſticam Immunitatem conſervandam. Iſtud Concilium, *Collectoribus Conciliorum*, aliisque *Scriptoribus Rerum Salisburgenſium* plane incognitum, ſoli (quod ſcio) *Oder.* RAYNALDO in *Annal. eccleſiaſt.* non niſi in tranſitu memoratum e latebris, quibus hactenus tectum jacebat, produxit ſæpius laudatus *P. Florian.* DALHAM *l. c. p.* 296. *ſeqq.* ubi etiam brevem tum hiſtoriam, tum ſummam huius *Synodi* invenies.

Cum verò *Statuta* huius Concilii *ex nonnullis bonis atque urgentibus cauſſis, & maxime attenta propinquitate Concilii Generalis non ſtatim publicanda, ſed futuræ commoditati reſervanda eſſe* judicârit *Noſter*: ob id, ne diſcinctis quibusdam Clericis occaſio ſubnaſceretur exiſtimandi, nihil in hac *Synodo* actum eſſe,

XI. *Man-*

Digitized by Google

XI. *Mandatum ad Archidiaconos ſuæ Dioeceſis* complectens eosdem prope Articulos, quos habita *Synodus* in ſuis *Canonibus* uberius enunciavit, ad Clericorum notitiam perferendum transmiſit: alioque

XII. *Mandato ad Coepiſcopos ſuos* miſſo, ut idem in Clero ſuo edocendo facerent, injunxit.

Quamvis verò *Cardinalis* noſter optimo conſilio, mente optima *Synodum* hanc coegerit, in eáque fide optima verſatus ſit; tamen exiguam inde gratiam â *Paulo III.* inivit; ſive quod is Pontifex minùs vera edoctus fuerit, ſive *Noſter* quidquam reapſe in hoc negotio deliquerit; quod tamen vix crediderim. *Odericus* RAYNALDUS in *Annal. eccleſiaſt. ad h. a.* rem ſequentibus narrat: „Dum tanta ſtudio„rum contentione celebrando in *Italia* Concilio oe„cumenico Pontifex incumberet, *Lutherani*, ad il„lud defugiendum, urgebant: ut â Germanica Na„tione tantùm in *Germania* cogeretur, nec paucos „Catholicos in eam ſententiam pellexerunt... In„tempeſtivo igitur eo tempore habita eſt Synodus „ampliſſima a Cardinale"... Subjicit RAYNALDUS Litteras *Pauli III.* quibus *Noſtrum* redarguit, dicens: *Intelleximus, celebratam eſſe Synodum provincialem a te, Venerabilis Frater! &, quod nobis officium & dignitas tua ſuadet, credere voluimus, te nonniſi bono animo ac voluntate id feciſſe; ut ſcilicet venire poſſes cum tuis ad generale Concilium proxime celebrandum, de tractandis in eo, inſtructior: ſed tamen perpendentibus Nobis præſentem rerum ſtatum in Germania, præſertimque ſlagitationem nationalis Concilii, a non paucis ipſius nationis ad quinquaginta factam, ut generale Concilium evitent, parum viſa eſt ea congregatio tam latæ provinciæ â te habita vel veteri tuæ prudentiæ vel qualitati præſentium turbationum conveniſſe. Omnis enim*

iſthic congregatio hoc tempore periculoſa eſt, multóque magis ea, quæ & materiis propoſitis & perſonis admiſſis jus et terminos provincialium Synodorum excedat; ſicut hæc à te habita exceſſiſſe dicitur: ita ut ſpeciem quandam nationalis Concilii referre viſa ſit, & ad nationalem quodammodo tendere. Relatum enim eſt Nobis (quod vix credere potuimus) multa fuiſſe in eadem Synodo coram te propoſita à Fide erronea & a generalibus Conciliis antea reprobata: admiſſasque etiam perſonas, quæ nec jure, nec conſuetudine admitti debeant. Quæ res nobis gravem tum admirationem tum moleſtiam attulit, quod circumſpectio tua.. in hac tanti momenti re nec Nos antea conſuluerit, et ita labi potuerit, ut coram te talia pertractari, & tales admitti permiſerit, nec cogitarit, quantum ab hoc exemplo mali oriri, & malis anſæ præberi poſſit.... Quamobrem hæc ad te ſcribenda duximus, non quidem ut te improbitate lapſum dicamus, quid enim tua pietate Nobis exploratius? ſed ut moneamus, & ut cautior ſis in poſterum, & des operam... ut ea, quæ in dicta Synodo perperam tractata ſunt, ultra non ſerpant.... Romæ, V. Auguſti 1537. *anno* 3.

Sed â RAYNALDO maxime diſſentit ſæpiùs a me citatus DALHAMIUS, famamque *Matthæi* noſtri ſequentibus purgat: „Papa *Paulus III.* qui ab „anno 1534. usquè 1549. Romanam Sedem tenuit, „ob acerbiſſimos in *Germania* Novatorum tumul„tus, quodque *Germani* in ſua patria molirentur „cogere *nationalem* ſynodum, ut alteram *genera„lem*, à Pontifice indictam, ſecurius aſpernaren„tur, animo pene collapſus, omnem eccleſiaſticum „conventum in *Germania*, ceu erumpentis mali „ſignaculum, perhorreſcebat, veluti et hanc ſy„nodum provincialem, a *Matthæo* Archiepiſcopo

„anno

„anno 1537. *Salisburgi* habitam; maxime quod „*Matthæus* Archiepiſcopus, ob plures præſtitos *Lu*„*thero* favores: ob *Staupizium*, ipſumque itidem „*Lutherum*, honeſtiſſimis conditionibus ad ſe invi„tatum, viſus fuerit clam *Lutheri* partibus patro„cinari; uti plures Scriptores, *Schelhornius*, alii„que aſſeverant; quamvis ſapientiſſimus Præſul „ſublimiori conſilio id totum egerit, ut nempe „*Lutheri* ardores interciperet mitiori interventu. „*Acta* tamen huius *Concilii* non illico publicavit „*Matthæus* reverentiæ cauſa. nimirum ne gene„ralis Concilii, jamjam inſtantis, præveniret de „iisdem rebus decreta; quam moram malevoli qui„dam ſiniſtre interpretati dixerunt, ſynodum ip„ſam monſtroſis, abhorrentibusque ab orthodoxo „cultu ſcatere ſententiis, easque calumnias etiam „ad *Paulum III.* attulerunt, qui Pontifex, utut nec „ipſe præſtare ſe fidem diceret delatoribus, præcipi„tanter nihilominus *Epiſtolam* ad *Matthæum* Ar„chiepiſcopum dediſſe fertur ab *Odorico Raynaldo* „ad *hunc ann. num* 35. *Matthæo*, habitæque ſyno„do valde injurioſam. Hanc tamen labem eis ab„ſtergunt *Acta* ipſa et *Concluſa* intemerata huius „*Concilii*, quæ infra dabimus, et falſitatis, ca„lumnioſæque factæ accuſationis eſſe convincunt. Et„ſi quis fortaſſe ſecurius inter *ſubreptitias* abjie„cerit hanc *Epiſtolam*, non obſcuras referentem „notas ſpuriæ originis. Nam ſi Papa adeo tum „averſatus fuit religioſos conventus in *Germania*, „cur tacet de *Colonienſi* et *Moguntino* Conciliis, „pariter eodem tempore ibidem habitis? Cur ze„lantiſſimus Pontifex, generali contentus repre„henſione, non perſtringit peculiaria errorum ca„pita? Cur ait: *Matthæum* in poſterum magis cau„tum eſſe oportere, et non jubet ejurare oſten-

„ſas, in Religionem jactas? ... Sed hæc fortaſ-
„ſe non vidit, nec ponderavit credulus *Raynaldus;*
„de quo eruditi Critici in *Galliis* hoc tulêre ju-
„dicium: *Il ſ' en faut bien, que ſa Continuation*
„des Annales de Baronius ſoit auſſi eſtimée. Il eſt
„credule, exaggerateur, diffus, et mauvais Ecri-
„vain. Diction. des Savans. Tom. VI. pag. 134."

Habes, Lector! de monimentis litterariis *Cardinalis* noſtri, quæ inter ſi nonnulla minutiora ſint, tamen illa cum ob maximam Viri huius celebritatem, tum ob ipſam negotiorum, ad quæ attinent, magnitudinem atque pondus nequaquam prætermittenda duxi.

Præter citatos â me Autores, de *Noſtro* inſuper agunt *Claud.* FLEURIUS in *Hiſtor. eccleſ. Ioannes* PALATIUS in *Faſtis* Cardinalium. *Iacobus* SCHRENCKIUS in *Auguſtiſſimorum Imperatorum* &c. *veriſſimis Imaginibus. Oeniponti.* 1601. AUBERYUS in *Vit. Card. Felix* CONTELORIUS in *Elencho.* PANVINIUS *de RR. Pontif. Hieronymus* GARIMBERTUS *Petr.* BEMBUS. in *Epiſtolis. Bernard.* VAPOWSKI. FUGGER in *Ehrenſpiegel des Hauſes Oeſtreich. Chronicon Monaſterii S. Petri Salisburgenſis.* ADLZREITER. in *Annal. Boic.* & alii innumeri. *Paulus* quoque *a* STETTEN *junior* in Libro: *Lebens - Beſchreibungen zur Erweckung bürgerlicher Tugend*, *T. II. p.* 73. Vitam *Noſtri* fuſe deſcripſit: idem de *Noſtro* multa affert in Libro: *Erläuterungen der in Kupfer geſtochenen Vorſtellungen* &c. *p.* 89.

Plures *Nummi*, clarorum *Noſtri* facinorum teſtes, videre eſt in LEHMANNI *Hamburgiſchen Remarquen*, *P. IV. p.* 417. & *P. V. p.* 17. item in *D. de* MADAI *Thaler - Cabinet.*

MEICHS-

MEICHSNERUS (*Ioannes*)

Ex vetuſtiſſima *Vindelicorum* urbe *Auguſta* ortus, cum à litterarum et juris ſtudio animum ad Reipublicæ curam convertiſſet, primo privatim amicis ac clientibus conſulendo, cavendo, ſcribendo utilem operam præſtitit: poſtea, cum virtus eius & ingenium enituiſſent, Illuſtr^mo. Principi *Auriaco*, & Comitibus *Naſſovicis*, deinde etiam *Spirenſi* Reipublicæ *à Conſiliis* fuit. Tandem à *Circulo Franciæ orientalis* ad ſupremum *Aſſeſſoris* in imperiali *Camera* honorem evectus eſt: in quo munere per annos XXV. (ſcilicet ab anno 1572. in annum 1596.) ſanctè & cum ſumma æquitatis laude verſatus, veſtigiis clariſſimorum *Ioachimi* MYNSINGERI *à Frundeck*, & aliorum Juriſconſultorum inſiſtens, privata annotatione conſcripſit, quæcunque ſecundum varios cauſſarum articulos in quæſtionem venirent; et vel Juri, Doctorum opinionibus controverſo, illuſtrando: vel *Conſtitutionibus Imperii* dextre intelligendis: vel telæ judiciariæ recte ordinandæ conducerent.... adeoque *Opus* tam *in Theoria*, quam *Praxi* utiliſſimum confecit.

Hunc ingenii ſui fætum, uti & alia Scripta ſua doctiſſima uno ante mortem anno *Nicolao* THESSMERO *Pomerano* diſcipulo ſuo, qui pro percipienda ordinis judiciarii cognitione, & addiſcendo *ſummi Tribunalis Imperii* ſtylo ſeſe in domum *Noſtri* contulerat, ultro ac ſponte donavit. Obiit autem ἄπαις. anno circiter 1597.

Poſt obitum *Noſtri* quædam *Deciſiones* ſpuriæ, MEICHSNERI nomen præferentes, circumferri cæperunt: quæ cum eius ingeniô plane indignæ eſſent, memoratus *Nicolaus* THESSMERUS, magi-

ſtri ſui famæ conſulturus genuinas *Deciſiones*, à *Noſtro* ſibi dono datas vulgare aggreſſus eſt. Prodiit ergo *Opus* hoc titulo:

Deciſiones diverſarum cauſſarum in Camera imperiali judicatarum, adjectis relationibus Actorum, collectæ à Ioanne MEICHSNERO *&c. &c. nunc vero primum in lucem editæ.* Tomus I. *Francofurti ad Moenum.* in *folio.* 1603.

Dedicavit *Nicolaus* THESSMERUS *Henrico Iulio*, Epiſcopo *Halberſtadienſi* poſtulato, Duci *Brunsvicenſi* & *Luneburgenſi* prævià *Epiſtolâ*, in qua ſuprà allatæ circumſtantiæ Vitæ *Noſtri* referuntur: & ampla laudum ſeges habetur, quibus æquitas *Noſtri* ſtudiumque eius tam *juridicæ* quam *litterariæ* Rebuspublicis inſerviendi ſummopere prædicatur.

Eiusdem Operis Tomus II. *Francofurti*, anno 1604. in *folio* prodiit, à *Ioanne Theobaldo* SCHOENWETTERO *Ioanni Swichardo* Archiepiſcopo *Moguntino* nuncupatus.

Eiusdem Operis Tomus III. *Ibidem*, & *anno eodem* in *folio*, luci datus, et abs *Nicolao* THESSMERO *Friderico Ulrico*, *Brunſvicenſium* & *Luneburgenſium* Duci conſecratus eſt.

Eiusdem Operis Tomus IV. *Ibidem.* 1606. in *folio*, teſte PUTTERO in *Litteratur des deutſchen Staats-Recht*, *T. I. p.* 135. exivit.

Idem Opus anno 1663. in *folio* recuſum fuiſſe *Moguntiæ*, teſtatur *Mart.* LIPENIUS in *Biblioth. jurid. p.* 50. & 128 Mox citatus PUTTERUS editionem aliam anni 1688. refert: laudatque non vulgariter Opus ipſum, adducens inter alia DECKHERRUM *de Cultu Juris cameralis*, *c.* 8. dicentem: *Exhibentur in illis* Deciſionibus *occulto quodam beneficio Statuum Imperii quorundam privilegia*, *præ-*

tenſa-

tenſiones inter ſe, harum fundamenta rariſſima, jura & conſuetudines Germanorum ex recondita antiquitate huc delatæ. Hæc quidem de *Ioanne* MEICHSNERO. Vixit autem iisdem temporibus et alius MEICHSNERUS, *Sebaſtianus* nomine, quem non omnino temere, *Auguſtanum* fuiſſe, ſuſpicor; *Jurisconſultus*, & Auctor (teſte *Chriſt. Gottl.* JOECHERO in *Gelehrten - Lexicon*) ſequentis Operis:

Das kayſerliche und königliche Landt - und Lehn-Recht, Sazungen, Sitten und Gebräuche. in *folio*, *Franckfurt.* 1576.

PONTANUS (*Iacobus*)

Iacobus PONTANUS (probe diſtinguendus â *Iacobo* PONTANO *Heidelbergenſi*, â quo latinè verſum *Zachariæ* THEOBALDI *Bellum Huſſiticum* inter FREHERI *Script. Rer. Bohem.* extat) non patriâ quidem at certe domiciliô *Auguſtanus* fuit; nam & *Auguſtæ* quam diutiſſime vixit: et ibi manens ingenii ſui monumenta produxit in lucem: & ibidem, fatis ſuis perfunctus, diem clauſit extremum. His de cauſſis eundem *Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ* omnino inferendum putavi; præſertim cùm Virum tantum, quantus PONTANUS exſtitit, a nemine hactenus ſatis pro meritis laudatum videam.

Iacobus noſter *Brixiæ*, regia *Bohemiæ* urbe, (vulgo *Brüx*) aliis *Ponti*, unde illi & PONTANI nomen hæſit, etſi ex patre *Spanmüllerus* vocaretur, anno reparatæ ſalutis 1542. in has luminis auras natus, ſed in *Germania* educatus, poſtquam ad eam ætatem pervenit, quâ ſtabile vitæ inſtitutum amplecti ferme mortales ſolent, anno Chriſti 1563. ætatis vero ſuæ 21. in *Societatem Ieſu*, a ſe labentibus annis tum doctrinæ excellentis laude, tum editis ingenii clariſſimis monimentis mirum! quan-

tum illuſtrandam recipi petiit, &, licet ægrè, renitente videlicet patruo, in cuius tutela mortuis parentibus erat, recipi meruit. Quo in loco illud obſervandum bene eſt, quod *Hiſtoria Societatis Ieſu Provinciæ German. ſuperior. T. IV. p.* 330. monet: *Primus notatur eorum* PONTANUS, *qui ad Societatem in Germania hac noſtra ab anno* 1563. *adjuncti ſuerunt, quò Provincia noſtra avulſis, quæ nunc Auſtriacæ, Bohemicæque ſunt Provinciæ, Collegiis, ſuperioris Germaniæ nomine conſtituta definitaque eſt: & primus Tyronum noſtrorum, tum quidem pauciorum, coetus probationibus exerceri in commune Monachii cœptus eſt.*

Memorat *Fauſtinus* PROCHASKA (*a*), *Iacobum* PONTANUM *Brixienſem Bohemum*; *Edmundi* CAMPIANI (*b*) inſtitutionibus plurimum profeciſſe. Verba *Fauſtini* hæc ſunt: *Edmundus Campianus ... litterarum atque ſanctimoniæ laude juxta inclytus, itemque extemporalis in roſtris Orator, idem in ſcenis Poëta, multorum Bohemorum ingenia politiore eloquentia excoluit; namque in eius, Pragæ Rhetoricen docentis, inſtitutione Iacobus* PONTANUS *Brixienſis Bohemus formatus eſt, venerabilis Vir miraculo litterarum.* Sed huic PROCHASKÆ teſtimonio fidem adjungere, chronotaxis vetat. In confeſſo eſt, *Noſtrum* anno 1542. natum eſſe: CAMPIANUM autem primum poſt annum 1573. *Pragæ* docuiſſe, Scriptores conſentiunt. Debuiſſet ergo PONTANUS, jam annos 31. et plus natus, ad diſcendum ſe contuliſſe: Quod quam vero diſſimile ſit, quivis videt.

(*a* In Libro: *De liberalium Artium in Bohemia et Moravia Fatis. p.* 361.

(*b* CAMPIANI laudes perſcriptas habes in ALLEGAMBIO & SOTVELLO: item in PITSÆI *Scriptor. Angl.* & in WOOD *Athenis Oxonienſ.*

videt. Interim iſtud referre volui ſola PROCHASKÆ autoritate; penes quem fides ſit, donec certiora eruantur.

Neque obſcuritati huic major lux ex Libro: *Effigies Virorum eruditorum . . . Bohemiæ, T. I. p.* 49. accedit; ubi dicitur: *Cum idoneos litterarum ſtudiis annos attigiſſet* PONTANUS, *Pragam miſſus, in contubernio Patrum Societatis Ieſu elegantiores diſciplinas perdidicit. . . . Cum Bavari à Bohemis magiſtros humaniorum litterarum expoſcerent, eò, vix tyrocinium egreſſus, anno* 1566. *Superiorum miſſu conceſſit. . . .*

Quomodocunque iſta ſeſe habuerint; PONTANUS *Societati* additus, in ea manſuetiorem litteraturam apud *Germaniæ ſocios* excolere primus et provehere in maius cœpit. Iam anno 1578. in gratiam ſtudioſæ juventutis *Rochi Peruſini de ſcribenda et reſcribenda Epiſtola Libellum* imprimi *Dillingæ* fecit; uti inferius in *Catalogo Operum Noſtri N°. I.* pluribus exponetur. Idem primus in Gymnaſio *Auguſtano* ad *S. Salvatorem*, quod anno 1581. originem habuiſſe ex *Annalibus* patriis diſcimus, *humanitatis* ac mox *Rhetoricæ* ſcholam cum *Wolfgango Starckio*, officii Collega, aperuit. Idem *ſeptem* et *viginti* annos (Alii omnino *triginta* ponunt) ſcholaſtica in palæſtra ita eſt verſatus, ut quamplurimos non externorum ſolùm, ſed etiam *Sociorum* ſeu domeſticorum, qui a religioſo tyrocinio recentes *Auguſtam* quot annis ad *Rhetoricæ* ſtudia mittebantur, optimis præceptis erudiverit. Juvat horum e numero, exempli gratiâ, unum appellare *Matthæum* RADERUM, de quo mox poſt PONTANUM agam. Omnes autem illos non hortatu magis, quam exemplo ſuo ductuque ad Muſas amæniores colendas exſtimulabat.

Itaque, quod *Gregorio* ROSEFFIO, cuius æque laudes in præſenti *Alphabeto* deſcripturus ſum, unice in votis fuerat, maximo opere litterariam amplificavit rem: ſibique magnam nominis famam peperit: dein et ipſi *Societati* Viros doctiſſimos dedit: ſcholis denique *Societatis* gratiam exiſtimationemque ſingularem comparavit; idque non apud Catholicos ſolum, ſed etiam Acatholicos, qui vulgatos ab eo libros alteris typis excudere, ſcriptorumque eius ab ſe editum volumen uni de præcipuis Romani Imperii Principibus dedicare non dubitarunt, mirifice PONTANI latinitatem prædicantes. Quid quod ſuis etiam in ſcholis *Dialogos* illius, *Progymnaſmatum Latinitatis* nomine notiores, velut pro *M. Tullio Cicerone* propoſuerint?

Senatûs vero, Populique *Auguſtani* quam fuerit inſigne de PONTANI Lucubrationibus judicium, ex eo proclive eſt conjicere, quod modo narraturus ſum. Conſcripſerat *Noſter*, vetuſtus Collegii *Auguſtani* incola, antequam diuturno Rhetorices ludo, Moderatorum voluntate egrediens rudem acceptaret, *Symbolas in omnia* VIRGILII *Opera* (V. inferius *in Catalogo Opp. Noſtri*, *n*°. *V.*) *ſeptemdecim* Libris comprehenſas. Has anno 1599. *Auguſtano* Senatui dedicâvit tam æſtimatas eruditis Viris, quos *Auguſta* magno ſemper numero protulit, atque etiamnum (Abſit dicto invidia!) profert editis etiam monimentis celebres: tamque ab his Magiſtratui commendatas, ut is perpenſo, quantum â PONTANI lucubrationibus toto orbe laudatis et nominis *Auguſtanæ* Reipublicæ, et urbanæ juventuti, ad politiores litteras eductæ, commodi acceſſiſſet, pro ea, qua ſemper et eruditionem et eruditos complectitur, humanitate non ſolummodo florenorum *bis centum* liberale Honorarium *Collegio* miſe-

miſerit; ſed maius etiam, utpote in ævum ſtabile, beneficium adjecerit: dum videlicet annuum vectigal, quod pro conceſſo ad domeſticos uſus aquæductu exigi poterat, tolerabili tranſactione potiſſimam partem relui permiſit, ac legitimis tabulis, quod tranſactum erat, perpetuo valiturum roboravit (*c*). Et hæc quidem Senatûs erga PONTANUM benevolentiâ acciderunt, haud dubie â *Marco* VELSERO excitatâ, cuius animo tanta inerat eruditionis *Noſtri* opinio ac fides tanta, ut eundem ſupparem LIPSIO SCALIGEROpue, vel ſuperiorem etiam reputârit. Quod Viri, tantâ litterarum gloriâ, tantâ prudentiâ præditi judicium quantum *Noſtro* honoris afferat, quis non videt?

Hæc inter *Noſter* tria ſolennia vota anno 1589. die 23. Decembris profeſſus fuerat: et jam, addito integro decennio, ad ætatem prope ſexagenariam provectus, quietem anhelare videri poterat. At contra ille, tantum abſuit, ut de amore, quô ferebatur in litteras, quidquam remitteret; ut potius, emenſo licet ſcholaſtico pulvere, horam *græcis prælectionibus* deſtinatam domi foriſque ſuſceperit; imo ad graviora etiam ſeverioraque ſtudia ſeſe contulerit. Etenim tum maxime in *Græcorum Patrum*, *Scriptorum*que *ſacrorum* ac *profanorum* Operibus interpretandis edendiſque operam ponere cœpit. Qua re effectum eſt, ut Eccleſiam egregiis Veterum lucubrationibus inſtrueret; et Hiſtoriæ, *Orientalis* inprimis Imperii, lucem permagnam afferret; denique de litterata Republica in univerſum quam cumulatiſſime mereretur. Neque tamen hoc impedivit, quo minus artes humaniores magis magisque pro virili ſua illuſtrare pergeret;

(*c*) Hæc iisdem verbis *Hiſtoria S. I. Provinc. Germ. ſuper. T. II. p.* 300. & *T. IV. p.* 350.

ret; namque poſtremîs vitæ ſuæ annîs OVIDII Libros *de Triſtibus* & *de Ponto* itemque *Metamorphoſeon* egregiis Commentariis ornavit, multaque alia, ad politiorem litteraturam ſpectantia, foras emiſit. Sic ſenio tandem ſuo, ſtudiisque Dei cauſſa ſuſceptis ſuccubuit PONTANUS, *Auguſtæ Vindel.* die 25. Novembris, *D. Catharinæ* Martyri ſacra, anno 1626. ætatis 84. Religionis 63.

Obiit autem morbo veſicæ, quem acerbiſſimum pridem paſſus fuerat, ad extrema redactus, ipſo *S. Catharinæ* illuceſcente feſto die, quem ſibi fatalem fore, *Noſter*, nullo licet tum periculo admonitus, *Leopoldo* Archiduci *Auſtriæ*, forte *Auguſtam* tranſeunti, prædixerat; ut connotatum reliquit *Hiſtoria Soc. Ieſu Provinc. Germ. ſuper T. IV. p.* 331. ex qua ipſa inſuper diſcimus, *Noſtrum* tanta etiam apud Acatholicos exiſtimatione floruiſſe, ut ei, ê vivis erepto, honoris cauſſâ epitaphium ſcripſerint.

Fuit *Noſter* (ut de moribus eius pauca aſſuam) miro erga Majores ſuos, in decrepitam usque ſenectutem, animi candore & ingenua ſinceritate. Erga omnes ſingulari quadam morum ſuavitate (quod litteratis in hominibus rarius eſſe ſolet) & jucunda amænitate promiſcue utebatur, acceptus cunctis viciſſim domi forisque. Etſi maximi ab univerſis æſtimaretur, ipſe poſt ſe ducebat neminem; obſequi & parere, quisquis eſſet, paratus: ingenio, quanquam acri cultoque, tractabilis omnibus ac docilis: offenſionis nihil vel dans cuipiam, vel accipiens. Nemini ſe præferebat: neminem, qui in rebus litterariis ab ipſo diſſentiret, in opinionem ſuam vi et velut manibus trahebat; qua agendi ratione omnium exiſtimationem ſibi tantam conciliavit, ut et omnis litteraturæ politioris arbiter,

et

et modeſtiæ exemplum haberetur. Domeſticæ rei uſu nil ultra communem modum, ne jure quidem emeritæ feſſæque ætatis, nedum ſenilis faſtidii licentiâ, arrogare ſibi unquam viſus eſt. Sollicite inprimis cavebat, ne quid detrimenti addictus divinis rebus animus, ne quid vitii ſpiritus Religionis per profanas caperet litteras. Rerum denique mortalis vitæ, præterquam litterarum & quæ religioſi eſſent inſtituti, adeo nulla tangebatur cura, ut extra humanæ conſuetudinis officia vix quidquam, niſi libros, humumque ſpectarit. Igitur, quod *Hieremias* DREXELIUS de illo (*d*) retulit, *ætatem omnem, ad ultimos usque vitæ dies, legendo ac ſcribendo duxit, re vera libris immortuus. Nec enim calamum ante poſuit, quam fatalis lectulus à chartis, quibus perdius et pernox inhærebat, avocaret.* Et rurſus ait: *Digniſſimus ſenex, qui in Parnaſſo inter Libros conderetur immortali memoriâ, quam ſibi ſcriptis peperit* (*e*).

Et quoniam huc delapſa eſt oratio, quid jam de doctrina *Noſtri* meritisque in Rem litterariam dicam? Fuit PONTANUS in *litteris humanioribus* quam exercitatiſſimus, quarum etiam *ludum à principio pro Societate Auguſtæ qui aperuerant, horum unum ſeſuiſſe* gloriari in limine alicuius libri a ſe editi non omiſit.

Latini ſermonis ſcientiâ quantum excelluerit, tum omnia eius Scripta commonſtrant, tum maxime *Progymnaſmatum* ſive *Dialogorum* Opus, quod Superiorum, *creditam ſibi juventutem hâc maxime viâ* (legendis ſcilicet ac prælegendis Dialogis) *ad Romanam civitatem aptiſſimè deduci poſſe* judicantium, imperiô conſcripſit. Certe in his tam nitida terſâque Latinitate uſus eſt *Noſter*, ut illa

(*d*) In *Aurifodina P. I. c. 6.*

(*e*) Hœc omnia verbatim *Hiſtoria S. I. &c. T. IV.*

la non ſolum domeſticorum, ſed et externorum calculos tulerit, *velut merum papaver ac ſeſamum* (Ipſa eorum verba interpono) habita.

Græcæ autem linguæ peritiam paſſim in Scriptis ſuis oſtendit; tum etiam *Græcorum* Auctorum lucubrationes interpretando quam luculentiſſime comprobavit. Quare Liber: *Effigies Virorum eruditorum Bohemiæ T. I. p.* 40. commeritum illud encomium *Noſtro* ſcripſit: *Peritiſſimus erat ſermonis tam græci quam latini; quo poſtremo tam nitide, tam eleganter ſcribebat, ut eius oratio proxime ad veterum Romanorum præſtantiam accedere videretur. Eruditione vero fuit tanta, ut nihil prope ipſi vel in ſacris, vel in profanis diſciplinis eſſet incognitum.*

In *arte poëtica* quantum valuerit, Liber *Inſtitutionum poëticarum* & *Tyrocinium poëticum*, à *Noſtro* edita, ſatis declarant. Habes in hoc poſteriore opuſculo *Carmina Noſtri*, & hæc inter non pauca, quæ oblata occaſione, nomine *Collegii Auguſtani*, conficere à Superioribus juſſus fuit; quod *Noſtri* in id opera illis aptiſſima videretur: uti in obitum *Othonis* TRUCHSESSII, & *Ioannis Egolphi à* KNOERINGEN Epiſcoporum *Auguſtanorum*; *Alberti* Bavariæ Ducis, ad *Guilielmum* filium; in inaugurationem *Marquardi à* BERG Epiſcopi *Auguſtani &c. &c. &c.* Naturali autem quadam propenſione in Muſas ferri ſe, ultro profeſſus eſt in *Dedicatione* ad *Poëticas Inſtitutiones*. Quare & in legendis veteribus Poetis ſtrenuam operam poſuit. VIRGILIO inprimis, quem *ſuum* plane vocat: *cuius ſinceriſſimum ſubtiliſſimumque judicium, elegantiſſimum acerrimumque ingenium, cumulatiſſimam induſtriam, abundantiſſimam cognitionem, excellentiſſimam eloquentiam* deprædicat (*f*): *quarum dotum ſuaves veluti &* ambro-

(*f*) V. Præfationem *Noſtri* in VIRGILIUM à ſe editum.

ambroſios odores jam olim in Marone tractando et in gymnaſtica palæſtra explanando ſentiens, ac tempore procedente hauriens uberius, ita Virgilium amplexavit inque deliciis habuit, ut de Poëtis nullum vel ſæpius ſibimet legerit, vel liberalius prædicarit aliis, vel cupidius auditoribus explanârit. Subjungit: *Iam pridem de eo ſentire, et parva immutatione aſſeverare complacitum eſt, quod.. Fabius de Cicerone, deque Ciceroni deditis doctè ac verè pronuntiavit*: Is ſe profeciſſe ſciat, cui Virgilius valde placuerit. *Et interdum aliquantillum tacito in ſinu gaudeo: ideoque non luſiſſe me operam, aut ventos captaſſe confido, quia iſtis Mantuanis cantibus immane! quantum, vehementiſſimeque delinior.*

In *Philologia* verſatiſſimum fuiſſe *Noſtrum*, teſtimonio apertiſſimo ſunt, tum Libri eius univerſim omnes, tum ſingillatim *Attica Bellaria*, & *Philocalia* eiusdem. In priori certè *Hiſtorias vetuſtas et recentes, publicas ac privatas: ritus, conſuetudines, mores populorum: dicta, factaque memorabilia: præſtantiſſimos belliduces, eorumque ſtratagemata: rerum inſignium ſcholas, milleque alia* attulit. In poſteriori autem *Noſter, cum inexhauſtum ſtudium & diligentiam incredibilem* PLINII, *qui in Opere nobiliſſimo, quod* Hiſtoriæ naturalis *titulo compellavit, ex centum Auctoribus, percurſis bis mille eorum voluminibus, viginti millia rerum (ut loquitur) cura dignarum concluſit, ſæpius admiratus eſſet, eiusque inſtitutum magnopere probaret; quidpiam non admodum abſimile efficere conatus eſt: dum ex antiquis et recentibus, ſacris et externis Auctoribus bene multis, quos partim legerat, partim percurrerat, rerum ſcitu dignarum corpus mediocre quoddam confecit*, luculentis adnotationibus illuſtratum.

Silen-

Silentiô præterea alia doctrinæ in *Noſtro* decora, ne juſtô longior ſim. Iſtud continere me nequeo, quin addam: PONTANUM eruditionem cum pietate, laudabilî admodum inſtitutô, miſcuiſſe. Pia namque permulta ſcripſit, aut â Græcis deprompta Auctoribus latinè traduxit: quorum alia lucem viderunt, alia quo minus viderent, ſata obſtiterunt. Quin etiam illa quodam pietatis ſapore imbuta ſenties opuſcula, quæ ſtylo accuratiſſimo, ſummaque orationis venuſtate in litterarum commendationem, atque in ſcholaſticæ juventutis gratiam concinnavit.

Ne vero, quæ hucusque attuli, jactantius quam verius â me diſputata fuiſſe, quisquam dicat, Eruditorum tum PONTANO æqualium, tum quos poſtera tulit ætas, judicia dictaque in medium proponam. Quis ſenſus *de Noſtro* tum *Marco* VELSERO, tum Senatui *Auguſtano* univerſo fuerit, ſupra audivimus. Accedit *Juſtus* LIPSIUS, qui eum *Virum eruditum ac diſertum* (g) in Epiſtola ad RADERUM data vocat. Et in alia, ad ipſum PONTANUM anno 1598. 10. Cal. Febr. ſcripta: *In ſummo hoc frigore*, inquit, *calſecit me tamen amica tua ſcriptio, mi* PONTANE! *& excitavit non ad ſcribendum ſolum, ſed ad redamandum. An non? Talem Virum. Inclino jam diu, & ipſe, quod tu voluiſti, volui, ex quo ſcripta tua prima vidi... Ab eo tempore.. & memoria tui inhæſit & probatio &c.* Hæc LIPSIUS. Celeberrimus autem SCALIGERUS quam honorificum de *Noſtro* judicium tulerit, paulo poſt dicetur. *Heremias* DREXELIUS quali encomiô eundem mactârit, ſupra percepimus. *Petri* STEVARTII, & *Laurentii* BEYRLINCKII laudes, quibus *Noſtri* Opera affecerunt, inferius in *Catalogo Operum* ſuis locis habes. In-

(g) V. *Juſti* LIPSII *Opera, Antverpiæ*, 1637. *T. II. p.* 130. *a &* 131. *b.*

Inter recentiores Scriptores *Noſtri* non ſine laude mentionem faciunt *Daniel* MORHOFIUS in *Polyhiſtore* ſuo, & *Petrus* BURMANNUS, quorum verba ſuis quæque locis inferius in *Catalogo Operum* recito. His adjunge *Henningum* WITTE in *Diario biographico*: *Georgium Matthiam* KOENIGIUM in *Bibliotheca veteri & nova*: *Thomam* CRENIUM in *Animadverſionibus philologicis & hiſtoricis*, *Tom IX. p.* 170, *ſeqq. Nicolaum Hieronymum* GUNDLINGIUM in *Hiſtorie der Gelehrtheit*: *Ioannem Albertum* FABRICIUM in *Bibliothecis græca* & *latina*: *Bohuſlaum* BALBINUM in *Bohemia docta*: *Effigies Doctorum Bohemiæ et Moraviæ*, *Tom. I. Pragæ*: & (ut Lexicographos aliosque plures ſilentio prætermittam) ADRIANUM BAILLETUM in Opere: *Iugemens des Scavans*; cuius loca, in quibus de PONTANO agitur, ſplendidiora ſunt, quam ut impetrare à me queam, quin ea fuſius hoc loco interſeram: tum eadem in meorum Lectorum gratiam inferius (per modum *Notæ*) latinis verbis reddita proponam.

Is igitur *Libro citato*, *T. II. P. II. p.* 220. in hæc verba loquitur: *C'etoit un des plus grands Humaniſtes de la Societé. On a de lui pluſieurs editions des pieces Grecques avec des Notes & des Corrections. On a encore une Philocalie, ou dix livres de Recueils des Auteurs eccleſiaſtiques & profanes: deux Volumes des Commentaires ſur Ovide: XVII. Livres d'explications ſur Virgile, in folio. à Lyon.* 1601. *ſans parler de divers autres Ouvrages, qui appartiennent à la Philologie ..* SCALIGER *eſtimoit particulierement deux de ſes Ouvrages.* 1. *Son Virgile, diſant, qu'il y avoit ramaſſé toutes ſortes des choſes: &* 2. *ce qu'il a fait ſur l' Hiſtorie de Theophyl.*

Simocatte (*h*). Idem *Tom. II. P. III. p.* 94. *Noſtrum* claris *Grammaticis Latinis* accenſens ait: *Il a ſait divers Ouvrages, qui regardent la Grammaire, dont le principal eſt, ce ſemble, celui des Exercices de la Latinité, qui comprend quatre Volumes des Dialogues.... Il les a écrit pour exercer ſon ſtyle, qui eſt pur, & pour tâcher de former celui des autres* (*i*).... Rurſus in memorato *Tomo*, *p.* 413. inter celebres *Verſores Latinos* locum *Noſtro* dans inquit: *Ses principales traductions ſont celles de l' Hiſtoire de Jean Cantacuzene, de Theophylacte Simocatte, de George Phranze &c. &c. &c. &c. Nous avons remarqué ailleurs, que le ſtyle de ce Pere eſt aſſez pur, et d'aſſez bonne Latinité. Mais les Critiques ſont partagés ſur le jugement, qu' on doit faire de ſes Traductions. Car il eſt blâmé par les uns, et loué par les autres, d' avoir pris un peu plus de liberté, que les Traducteurs ſcrupuleux n' ont coutumé d'en prendre: & d' avoir retranché dans quelques-uns de ſes Auteurs, ſurtout dans George Phranze diverſes digreſſions, qui lui ont parû aſſez inu-*

(*h*) *Fuit* PONTANUS *unus ex illis, quos Societas habuit Humanitatis litteris eruditiſſimos. Extant ab eo plures Verſiones ſcriptionum Græcarum cum notis & correctionibus: item Philocalia, ſive decem Libri Collectionum ex Auctoribus eccleſiaſticis & prophanis: duo Volumina Commentariorum in Ovidium: XVII. Libri Explicationum in Virgilium, in folio. Lugduni.* 1601. *ut diverſa alia ad Philologiam ſpectantia Opera ſileam.* SCALIGERUS *duo præ aliis* PONTANI *Opera magni fecit.* 1. *Virgilium eius; quod ibi omnis generis res collegiſſet:* 2. *Ea, quæ idem in Hiſtoriam Theophylacti Simocattæ ſcripſit.*

(*i*) *Diverſa compoſuit Opera ad Grammaticam pertinentia, quæ inter eminere videntur Progymnaſmata Latinitatis, quibus quatuor Dialogorum volumina continentur. Scripſit illa, ut ſtylum ſuum, purum illum ac terſum, exerceret: et alios eodem ſtylo uti doceret.*

inutiles (*k*) Verùm â duplici hac accuſatione labores ſuos PONTANUS in *Præfationibus*, juſtis rationibus redditis, in anteceſſum purgavit. Denique BAILLETUS in *Tomo III. P. I. p.* 205. de *Noſtro* in hæc verba ſcribit: PONTANUS *fort verſé dans les Humanités, et plus capable de juger des bons Vers, que d' en faire, a donné en latin trois Livres d' Inſtitutions poëtiques, qui ont été bien recuës du Public; comme il paroit par les diverſes editions, qui en ont été faites en Allemagne & en France. Il a fait encore un Traité ſur cet Art ſous le titre de l' Apprentiſſage de la Poëtique* (*l*). Hæc BAILLETUS de PONTANO noſtro, quæ prolixius â me relata eſſe, minime injucundum tibi, benevole Lector! accidiſſe arbitror; tum quod ad gloriam *Noſtri*, et veram doctrinæ eius imaginem depingendam inſigniter faciant: tum quod â Viro *Critices* peritiſſimo proficiſcantur, cuius judicia adoptare tutò nobis licet.

I 2 Quod

(*k*) *Inter præcipuas eius Verſiones numerandæ ſunt Hiſtoria Ioannis Cantacuzeni, Theophylacti Simocattæ, Georgii Phranzæ &c.* (Hic interponit BAILLETUS Verſiones *â Noſtro* adornatas) *Obſervavimus alibi, ſtylum Patris huius ſatis purum, & probe latinum eſſe. At variant inter ſe Critici, quid de eius Verſionibus ſit ſentiendum. Vituperatur namque ab aliis, ab aliis laudatur; quod paululum majorem, quam ſcrupuloſi Verſores aſſolent, licentiam ſibi arrogârit: et in aliquibus ſuorum Auctorum, præcipue in Gergio Phranza varias digreſſiones, ſibi inutiles viſas reſecârit.*

(*l*) PONTANUS *in Humanioribus multo verſatiſſimus, & dijudicandis aptior Verſibus bonis, quam componendis, edidit latine Libros tres Inſtitutionum poeticarum, quas Reſpublica litteraria benigne excepit; id quod ex variis editionibus in Germania, Galliaque adornatis patet. Conſcripſit etiam Tractatum de hac ipſa Arte ſub titulo: Tyrocinium poeticum.*

Quod ſiquis nôſſe avet, quibus modis quibusve viis ad tantam litterarum gloriam eluctatus ſit PONTANUS, is ſciat, hoc duabûs rebus effectum eſſe: ſtupenda nimirum induſtria, quæ omnem laboris ſatietatem â *Noſtro* excluſit: & ſingulari, quo aliis prodeſſe ſatagebat, ſtudio. De laboris tolerantia in PONTANO, ad ſummam ſenectutem usque ab eo continuata, tum ſupra dictum eſt: tum ſuis eam verbis ipſe confirmat, dum in *Præfatione* ad VIRGILIUM ſuum: ſe illos Commentarios *non ſine navitate et defatigatione multa* concinnâſſe; dum *opus hoc grave, atque perdifficile, Atlantæisque ſubeundum humeris* appellat; dum *Præfationem* ad *Metamorphoſes* OVIDII hisce orditur: *Quos Deo opt. max. litterarum noſtrarum auſpice, duce, comite, poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina rerum, ac ſpes & deſideria multorum in longum producta, nunc tandem foras expromimus Ovidianarum Metamorphoſeon Libros &c. &c.*

Singulare autem, quo aliis prodeſſe quam maxime cupiebat, ſtudium rurſus ipſa illius verba liquido produnt; dum in citata *Præfatione* ad *Virgilium* ait: *Poſtremo incitavit me ad hanc provinciam ſuſcipiendam utilitatis litterariæ, per liberalium artium cultores diſſeminandæ, flagrantiſſimum deſiderium, quod cum frequens præ me tulerim, frequens præ me feram*; dum non tam propriam gloriam, quam Lectorum ſuorum utilitatem ſibi propoſitam habuit; unde in *Præfatione* ad *Ovidium* monet: *Trecentos teſtes et auctores in unam eandemque rem advocare ut ad gloriolam ſpecioſum; ſic ad fructum ſupervacaneum duxi*; dum in *Præfatione* ad *Inſtitutiones* ſuas *poëticas* palam & aperte profitetur: *Interea laboribus hiſce meis utantur & fruantur, licet, Poëticæ Candidati; donec alius quiſpiam*

plura,

plura, meliora, & omni ratione aptiora gratioraque ediderit. Quod ego non ſolum non timeo; quin etiam ut id fiat, & me tum vivente, tum vita defuncto fiat, magnopere Deum rogo: cuius munus agnoſco, quidquid proſum litterarum amatoribus. Prodeſſe autem tam concupiſco, quam me hominem natum eſſe gaudeo.

Acceſſerunt ad hæc duo plures circumſtantiæ aliæ perquam accommodæ; videlicet propenſa Superiorum voluntas: Virorum eruditiſſimorum amicitia: denique *Maximiliani*, *Bavariæ* Ducis, favor ſingularis.

Certè Superiores videntes, quantum Societatis, quantum novæ Provinciæ, novíque Gymnaſii intereſſet, litteras, quoad eius fieri poſſet, quam altiſſimè provehere, PONTANO ſua ſponte currenti calcar addidiſſe, eiusque conatus modis omnibus adjuvâſſe, nil eſt, quod dubitem. Huc Præſidum, ingenio hominis ſapienter ſe conformantium, mandata: huc ROSEFFII (ut ſupra monui) vota ſpectabant, ut PONTANUS humanitatis bonarumque litterarum diſciplinam, quantum id efficere poſſet, excoleret, poliret, perficeret. Sic factum, ut eius ſtudia Deo ſecundante, natura officiique munere trahente ad ſummum apicem pertigerint.

Ex amicitia autem, quam cum Viris ætatis ſuæ doctiſſimis coluit PONTANUS, maximum percepiſſe fructum credendus eſt. Horum præſtantiores nonnullos nomine vocare, haud abs re erit: uti *Juſtum* LIPSIUM, de quo ſuperius mentio incidit: & *cuius laborum admiratorem æternum* (*) vocari ſe, *Noſter* non erubuit: *Andream* SCHOTTUM, qui *Noſtro* Codices ſuæ Bibliothecæ manuſcriptos communicavit, multaque, ut credere omnino

(*) V. BURMANNI *Syllogen Epiſtolarum*, *T. II. p.* 34.

nino fas eſt, monuit: *Abrahamum* ORTELIUM, Geographorum ſui ſæculi haud dubie perfectiſſimum, qui geographicæ Tabulæ, *Aeneæ* itinera maritima exhibentis, ac proinde ad ſex priorum *Æneidos* librorum intelligentiam plurimum idoneæ, imitandæ ac recudendæ poteſtatem uno anno, priusquam ab hominibus demigraret, PONTANO humaniſſime conceſſit: *Antonium* MURETUM, de quo etſi non habeam, quibus ſtudia *Noſtri* adjuvârit; tamen eum PONTANO amiciſſimum fuiſſe, illumque *mirabiliter amaviſſe* binis litteris, quæ cum reliquis MURETI extant, certiſſimum edoceor: *Iacobum* GRETSERUM, qui Græcos Auctores à *Noſtro* in latinam linguam converſos Adnotationibus doctis, eo rogante, correxit, illuſtravit, ornavit. Quid jam de *Marco* VELSERO, ſplendidiſſimo illo urbis & reipublicæ *Auguſtanæ*, immo univerſi litterati orbis ſydere, litterarum juxta ac litteratorum omnium amico communi dicam, quem in eadem urbe, inque eodem ferme ſtudiorum genere cum PONTANO verſantem, inſigni in omnibus adjumento amico ſuo extitiſſe non puto ſolum, ſed et ſciò? VELSERUS in edendo *Ioanne* CANTACUZENO *Noſtro* eximiam opem tulit; quod *Chriſtophorus* ARNOLDUS (*m*) ſequentibus narrat: *Iac. Pontanus in Annotationibus ſuis ad Io. Cantacuzeni Hiſtoriam monuit, principium Epiſtolæ, ſive titulos, quibus Imperatorem cohoneſtavit, linguâ veterî ſcriptos eſſe: reliqua omnia linguâ, quam nunc vulgare Græcum appellant. Itaque ſtudio M. Velſeri factum, ut ea ab homine Græci, et ſcholaſtici et vulgaris, perito redderentur Græco puro puto ſermone; quò Pontanus in latinum vertere poſſet.* VELSERO auſpice *Noſter S. Cyrillum* in

(*m*) In *Vita* VELSERI, præmiſſa *Opp.* eiusdem *Norimbergæ* excuſis annô 1682.

in Prophetas minores luci dedit. VELSERO (nil dubito) curante *Noſter* Codices MSS^tos. quorundam Scriptorum græcorum, quos Latio donavit, è Bibliotheca Reipublicæ *Auguſtanæ* obtinuit. VELSERUS lucubrationibus PONTANI id honoris habuit, ut & *Florida* illius, & præcipue eiusdem *Virgilium*, Opus elegans & magnificum, inclyto ſuo e typographæo, ad *Inſigne pinus*, produxerit: ob quod ipſum PONTANUS in prævio *Carmine euchariſtico* ſic canere voluit:

Quo tibi, MARCE! *rear contingi corda lepore*,
Quæ tibi, quæ tacitam ſuffundere gaudia mentem?
Palladia dum ſe circum glomerante caterva
Et portante manu florentia lumina flammis
Aſpicis æternum in vulgus prodire MARONEM.
Gaudet ut ipſe ſibi? ut ſe contemplatur? et illa,
Quæ Cæſar, quæ Mæcenas, quæ Pollio quondam
Contulerant, nil eſſe putat ſeſtertia, præ queis
Ingenii ſe nunc opibus pernoſcit honorum (n)?
Quacunque incedit, loca fervent omnia plauſu:
Cantibus Aonides, fidibus lætatur Apollo:
Tamque novam ingenti famam gratantur alumnô.
Quique ita ſtipatum, populi ſacis eſſe Poetam
Aere tuo, *Tibi*, MARCE! *omnes optata precantur*,
Atque tuum ſublime ferunt ad ſydera nomen.

— — — — — —

— — — — — —

MARCE! *meum columen! Charitum flos*; *gloria Muſæ*!
Ante alios omnes quem diligit inclyta virtus,
Perge ſtylo dulci, ſumptu*que ornare Camoenas.*

Colophonem addidit *Maximiliani*, *Bojorum* Ducis, ſingularis in *Societatis* alumnos favor & mi-

(n) A voce: *Honoras.*

rus erga litteras amor, quibus actus Princeps ille ſereniſſimus *Societatis domeſticis poteſtatem liberaliter atque ultro conceſſit, e voluminibus græcis calamo exaratis, quorum in Bibliotheca ſua lectiſſimam habuit copiam, depromendi, et ad communem uſum emolumentumque, cuius incenſo tenebatur deſiderio, interpretandi, quæcunque placuiſſent.* Hac Ducis maximi gratia excitatus quoque PONTANUS haud diu cunctandum ſibi duxit, quin et ad illud ſtudii genus ſeſe conferret. Quare incidens in *Ioannis* CANTACUZENI *Hiſtoriam*, quô *ad guſtum ſententiamque ſuam nihil accommodatius, nihil ad prima laboris huius tentanda pericula, propter Auctoris in ſcribendo facilitatem, opportunius nanciſci poſſe ſe crediderat*, in illo latine convertendo laborum, quos in hoc litterarum genere poſtea exhauſit, initium fecit.

Habes, Lector benevole! quæ ad Vitam, mores, doctrinam, doctrinæque adjumenta in *Noſtro* attinent. Iam elenchum Operum ab eo conſcriptorum, ſive editorum ſive ineditorum, accipe non nudum illum atque ſimplicem, ſed Virorum eruditorum ſententiis variiſque obſervationibus comptum.

Catalogum Operum â PONTANO aut editorum, aut conſcriptorum daturus, ab lucubratione ordiar, quæ Auctores, quotquot de *Noſtro* ſcripſere, penitus fugit, primaque â PONTANO in lucem emiſſa fuiſſe videtur. Huic mox ſubdam aliam, quæ, ſæpiſſime repetitis procuſa typis, nomen *Noſtri* famamque per totam late Germaniam circumtulit. Itaque chorum ducat

I. *Rochi Peruſini de ſcribenda & reſcribenda Epiſtola Liber plurimis locis ſtudioſe emendatus atque diſtinctus; multis præterea neceſſariis capitibus, utiliſſimisque annotationibus et ſcholiis locupletatus â Iacobo* PONTANO *è Societate Ieſu.* in 8°. *Dillingæ. Excude-*

cudebat Ioannes Mayr. 1578. In *Præfatione* ad litterarum politiorum ſtudioſam juventutem exponit, quid in edendo Libro iſto ipſe præſtiterit, his verbis: *Nos cum circumſpiceremus pæne omnes, qui de ratione efficiendarum Epiſtolarum aliqua præcepta tradiderunt, Rochum* PILORCIUM *Marſianenſem, civem Peruſinum, magiſtrum ſatis idoneum fore ſtatuimus....* Igitur *non pauca emendavimus: multa concinniora reddidimus: ſtylum nonnihil limavimus: ſectionibûs diſtinctionibûsque adhibitis, confuſis et perturbatis ordinem, obſcuris lucem afferre conati ſumus: capita priſtina hinc inde ſupplevimus: inſuper ſex ſupra viginti nova prorſus, tum ex illuſtrium Scriptorum ſententiis, tum majorem partem noſtro Marte confecta addidimus: ſcholia quoque, ſi minus erudita... ſaltem non omnino infrugifera paſſim inſeruimus &c.* Tractatio hæc ſæpius recuſa fuit.

II. *Progymnaſmata Latinitatis, ſive Dialogi*, numero CCC. *Volumen I.* in 8°. *Ingolſtadii. Excudebat David Sartorius.* 1588. Dedicatio à *Noſtro* data eſt *Auguſtæ*, ad ornatiſſimum Adoleſcentem *Georgium* FUGGERUM, *Iacobi* filium, Baronem in *Kirchberg &c.*

Volumen II. 8°. *Ingolſtadii.* 1589. Inſcripſit *Noſter* SS^mis^ utriusque Bavariæ Principibus, Palatinis Rheni, *Philippo* & *Ferdinando.*

Voluminis III. Pars prior. in 8°. *Ingolſtadii.* 1592. Nuncupavit *Noſter* RR^mo.^ & Illuſtr^mo.^ Principi *Wolfgango*, Præpoſito *Elvacenſi.*

Voluminis III. Pars poſterior. in 8°. *Ingolſtadii.* 1594. Dedicavit *Noſter Ioanni Othoni de* GEMMINGEN Epiſcopo *Auguſtano.*

Hanc principem editionem ſecutæ fere innumerabiles aliæ, utpote Libri ſcholarum uſui deſtinati; quas referre ſingulas haud vacat. Satis itaque ha-

beo, urbes nominaſſe, in quibus illas factas eſſe invenio. Dedit eas *Ingolſtadium*: dedit *Colonia*: dedit *Francofurtum*: dedit *Moguntia*: dedit *Dillinga*: dedit *Auguſta*: dedit & *Lipſia*, quamplurimas.

Progymnaſmatis autem iſtis *omnia fere, quæ in conſuetudinem uſumque communem incidunt, ſermone puro latinoque complexum eſſe Noſtrum*, teſtatur ALLEGAMBIUS. *Petrus* STEVARTIUS *Theologiæ* in Academia *Ingolſtadienſi* Profeſſor celeberrimus, *puritatem, proprietatem, elegantiam latini ſermonis*, dein et *doctrinæ gravitatem erudiendæ juventuti catholicæ utilem cumprimis et neceſſariam* in iisdem collaudat. *Dan.. Georg.* MORHOFIUS in *Polyhiſtore T. I. p.* 244. Editionis *Lubecenſis*, anni 1747. eorundem his meminit verbis: PONTANUS *Progymnaſmata in lucem edidit, quibus, per rationem colloquiorum, varia proponit in uſum linguam latinam addiſcere cupientium, ac eorum, qui antiquitatum aliarumque rerum notitiam ſibi parare velint.* BAILLETI de hoc Opere judicium habes ſuperius *p.* 130.

III. *Poeticarum Inſtitutionum Libri III. Eiusdem Tyrocinium poeticum.* in 8°. *Ingolſtadii. Ex typographia Davidis Sartorii.* 1594. Dicavit *Noſter Ioanni Conrado de* GEMMINGEN Coadjutori *Eichſtettenſi.* In *Præfatione* dolet „diſciplinam poeticam „nondum ſatis idoneè appoſitéque ſive a Græcis ſi„ve a Latinis pertractatam fuiſſe ac illuſtratam. *A„riſtotelem* obſcurum eſſe: *Horatium* non tam via „quadam ac ratione certa perſequi voluiſſe poeti„cen, quam poetarum ævi ſui errores caſtigare: „*Scaligeri, Vidæ*, & *aliorum* Commentarios miſ„ſos ſe facere, hocque ſolum et affirmate aſſeve„ranterque pronunciare: qualeſcunque ſint et quan„tumcunque copioſe, ſubtiliter, acute poëticen ex„plicarint, nihilominus eorum neminem ita ſcrip-

„ſiſſe

„fiſſe, ùt optandum fuiſſet maximopere: ut, velut „in cæteris ſtudiorum liberalium doctrinis cæteri, „quanquam recentiores; ſic ipſi quoque in hac per „gymnaſia diſcentibus verum et commodum ad He„liconem iter oſtenderent: ac proinde artis præ„cepta a magiſtris commode ac dilucide explanari, „et ab auditoribus, ad ſolidam gloriam ê poematum „confectione pariundam, penitus combibi poſſent. „Itaque ſe hoc laboris, in ſtudioſæ juventutis emo„lumentum, ſuſcepiſſe". Neque infeliciter is *Noſtro* ſucceſſit: nam *ob accuratam doctrinam* ſingularem ex illo utilitatem ad ſtudioſos redituram, *Petrus* STEVARTIUS teſtari non omiſit. MORHOFIUS *L. c. T. I. p.* 1009. extollens laudibus *Jul. Cæſ.* SCALIGERI Libros *de Re poëtica*, addit: *Quæ* PONTANUS in *Inſtitut. poëtic.... habet, etſi non contemnenda ſint, his tamen utique non ſunt comparanda; ſed plane alius generis præcepta.* Quid? ſi SCALIGERUM de re poetica ſubtilius, PONTANUM viciſſim utilius ſcripſiſſe dicamus. Laudat hoc Opus BAILLETUS; de quo ſupra, *p.* 131. vide.

Inſtitutionibus poeticis additum *Tyrocinium poeticum*, PONTANUS, *juvenilem Muſam ſuam* appellat, *corpus parvum verſiculorum, quos ætate viridiore cum eſſet, et cœleſtibus illis ſacris, ut Naſo vocavit, libenter ac ſæpe natura trahente operaretur, partim ſuopte nutu, partim aliena auctoritate compoſuit.* Complectitur ergo *Tyrocinium* memoratum *Elegiarum Libros II. Funebrium Lib. I. Miſcellaneorum Libros II. Dramata II.* videlicet *Immolationem Iſaaci*, & *Stratoclem* ſive *Bellum.*

Utriusque Lucubrationis huius variæ ſunt editiones. *Inſtitutiones poeticæ* denuo *Ingolſtadii* 1597. et 1600. *Turnoni* in 16°. 1600. *Lugduni* in 16°. 1670. vul-

vulgatæ fuerunt. *Tyrocinium poeticum.* in 8°. *Ingolſtadii* 1604. denuo prodivit in lucem.

IV. *Floridorum Libri VIII.* videlicet *de Puero Ieſu L. I. de Paſſione Domini L. II. de Virgine Maria L. II. Sponſalium L. II. de Nuptiis Agni L. I. Auguſtæ Vindel.* 1595. *Ad Inſigne Pinûs.* Dicavit *Noſter* parthenianis apud gymnaſia *Societatis Ieſu* Sodalitatibus. Editio II. *emendatior, melior, auctior, cum figuris æneis*, prodiit anno 1596. *Auguſtæ Vindelicorum.* in 12°. Cum *Inſigni pinûs*. *Excudebat Ioannes Prætorius.* De hac editione, à *Marco* VELSERO adornata vide, quæ monui in *Alphabeto II. Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ*, in *Notis*, *p.* 199. Editio alia in 8°. *Ingolſtadii*, anno 1602. Ex *Sartorii* Typographeo emiſſa, cui acceſſit *Hymnorum in Ordines Cæleſtium Liber ſingularis*, teſte ALLEGAMBIO. Iterum *Ingolſtadii* anno 1611. exivit in lucem.

V. *Symbolarum Libri XVII. quibus P.* VIRGILII *Maronis Bucolica, Georgica, Æneis ex probatiſſimis Auctoribus declarantur, comparantur, illuſtrantur.* in *folio. Auguſtæ Vindelicorum. Ad Inſigne Pinus. Ex Officina Ioannis Prætorii.* 1599. Dicavit Noſter ſuas *Symbolas Octaviano ſecundo* FUGGERO, & *Quirino* REHLINGERO Duumviris, Septemvirali Collegio, totique Ordini ſenatorio *Auguſtanæ* Reipublicæ. Aliam editionem *Auguſtanam* anni 1609. item *Lugdunenſem* anni 1601. in *folio* memorat *Mart.* LIPENIUS in *Biblioth. philoſophica. T. II. p.* 1529. Sed de *Auguſtana* vereor, ne annus impreſſionis in mendo cubet. Editionem *Lugdunenſem* anni 1604. memorant *Gottfr. Ephraem* MULLERUS in *Hiſtoriſch-Critiſchen Anleitung zur Kenntniſs der alten lateiniſchen Schriftſteller T. III. p.* 343. & *Chriſt.*

Chriſt. Gottl. HEYNIUS in *Catalogo Editionum Virgilianarum. p.* 101.

PONTANI *Caſtigationes ad* VIRGILII Opera in 32°. *Sedani*, anno 1625. & 1626. exiviſſe monuit laudatus HEYNIUS *l. c.* PONTANI *Caſtigationes in Virgilium* etiam *Coloniæ*, in 12°. 1664. vulgatas eſſe refert *M.* LIPENIUS *l. c.*

SCALIGERUS maximi fecit hoc PONTANI Opus: uti ex BAILLETO habes ſuperius *p.* 129. Confer etiam, quæ in *Vita p.* 122. monui. Commentariis iſtis uſum ſe profitetur *Ioannes Ludovicus de la* CERDA S. I. in *Virgilio* a ſe edito: itemque SCHREVELIUS in ſuo *Virgilio. Lugduni Batavorum.* 1661. Eos *eximios* eſſe teſtatur *Ioan. Alb.* FABRICIUS in *Biblioth. latin. T. I. p.* 251. *Opus magnificum & ampliſſimæ doctrinæ* vocat Liber: *Effigies Virorum eruditorum Bohemiæ*, *T. I. p.* 50. Confer Librum: *Merckwürdigkeiten der Dreſdenſchen Bibliothek*, *T. II. p.* 244. & 253.

VI. *Ioannis* CANTACUZENI *Ex-Imperatoris de Rebus ab Andronico Palæologo, Imperatore CPtano. nec non à ſe geſtis Hiſtoriarum Libri IV. Iacobus* PONTANUS *S. I. latine vertit, & Notas ſuas, cum Iacobi* GRETSERI *eiuſdem Societatis Adnotationibus, addidit.* in *folio*, *Ingolſtadii. Ex Typographia Adami Sartorii.* 1603. Conſecravit *Noſter Henrico de* KNOERINGEN Epiſcopo *Auguſtano*, & Collegio Canonicorum cathedralis Eccleſiæ ibidem. In *Præfatione* Operis, ex *græco Codice MSSto.* Bibliothecæ *Bavaricæ* perquam mendoſo maléque interpuncto a ſe verſi, indicat PONTANUS, quid laboris in edendo *Cantacuzeno* ipſe poſuerit; tum monet: locos aliquot parum ſanos ſe prætextis in ipſo contextu *Animadverſionibus* à *Iac.* GRETSERO, *Noſtri* rogatu conſcriptis, perſtrinxiſſe. *Petrus* STEVARTIUS

TIUS jam laudatus ſequens de præſenti *Hiſtoria* judicium tulit: *eam à Noſtro elegantiſſime fideliſſimeque translatam* (*ſive autorem*, *ſive argumenti magnitudinem*, *ſive interpretem*. *tot jam præclaris ingenii monumentis editis clarum ac celebrem ſpectemus*) *non modo luce, verum etiam publica gratulatione et commendatione digniſſimam eſſe.* Iſta PONTANI Verſio, addito *Textu græco* ex Codice Bibliothecæ *Petri Seguierii*, prodivit denuo anno 1645. *Pariſiis*: deinde & *Venetiis*. 1729. in *Corpore*, ut aiunt, *Hiſtoriæ Byzantinæ*; ubi ſequens de *Noſtri* labore judicium legere eſt: PONTANUS *Ioannem Cantacuzenum*, *Orientis Imperatorem*, *togatum fecit*: *de græco*, *inquam*, *in latinum* eleganter convertit, *togæque eius* Notas pereruditas *veluti purpuram intexuit*; *ne ſcilicet terræ Græciæ Princeps in publicum ſine purpura prodiret.* Confer, ſi lubet, *Io. Alb.* FABRICII *Biblioth. græc. T. VI. p.* 472. Vide etiam *Petri* LAMBECII *Commentarios de Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi*, *T. V. p.* 389. ubi ſphalma PONTANI emendatur. Quid de PONTANI Verſionibus e græco in univerſum ſit ſentiendum, habes ſupra ex BAILLETO, *p.* 130.

VII. SIMEONIS *Iunioris*, *Theologi*, *Presbyteri*, & *Præpoſiti Monaſterii S. Martyris Mamantis ad Xylocercum*, *de Fide et Moribus tum chriſtianis tum monaſticis Orationes XXXIII.* Eiusdem *divinorum Amorum ſive Commentationum ſacrarum Liber ſingularis.* Eiusdem *Capita moralia ducenta duodetriginta. Acceſſerunt* alia complura, tum maxime SIMEONIS *Archiepiſcopi Theſſalonicenſis de divino Templo*; *de eius Miniſtris*, *Epiſcopo, Sacerdote, Diacono; de ſacris eorum veſtibus, de ſacroſancta Myſtagogia ſive Miſſa. Omnia nunc primum ex Bibliotheca SS^mi. utriusque Bavariæ Ducis &c. &c. Maximiliani* (Adde et *Auguſta-*

guſtanam) *depromp͡ta et latinitate donata* in 4to. *Ingolſtadii.* Apud *Adamum Sartorium.* 1603. Dedicavit *Noſter Ioanni* MERCK Abbati *San - Udalricano.* Recuſa hæc in *Bibliotheca Patrum maxima*, ultimæ editionis *Lugdunenſis*, *T. XXII. p.* 624. Confer *Io. Alb.* FABRICII *Biblioth: græc. T. X. p.* 299. 300. 326. ubi vult: SIMEONIS *Theſſalonicenſis* Opus â *Noſtro minus ſincerum editum fuiſſe.*

VIII. *Theophylacti* SIMOCATTÆ, *Ex - Præfecti & Obſervatoris Coactorum*, *Hiſtoriarum Libri VIII.* græcè et latinè. *Georgii* PHRANZAE *Chronicorum de ultimis Orientalis Imperii temporibus Libri III.* latine duntaxat. *Georgii* TRAPEZUNTII *Epiſtola ad Ioannem Palæologum Imperatorem*, græce et latine. in 4to. *Ingolſtadii. Typis Adami Sartorii* 1604. Opus Maximiliano utriusque *Bavariæ* Duci *Noſter* dicavit, laudans eius in *Societatem* amorem ac benevolentiam, cuius pars etiam in *Auguſtanum Collegium* dimanârit; ſcilicet dum pagum *Kyſſingam* abs *Sociis* emptum, *Maximilianus* amplis privilegiis donavit; de quo inferius in ROSEFFII *Vita* mentio recurret. SIMOCATTA, ex recenſione PONTANI, recuſus fuit *Pariſiis.* 1648. caſtigatior & *gloſſario græco - barbaro* auctior â *Carolo Annibale* FABROTTO: deinde et *Venetiis.* 1729. in *Corpore* ſcilicet *Hiſtoriæ Byzantinæ.* Sed PHRANZA & TRAPEZUNTIUS utrobique omiſſus. Confer *Io. Alb.* FABRICII *Biblioth. græc. T. VI. p.* 591. *ſeqq.* SCALIGERO (ut ſupra ex BAILLETO docui) plurimum placuit hic *Noſtri* labor. *Maximilianus* quoque *Bavariæ* Dux ſereniſſimo judicio ſuo multum comprobavit, teſtante *Hiſtoria Soc. Ieſu German. ſuper. T. III. p.* 168.

IX. PHILIPPI *Solitarii Dioptra*, *i. e. Regula ſive Amuſſis rei chriſtianæ ad Callinicum monachum*, qua-

quatuor Libris per dialogum explicata. *Ex Bibliotheca Reipublicæ Auguſtanæ.* NICOLAI *Cabaſilæ de Vita in Chriſto Libri VI.* Eiusdem *Oratio I. contra foeneratores. Ex Bibliotheca Bavarica.* IOANNIS *Carpathiorum Epiſcopi Capita hortatoria, ſive Documenta ſpiritualia XCVII.* Eiusdem *Capita alia XCIV.* PHILOTHEI *Patriarchæ Conſtantinopolitani Laudatio in SS. Baſilium M. Gregorium Theologum*, & *Ioannem Chryſoſtomum*, græce et latine. MICHAELIS *Glycæ Diſputationes II. Ex Bibliotheca Andreæ Schotti S. I.* in 4to. *Ingolſtadii.* 1604. Ex iſta primæva editione hæc omnia in *Bibliothecam Patrum maximam*, editionis ultimæ *Lugdunenſis*, *T. XXI. XXVI. XII. XXVI. XXII.* tranſierunt. Confer *Io. Alb* FABRICII *Biblioth. græc. T. VI. p.* 542. Vide *Petri* LAMBECII *Comment. de Biblioth. Caſ. Vindob. p.* 76 & 95. ubi editio iſta corrigitur.

X. *Parthenometrica, i. e. Meditationes, Preces, Laudes in Virginem Mariam, potiſſimum ex eccleſiaſticis Græcorum monumentis.* in 12°. *Auguſtæ Vind. Apud Davidem Francum.* 1606. Dicavit Sodalibus partheniis *Auguſtanis.*

XI. *S. Cyrilli Alexandrini Commentaria in XII. Prophetas minores.* in *folio. Ingolſtadii. Apud Adamum Sartorium* 1607, Hæc primus *Noſter græce* ac *latine* edidit, auſpiciis *Marci* VELSERI, qui in *Epiſtola* ad VULCANIUM data anno 1601.inquit: *Ego, ne neſcias, inter primos Cyrilli amatores nomen profiteor; cuius rei hanc capias conjecturam licet: quod amico cuidam meo, græce et latine apprimè docto, auctor fui, Commentarium in XII. Prophetas vertendi. Is vero totum penſum jam abſolvit, et nunc maxime editionem adornat. Prophetas minores decem ex Bibliotheca Boica habuimus: reliquos duos ex Vaticana.* Opus, magnificum et illuſtre, *dignum æquis æſtimato-*

matoribus viſum, quod communi Provinciæ Societatis Ieſu Germaniæ ſuperioris nomine PONTANUS *Henrico IV. Galliarum Regi inſcriberet, qui æterno beneficio Societatem, nuper auctoritate ſua Galliæ reſtitutam, obſtrinxerat. Rex non gratum ſolum litterarium munus habuit, ſed litteras etiam ad* ROSEPHIUM *Provincialem dedit, actisque gratiis memorem ſe gratumque in Societatem fore promiſit;* uti teſtatum reliquit *Hiſtoria S.I. German. ſuper. T. III. p.* 308. De reliquo *Commentaria* iſta *Ioannes* AUBERTUS, Eccleſiæ *Laudunenſis* Presbyter Canonicus, ſuæ *Cyrilli* editioni, quæ modo rariſſima eſt, inſerere non dubitavit, ubi integrum *Tomum III.* ſatis ſpiſſum occupant. Confer *Io. Alb.* FABRICII *Biblioth. græc. T. VIII. p.* 561. ubi malè annus primæ editionis 1605. ponitur.

XII. *Colloquiorum ſacrorum Libri quatuor cum Notis. Item ex Codice Auguſtano MSS*[o]. *potiſſimum collecti Moralium Faſciculi duo, & latinè redditi.* in 8°. *Ingolſtadii. Ex typographæo Adami Sartorii*, 1610. Dicavit *Noſter Leopoldo* Archiduci *Auſtriæ* Epiſcopo *Argentoratenſi* & *Patavienſi.*

XIII. *In P.* OVIDII *Naſonis, Poetarum ingenioſiſſimi, Triſtium & de Ponto Libros novi Commentarii. Item Hortuli Ovidiani, i. e Sententiæ & Proverbia ex quotquot Poetæ monumentis ... conquiſita, in locos communes redacta, & Commentationibus explicata.* in *folio. Ingolſtadii. Ex typographæo Adami Sartorii.* 1610. Inſcripſit *Noſter* Opus *Wladislao*, filio *Sigiſmungi III. Polonorum* regis, adhuc adoleſcenti. In *Præfatione* monet, *ſe, cum nihil Commentariorum in memorata Ovidii Opera* (præter MERULÆ & AMERPACHII) *circumferri videret*, ad tales ſcribendos aggreſſum eſſe. In fine addit: *ſe jam pridem ſecum volutare, qua via, qua*

utrobique honeſta, ſuo labore explanatos Faſtorum & Metamorphoſeon *Libros cum ſtudioſis communicare queat.* Notandum, *Hortulos Ovidianos* ſeparatim quoque *in uſum juventutis* excuſos fuiſſe.

Audiamus *Petrum* BURMANNUM, in *Præfatione* ad ſuum *Ovidium* dicentem: *In Triſtia* & *Epiſtolas de Ponto, quæ* fere ſcholaſtica penſa ſolent eſſe, nullam rationem *fere* PONTANI *habui.* Confer *I. A.* FABRICII *Biblioth. latin. p.* 321. *Edit. Venetæ.* 1728.

XIV. *P.* OVIDII *Naſonis Metamorphoſeon Liber XV. ſectionibus et in easdem argumentis probe diſtinctus & locupletatus. Ex eiusdem Libro XIII. Armorum Iudicium. Item Naſonianum Paradigmaticon i. e. Exempla moralia ex Metamorphoſi &c.* 8°. *Monachii.* 1613. Edidit hæc *pro Scholis Societatis.*

XV. *Attica Bellaria, ſive litteratorum ſecundæ Menſæ, ad animos ex contentione et laſſitudine ſtudiorum lectiunculis exquiſitis, jucundis, ac honeſtis relaxandos, ſyntagmatis decem explicatæ.* Dicavit *Noſter* honoribus *Mutii* VITELLESCI *Societatis Ieſu* Præpoſiti generalis. Opus hocce *tribus Voluminibus* ab anno 1615. ad 1620. in 8°. *Auguſtæ*, apud *Andream Apergerum* prodiviſſe monet ALLEGAMBIUS. Alia extat editio *Monachienſis*, apud Viduam *Bergianam*, 1616. in 8°. Prodierunt etiam *Viennæ.* 1620. *Hannoveræ.* 1634. *Francofurti.* 1644. Rurſus *Auguſtæ.* 1647.

MORHOFII, *L. c. p.* 244. de Libro iſto ſequens eſt judicium: PONTANUS *Ieſuita doctus Attica Bellaria . . . ſcripſit, i. e. Varia collectanea hiſtoriarum, rituum, ſalium, facetiarum, in quibus multa occurrunt notatu digna; quanquam argumenta interdum vulgaria immiſceantur.*

Titulum Operis, quem CRENIUS *l. c.* utpote ſibi (quod nullus dubito) haud viſum, male allegat,

legat, et ſe capere non poſſe ait, habes ſupra accuratè exſcriptum, optimæ Latinitati reſpondentem.

XVI. *Ethicorum Ovidianorum* Libri IV. in 8°. *Ingolſtadii.* 1617. Ita teſtatur ALLEGAMBIUS & SOTVELLUS *l. c.* Confer *ſuperius No. XIII. & XIV.*

XVII. *Ex P.* OVIDII *Naſonis Metamorphoſeon Libris* XV. *Electorum Libri totidem, ultimo integro. Ad eosdem novi Commentarii cum Sectionibus & Argumentis.* in *folio. Antverpiæ. Apud Heredes Martini Nutii* 1618. Opus à *Noſtro Poeticæ, Poetarumque Amantibus donatum, dicatum, conſecratum*, quod *Laurentius* BEYRLINCKIUS *ut novum, doctum. et vere electum* prœlo dignum cenſuit. *Petrus* BURMANNUS ſupra allegatus ſe hoc *Noſtri* labore, ed rarò, uſum eſſe profitetur *l. c.* Confer (ſi lubet) *Io. Alb.* FABRICII *Bibl. latin. p.* 314. *Edit. Venetæ,* 1728.

XVIII. *Philocalia, ſive Excerptorum e ſacris et externis Auctoribus Libri X. cum Commentariis & Notis pæne perpetuis. Opus exquiſita varietate frugiferum ac peramœnum.* in *folio. Auguſtæ. Ex officina typographica Andreæ Apergeri. Impenſis Ioannis Krugeri.* 1626. Obtulit *Noſter* Opus hoc *Alexandro* URSINO Cardinali, qui, *Auguſtam* anno 1625. tranſiens, PONTANUM in Collegio ſeparatim conventum voluit, ut familiares de politioribus litteris ſermones cæderent: ſibique ſcripta PONTANI perquam grata eſſe, et inter graviores curas non parum oblectamenti præbere, prodidit: ex qua *Cardinalis* doctiſſimi dignatione, judicioque multum honoris ad *Noſtrum* redire, quis inficiabitur?

XIX. *Dialogi de Spiritu & Carne*, quos *Noſtro* ALLEGAMBIUS attribuit. Sunt unum idemque Opus cum *Philippi Solitarii Dioptra* (Vide *ſupra No. IX.*) in qua *caro et ſpiritus* colloquuntur.

XX. *Centuria epiſtolicarum Formularum. Coloniæ.* in 8°. quam ex ſola *Mart.* LIPENII (in *Biblioth. philoſoph. T. I. p.* 467.) auctoritate memoro. Haud dubie eſt Opus *Rochi Peruſini*, ſuperius *N°. I.* laudatum.

XXI. *De Præſtantia Epiſtolarum Ciceronis Diſſertatio.*

XXII. *Forum Latinitatis.* Ambo hæc Opuſcula ſola iterum *Chriſt. Gottl.* IOECHERI (in *Gelehrten-Lexicon*) auctoritas *Noſtro* adſcribit. Cave, *Diſſertationem de Præſtantia Epiſtolarum Ciceronis* ſeparatum opuſculum credas. Invenitur illa ſubnexa Operi *Rochi Peruſini.*

Ab editis PONTANI Operibus ad inedita deſcendendum eſt. Hæc ſunt teſte ALLEGAMBIO:

1. *Comoediæ aliquot ſacræ, quæ nondum prodierunt in lucem.*

2. *Nicephori* GREGORÆ *Opuſcula Græco-Latina.*

3. *Homericorum Libri, id eſt, ſingulorum Librorum Synopſes, ſoluta oratione latinâ.*

4. GENNADII *Orationes ad Patres in Concilio Florentino Græcolatinæ.*

5. *Criterion, hoc eſt, Judicium de Scriptoribus antiquis et recentibus.*

6. *Hortulus trium ordinum, Incipientium, Proficientium, et Perfectorum ſive Contemplantium, ex Auctore Anonymo. Latinè.*

7. *Areolæ Aromatum, id eſt, Meditationes, preces, laudes divinæ, ex Græcis collectæ Latinè.*

8. *Forum Latinitatis, id eſt, Obſervationum ex optimis Auctoribus libri cum Annotationibus.* Utrum hoc Opuſculum in lucem prodiverit, valde dubito, etſi id IOECHERUS affirmet. Vide ſuperius *N°. XXII.*

9. *Commentarius in Thebaidem* STATII.

10. *Phi-*

10. *Philocaliæ Liber XI.*

11. *Moratarum Scriptionum, quibus mores, ſeu ingenia, indoles, ſtudia, ſenſus, affectus naturæ, in perſonis tam fictis quàm veris, exprimuntur, Libri III.*

12. *Sermonum mutis rebus afflictorum, Lib. I.*

13. *Commentaria in Lib. III. priores Faſtorum Ovidii.* Vide ſuperius *N°. XIII.*

14. *Commentarioli in aliquot veterum Poetarum et Poetriarum Epitaphia.*

15. *Theſaurophylacion, ſive Arca ſpiritualis, id eſt, Piarum Conſiderationum Paſſionis Dominicæ, et S. Crucis, Libri IV.* Item

16. *Mariam vere Matrem eſſe noſtram.* Omnia ex pervetuſto codice *Germanico* ſelecta, et latine interpretata.

RADERUS (*Matthæus*)

Natione *Tyrolenſis*, patria *Inichingenſis*, primam lucem anno reparatæ ſalutis MDLXI. aſpexit, ac *vicennis* ſe Deo in *Societate Ieſu* conſecravit: in qua & humanioribus & ſeverioribus diſciplinis, nec minus pietate religioniſque præceptis excultus eſt (*a*): cuius etſi *non patriô*, at certe *Profeſſione vitæ religioſæ, et docendi officiô Auguſtani*, laudes celebrare paro.

Poſitis ille *Landſpergæ* vitæ religioſæ rudimentis, anno ferme 1584. in Gymnaſium, quod *Auguſtæ* recens *Societas* aperuerat, miſſus, ibidem *Rhetoricæ* elementa addidicit: atque ita addidicit, ut poſtea, vix dum elapſo ſeptennio, anno 1591. eadem *Auguſtæ* diſcipulos, ſibi commiſſos, docere valuerit, *Eloquentiæ* jam tum vel emeritis Profeſſoribus æquandus Magiſter. Eo munere fungens *Noſter*, nondum Sacerdotio initiatus, in honorem

(*a*) ALLEGAMBE & SOTVELLUS in *Biblioth. Societ. Ieſu.*

norem *Ioannis Othonis de* GEMMINGEN, mortuo *Marquardo à* BERG (*b*) ad epiſcopale ſolium evecti, nomine *Auguſtani* Collegii, *Applauſum* typo vulgare juſſus eſt: videturque hæc prima inter tot deinceps *Matthæi* lucubrationes fuiſſe, quam in lucem edidit, menſe *Martio* memorati anni (*c*).

Docuit autem *Rhetoricam* inſigni conſtantiâ per annos *viginti duos*, *Auguſtæ* inprimis; cuius urbis gymnaſium per ea tempora illuſtriſſimus Nobilium diſcentium numerus multum inclareſcere fecerat, teſte *Adamo* FLOTTO (*d*) ad annum 1603. in hæc verba ſcribente: *Inter claſſium auditores numerati tres Principes, Ioannes Georgius, Albertus Wladislaus, Chriſtophorus Nicolaus,* RADZIVILII, *cum aulæ præfecto Feliciano nobilique comitatu, qui Rhetorem* (Raderum) *audivêre. Poſt hos eminebant Albertus Comes* OETINGANUS; MACSELRAINIUS, *unus;* FUGGERI, *tres; Barones undecim;* PALFII, *Hungari duo; Gallus unus, Henricus de* LUMENIE, *cuius parens Galliarum Regi abs arcanis epiſtolis fuit.* Hac ratione factum, ut ex diſcipulorum claritudine permagna ad RADERUM inſtitutorem gloria ac fama redierit: dein & ex auditorum, quos altioris, inferiorisque ordinis quamplurimos habuit, inſigni profectu tum ingens in Reſpublicas civilem et eccleſiaſticam utilitas, tum ſumma ad *Noſtrum*, labores ſuos Eccleſiæ & Imperio tam proficuos eſſe ſentientem, voluptas redundârit. *Ex iis autem, quos oratoriæ quondam artis alumnos numeraverat, celebriores tres potiſſimum* RADERUS *ſenex præcipua ſua*

(*b*) Amborum horum Epiſcoporum memini in *Alphabeto IV.* præſentis *Bibliothecæ* meæ.

(*c*) V. *Hiſtoriam Societ. Ieſu, Provinc. German. ſuper. T. II. p. 9.*

(*d*) In mox memorata *Hiſtoria*, *P. III.*

ſua cum voluptate ſuſpiciebat, *Georgium* STENGELIUM (*e*) *ſermonis et morum ſuavitate ac lepôre*: *Hieremiam* DREXELIUM (*f*) *pietate ſacriſque commentationibus*: & *Iacobum* BIDERMANNUM *omni litteratura præſtantem. Quorum memoriam his verſibus celebravit*:

Tres ego diſcipulos numero de mille trecentis
STENGELIUM *lepidum*: DREXELIUM*que pium*:
Atque BIDERMANNUM, *qui nunc eſt alter Aquinas*,
Alter Ariſtoteles, *Tullius atque Maro* (*g*).

Quantum autem curæ, quantum cordi ingenuæ juventutis inſtitutio *Noſtro* fuerit, vel iſtud apertiſſime demonſtrat; quod, publicos in ea erudienda labores exhaurire non contentus, privatos quoque in eundem finem ſubire minime recuſârit. Adde, clariſſimi nominis Virum, *Euſtachium* WOLOVICIUM, *Lithuaniæ* Referendarium & *Trocenſem* Præpoſitum, domi ſuæ RADERUM, *Quintilianum* ſibi explicantem, audiviſſe.

Hæc de laboribus, â *Noſtro* in docendi officio exantlatis, ſatis ſunto. Iam reliquas vitæ eius circumſtantias, paucas illas, cum debitæ notitiæ ſive per belli *Suecici* incommoda, ſive aliis modis interiverint, pandere juvat.

Sacris Ordinibus, ipſis Calendis Maii anni 1591. initiatus *Noſter*, ſacerdotii dehinc ſui primitias ſupremo Numini obtulit. Tria ſolennia autem vota in *Societate* profeſſus eſt annô 1601. idque *Auguſtæ*, quod mihi omnia vero quàm ſimillimum faciunt. Inter ea fama doctrinæ *Noſtri* tan-

K 4 tùm

(*e*) Huius laudes celebravi in *Alphabeto III. Bibliothecæ* meæ.

(*f*) DREXELII *Vitam* â me deſcriptam, leges in *Alphabeto II.* eiusdem *Bibliothecæ*.

(*g*) Vide *Hiſtor. Societ. Ieſu* &c. *P. V.*

tùm invaluerat, ut eâdem commotus *Maximilianus*, Dux *Bavariæ*, poſtquam eius regionis *Sanctos*, in unum corpus collectos, orbi litterato proponere decreverat, *Noſtro*, *Auguſtæ* etiamnum verſanti, negotium impoſuerit, eorum nomina *per omnes chartas, faſtos & membranas conquirendi, eorumque vitas conſcribendi.* Cúmque idem Princeps illuſtrium Chalcographorum familias magnis ſumptibus aliunde evocâſſet, ut quorum *Noſter* res geſtas in litteras retuliſſet, eorum illi habitum oris, cultusque corporum, quoad aſſequi poſſent, in ære exprimerent, annis ſuccedentibus tandem ſplendidum illud Opus: *Bavaria ſancta*, tum RADERO parente, tum *Maximiliano* promotore omnino dignum emerſit in lucem, de quo *inferius* vide.

Sic, quod â prima ætate conſueverat, usque ad ultimam ita Muſis diu noctuque immerſus extitit, ut (præter pietatis ſtudium) nil ageret ferme, quam *diſcere*, *docere*, et *ſcribere.* Hoc poſtremo modo dum futuræ poſteritati conſulit: dúmque in commentandis & illuſtrandis SENECÆ *Tragoediis* extremo labore occupatur, tremula denique illis adhæſit manus Obiit autem RÂDERUS non eodem, quô cæteri *Socii*, quos orta tum peſtilentia rapuit, genere fati: ſed caſu, & quæ caſui ſupervenit, corporis intemperie. Quippe fallente veſtigio delapſus per gradus, fæde caput, quamquam citra graviorem labem, quæ appareret, afflixerat. Verum catarrhi poſtea ſuccedentis humor, cum nihil jam *Socii* metuerent, decumbenti ſpiritum repente intercepit. Hoc modo diem ſuum *Noſter Monachii*, *Bavariæ* urbe principe, anno poſt Chriſtum natum 1634. undecimo Calend. *Januar.* ætatis verò annô 74. *Societatis* autem 53. clau-

ſit (*h*), *Vir eruditionis fama & Scriptorum editorum claritudine notiſſimus, optiméque juxta ac ampliſſimé de re litteraria meritus.*

Quibus jam modis virtutem *Matthæi* noſtri deprædicem, quam is tanto pluris præ litteris fecit, tantoque diligentius coluit, quanto litteras præ cæteris rebus, quas vana paſſim libidine conſectantur mortales, impenſius amabat? Innocentiam, morumque integritatem, qua inde à primis annis floruerat, in ſene etiam, eóque plus quam ſeptuagenario, virentem intemeratámque ſuſpicere licuit. Inſigni præterea mentis demiſſione fuit, miro candore animi, et patientia ſingulari. Æterna autem quam maxime anhelavit. Quare, cum permultos ſuorum collegarum peſtifera lue ê vivis ſublatos cerneret, nihil magis jam annoſo ſibi quam conſimilem exitum ominabatur: nihil minus reformidabat. Ergo per id tempus ſæpius palam profiteri auditus eſt: ultro ſe fatis, libenterque conceſſurum. *Optamus enim*, addebat, *ſperamusque æterna*, illum ingeminans MARTIALIS ſui verſiculum: *Non poſſum vitæ de brevitate queri.* His addidit comitatem et propenſum omnibus obſequendi ſtudium: eratque minime injucundi ſpectaculi res, videre hominem ſtudiis totum librisque deditum, & cuius perpetuo animus docendo ſcriptitandoque detineretur, affabilem nihilominus, comemque eundem, ad officia promptum, ad obſequia facilem, non moroſi quidquam, non tetrici, ſed grata omnia atque exporrecta &, quas colebat, Muſis quam ſimillima præſeferre (*i*): quô factum,

(*h*) Vide *ibidem.* Corrige etiam WENDLERUM, qui in *Diſſert II. de Meritis Reipubl. Auguſt. in Rem litterar* p 40. mortem *Noſtri* in annum 1647. fors per errorem typi, rejicit

i Ita teſtantur ALLEGAMBE, SOTVELLUS, & *Hiſtor. a Soc. Ieſu &c. P. V. p.* 265.

ut non ſuis duntaxat ſed exteris quoque, ſummis juxta ac infimis, & maxime Principibus, præcipue *Bavaricis*, in pretio atque amoribus eſſet.

A virtute et moribus *Noſtri* modò ad doctrinam *eiusdem* tranſeundum mihi. Præter omnifariæ eruditionis decora, excelluit *Noſter* omni *dicendi* elegantia atque *ingenuarum artium* cognitione, tum *poëtica* facultate inſigniter. *Atticæ* ille, *Romanæ*què linguarum ſcientiſſimus, utriusque generis illuſtravit vetera monumenta, nova addidit, caſtiſſima Latinitate uti ſolitus: nec profano magis, quam ſacro pioque in argumento copioſiſſime verſatus. Etenim non claſſicis ſolum Auctoribus, quales *Martialis*, *Curtius*, *Seneca*; ſed etiam *SS. Patrum* & *Scriptorum eccleſiaſticorum* Operibus laudabilem nec poenitendam operam conſecravit: tum etiam in elucidanda *Hiſtoria*, maxime *ſacra*, plurimum allaboravit: quibus RADERI ſtudiis non ingenii ſolum judiciique, ſed memoriæ etiam vim propemodum infinitam natura ſubminiſtravit, adeo ut, fracto licet annis laboribusque corpore, vigens animus, quidquid percepiſſet ſemel, perpetuo teneret (*k*).

Itaque doctiſſimis quibusque Viris tum ſuæ, tum poſteræ ætatis permagnæ admirationi fuit. Et *Synchronorum* quidem ê numero vocare mihi licet *Juſtum* LIPSIVM, qui *Noſtro*, in edendo MARTIALI, ſuppetias libentiſſime tulit (*l*). Vocare licet *Martinum* DELRIO & *Iacobum* GRETSERUM (*m*). Vocare licet maximi inter eruditos nominis Virum, *Marcum* VELSERUM, quem a ſe in perplexis Anti-quita-

(*k*) Vide mox citatos Auctores.

(*l*) V. *Juſt.* LIPSII *Opp. T. II. p.* 130. Confer *Petri* BURMANNI *Syllogen Epiſtol. T. II. p.* 33.

(*m*) V. MARTIALEM a *Noſtro* curis *ſecundis* editum, *in Præfatione*.

quitatum veſtigiis hærente, ſive coram, ſive per ſcripta conſultum, nunquam ſtudiis ſuis defuiſſe: cuius bibliothecæ theſauros ſibi patuiſſe ſemper: a quo plurimis muneribus officiisque vadatum ſe obſtrictumque fuiſſe, publice profiteri *Noſter* in *Dedicatoria* ad MARTIALEM ſuum non erubuit: cuius etiam ex typographia inclyta, ſub *Inſigni Pinûs*, nonnulla *Noſtri* meletemata prodivêre in lucem. Vocare licet *Robertum* TITIUM, Philologum celeberrimum, qui *magnum* (ut ait) *Virum Matthæum* RADERUM per eundem VELSERUM optime valere juſſit, *ſeque ingenium eius* (*n*) *vehementer admirari* confeſſus eſt. Vocare licet *Ioannem* BOLLANDUM, *Cæſarem* BARONIUM, *Io. Georg.* HERWARTUM, *Andream* SCHOTTUM, *Carolum* STENGELIUM, *Chriſtophorum* GEWOLDUM, de quibus inferius, in *Catalogo Operum* â *Noſtro* editorum, ſuis locis memoria recurret. Vocare licet denique *Ioſ.* SCALIGERUM, qui tam honorificum de MARTIALE *Matthæi* noſtri judicium tulit, ut eius *cenſuræ fiduciâ* ſe RADERUS *ipſe haud caperet*, teſte mox memorato VELSERO (*o*).

Eruditos poſterioris ætatis in laudando RADERO haud ſegniores fuiſſe invenio. Atque ut Auctores domeſticos â me per decurſum huius narrationis citatos (puta ALLEGAMBIUM, SOTVELLUM, *Hiſtoriam Provinciæ Societ. Ieſu Germaniæ ſuperioris*) tum etiam *Lexicographorum* plures, uti MORERIUM, JOECHERUM *&c. &c.* ſilentio prætervehar; *Ioannes Albertus* FABRICIUS (*p*) *Daniel Georg.* MORHOFIUS (*q*) *Ioannes Chriſtophorus* WENDLERUS

(*n*) Vide *ibidem*.

(*o*) V. VELSERI *Opp. pag.* 799.

(*p*) In *Bibliotheca latina*, præcipue *T. I. p.* 593. & in *Bibliotheca græca*.

(*q*) In *Polyhiſtore*, *T. I. L.* 4. *c.* 13. §. 11.

LERUS Profeſſor *Ienenſis* (*r*) *Henningus* WITTE (*s*) GUNDLINGIUS in *Hiſtorie der Gelehrtheit*. MICHAEL *à S. Ioſeph* in *Bibliographia critica*. *Vol. III. p.* 286. *Madriti.* oppido honorificam *Noſtri* memoriam egerunt. CRENIUS (*t*) idem præſtitit. His accedit *Adrianus* BAILLETUS (*v*) de *Noſtro* ſcribens: *On lui a l' obligation de pluſieurs excellents Ouvrages de l' Antiquité eccleſiaſtique & profane; dont il nous a procuré l' edition avec des corrections aſſés judicieuſes, & des notes, qui montrent, qu'il avoit de l' erudition.* Et rurſus: *Ce Pere s' eſt beaucoup appliqué à traduire. Il nous a donné les Oeuvres de S. Jean Climaque.... Il avoit une connoiſſance aſſés grande de l' une et de l' autre langue; neanmoins il ſe trouve un grand nombre de fautes dans quelques-unes de ſes Verſions; mais on a remarqué, qu'il y a plus de la faute de ſes exemplaires manuſcripts peu corrects, que de la ſienne; comme il paroit ſur tout dans celle de S. Jean Climaque & des Vies des Saints.* Et quamvis, teſte eodem BAILLETO, Auctor Libri: *Bib-*

(*r*) In *Diſſert. II. de Meritis Reip. Auguſtanæ &c. p.* 39.

(*s*) In *Diario biograph.*

(*t*) In *Animadverſionibus philolog. & hiſtor. T. III. p.* 17. 18.

(*v* In Libro: *Iugemens des Scavans, T. II. P. II. p.* 232. *& T. II. P. III. p.* 415. Superius *gallice* allata ſic reddi *latine* poſſent: *Debemus* RADERO *plura præſtantia eccleſiaſticæ et profanæ Antiquitatis monumenta, quorum nobis editionem cum correctionibus judiciô plenis et notis eruditione minime carentibus procuravit. Pater iſte multum adornandis Verſionibus ſeſe occupavit. Dedit nobis Ioannem Climacum &c. &c. Sat ampla utriusque linguæ cognitione præditus fuit; nihilominus in quibusdam eius Verſionibus magnus erratorum numerus occurrit, quæ tamen non tam eius, quam vitioſorum Manuſcriptorum) uti præcipuè in Verſione S. Ioannis Climaci, & in Vitis Sanctorum videre eſt) culpâ irrepſiſſe, obſervatum fuit.*

Bibliographie curieuſe hiſtorique philologique, *p.* 92. aſſerere videatur, *Noſtrum* judiciô haud multum valuiſſe, idque præcipue ex *Commentationibus* RADERI in *Quintum Curtium* probare nitatur; tamen moroſi huius Cenſoris anonymi auctoritas contrariis laudatorum â me Eruditorum, præcipue vero *Io. Alb.* FABRICII, qui hunc ipſum RADERI *Commentarium in Curtium amplum & eruditum* vocare minime dubitavit, auctoritatibus facillime eliditur.

Tantâ eruditionis famâ cum fuerit *Noſter*; quid mirum, doctos poſteriorum temporum Viros ſibi paſſim eruditos RADERI labores adoptâſſe, ſuasque in areolas pronis animis derivâſſe; id quod ex *Catalogo Operum Noſtri*, quem texere propero, dilucide patebit.

Ingenii autem eruditionisque monumenta â *Noſtro* litteratæ data Reipublicæ hæc ſunt:

I. *Applauſus*, *Ioannis Othonis de* GEMMINGEN recens electi Epiſcopi *Auguſtani* honoribus, *Collegii* nomine ſcriptus 1591. de quo in *Vita* ſuperius memini.

II. *M. Valerii* MARTIALIS *Epigrammaton Libri XII. Xeniorum L. I. Apophoretorum L. I. omni Rerum & Verborum obſcœnitate ſublata*, *mendisque plurimis*... *caſtigatis*, in 8°. *Ingolſtadii. Excudebat Adam Sartorius.* 1599. In *Præfatione* reddit *Noſter* rationem, cur MARTIALEM a ſordibus ſuis expurgârit: monetque *Lectiones variantes*, in margine annotatas, *Lipſii*, *Schotti*, *aliorumque*, uti & ſuas eſſe. Operis huius, quippe in uſum ſtudioſæ juventutis â *Noſtro* vulgati, plures editiones ſubſecutæ ſunt. LIPENIUS in *Bibliotheca philoſoph. T. I. p.* 887. refert *Antverpienſem* in 12°. 1604. item in 16°. 1609. *Colonienſem* in 12°. 1606. *Dantiſcanam* in 12°. 1641. Ego meis oculis vidi *Dillinga-*

nam

nam in 12°. 1626. *Monachienſem* in 12°. 1633. Et quæ forte ſunt aliæ. Parvæ huic editioni paulo poſt *Noſter* majorem in *folio*, additis amplis *Commentariis*, ſubmiſit, de qua dicere pergo.

III. *M. Valerii* MARTIALIS *Epigrammaton Libri omnes novis Commentariis, multa cura ſtudioque confectis, explicati & illuſtrati &c.* in *folio. Ingolſtadii.* 1602. Dicavit *Noſter* tribus fratribus VELSERIS, *Marco* Duumviro: *Matthæo* Ædili: *Paulo* Conſuli, quorum erga ſe benevolentiam deprædicat. Ex *Præfatione* diſcimus, quosnam *Noſter* in edendo *Martiale* adjutores habuit. Ait enim: *Docuit me per Notas ad me tranſmiſſas eruditionis princeps* Lipſius: *Docuit noſter Andreas* Schottus: *Docuit Iacobus* Gretſerus, *qui mihi murrhina ſua propinavit*: *Monuere etiam Leonardus* Hõniglerus & *Rudolphus* (x) Mattmannus, *cum haſce meas Commentationes reviderent, & cenſerent.* Obſervandum tamen eſt, RADERUM in ſua editione *obſcœna* reſecuiſſe, quod *omnis labor noſter.*, ut ait, *gymnaſiis publicis & juventutis uſibus conſecrandus eſſet. Quapropter improbum Cupidinem amandamus ad eos, qui proſcriptum dolent fremuntque. Nobis non licet eſſe tam Latinis, qui Muſas colimus pudiciores.* De hoc obſcænos Auctores caſtrandi inſtituto multum abs eruditis Viris in utramque partem diſceptatum fuit, aliis illud probantibus, aliis vero improbantibus. Hos poſteriores inter exſtitit *Laurentius* RAMIREZ *Hiſpanus*, qui, cum *Martialem* annô 1607. adoleſcens adhuc ac pene puer, ederet, ob id in *Noſtrum* tum invectus eſt acriter, tum *Noſtri* interpretationes paſſim carpſit. Sed hunc egregie depexum

(x) MATTMANNI Viri eruditiſſimi laudes habes in ALLEGAMBIO, SOTVELLO & in *Hiſtoria Soc. Ieſu Provinc. German. ſuperior. T. IV.*

pexum dedit RADERUS in *Præfatione* ad *Martialem curis ſecundis, Ingolſtadii.* 1611. in *folio* evulgatum: ubi etiam ad propulſandam invidiam honorifica *Iu.* LIPSII, *Martini* DELRIO, *Iacobi* GRETSERI, *Roberti* TITII, *Ioſephi* SCALIGERI de *Martiale* a ſe edito teſtimonia adducit, quæ *l. c.* videas velim. Cæterum de hac controverſia conſule, ſi lubet, *Dan. Georg.* MORHOFII *Polyhiſtorem*, 1747. *Lubecæ. T. I. p.* 900. *ſeqq. Adrianum* BAILLETUM in Libro: *Iugemens des Scavans, T. III. P. II. p.* 345. 346. *Petrum* BURMANNUM in *Sylloge Epiſtolarum a Viris illuſtribus ſcriptarum, T. II. p.* 34. THOMASIUM in Meletemate *de Plagio litterario*, §. 530. ubi vult: RAMIREZIUM à *Noſtro* etiam plagii accuſatum fuiſſe. Sed mittamus iſta — *Tertiis curis* RADERI prodiit *Martialis* anno 1627. in *folio*, *Moguntiæ*, per *Kinkium.* Neque iſtud prætereundum eſt: *Vincentium* COLLESSO ICtum., qui, *ad uſum Delphini*, *Martialem* edidit, RADERI noſtri, *Viri* (inquit) *doctiſſimi*, laboribus multum uti voluiſſe. *Petrus* BURMANNUS autem *loc. cit.* ait: *Utilem Commentarium eius* (RADERI) *et doctum fatemur; et nihil impedit, quo minus* BARTHII *iudicio, quod promit ad* STATII *VI. Theb.* 6. *ſubſcribamus.* LINGELSHEMIUS quoque ad JUNGERMANNUM ſcribens anno 1607. (V. STRUVII *Collectan. Manuſcript. Faſcic. VI. p.* 10.) operam, â *Noſtro* impenſam *Martiali*, ſequentibus collaudat: RADERUS *eſt, qui ponderoſe fecit in* COQUUM (*Martialem* puta) *illum Commentarium, quem* GRUTERUS *ſatis æquum dicit noſtris hominibus contra ingenium Sectæ, quæ non finit probitati locum.* Sed hæc poſteriora GRUTERUS ad invidiam *Societati* conflandam, quam ad rem illuſtrandam accomodatiùs dixit! Confer *Io. Alb.* FABRICII *Biblioth. latin. T. I. p.* 593.

IV.

IV. *Syntagma de Statu Morientium ex MSStis. Codicibus* (puta, *Græcis*) *illuſtrium Bibliothecarum Sermi. Maximiliani Bojorum Ducis &c &c. & Reipublicæ Auguſtanæ depromptum, latine factum, notisque illuſtratum.* in 8o. *Auguſtæ Vindelic. Apud Chriſtoph. Mangum. Cum Inſigni Pinus.* 1604. Hoc *Syntagma Noſter* ſacrum eſſe voluit *Euſtachio* WOLOVICIO, de quo ſupra in *Vita*, Protonotario Apoſtolico, Præpoſito *Trocenſi*, Cuſtodi *Vilnenſi*, *Poloniæ* Regis in magno *Lithuania* ducatu Referendario & Secretario. Alia editio luci data anno 1614. *Monachii. Ex formis Bergianis*, cui addita *Ode funebris in genus humanum* ſive *Leſſus mortualis*: & *Ode* ſub titulo: *Criſis ſeu Tribunal ultimum* (Nota Lector; duas *Odas* has jam anno 1608. *Auguſtæ* in 12o. *Andreæ* HOZIO *Weingartenſi* obſtetricante, prodiviſſe. Suſpicor ambas *Noſtri* eſſe. Poſterior certe eſt, uti in *titulo* monemur.) *Germanice* etiam, verſore *Carolo* STENGELIO, vulgatum Opuſculum hoc *Auguſtæ*, 1611. in 8o.

V. PETRI *Siculi Hiſtoriæ ex MSSto. Codice Bibliothecæ Vaticanæ, græcè cum latina Verſione, edita.* in 4to. *Ingolſtadii. Ex Typographia Adami Sartorii.* 1604. Dicavit RADERUS *Sebaſtiano* BREUNINGO (*y*) Viro cæleſtium litterarum calentiſſimo & academicis honoribus inclyto, SS. Theologiæ Doctori, Epiſcopo *Adrumetino*, Proepiſcopo *Auguſtano.* In *Præfatione* monet *Noſter*: hunc Libellum a *Iacobo* SIRMONDO *Româ Auguſtam* ad *Marcum* VELSERUM Duumvirum, ab hoc ad ſe miſ-

(*y*) De BREUNINGO plura habes apud KHAMMIUM in *Hierarch. Auguſtana*, *P. I. p.* 506. Ad eum extat *Ioannis* STEINMEZII *Secundi Hermunduri*, *Poetæ laureati*, *Elegia* in 4to. *Auguſtæ.* 1609. Apud *Chriſtoph. Mangum* excuſa, in qua eius erga ſe munificentiam, opemque præſtitam co[illegible]cat.

miſſum fuiſſe *ea lege, ut græcum formis impreſſum latineque redditum Latinis in Latium remitteret:* quod ipſe, *dum per Sirium gymnaſiorum pulpita quieſcunt, præſtare conatus eſt*, additis *Obſervationibus* pauculis *ad intelligendam Petri Siculi Hiſtoriam commodis*. Addit, *unicum ſe habuiſſe Codicem, neque hunc ſanum ubique ſatis &c.* Invenitur *recuſa* in *Bibliotheca maxima Patrum*, ultimæ editionis, *Tom. XVI. p.* 753 ſub titulo: *Petri Siculi Hiſtoria de Manichæis &c.* De aliis editionibus vide *Io. Alb.* FABRICII *Biblioth. græc. T. V. p.* 292.

VI. *Acta ſacroſancti & œcumenici Concilii VIII. Conſtantinopolitani IV. nunc primum ex MSS*tis. *Codicibus illuſtrium Bibliothecarum Ser*mi. *Maximiliani Bojorum Ducis &c. et Auguſtanæ Vindelicorum Reipublicæ, græce cum latina interpretatione edita, notisque paſſim illuſtrata.* 4to. *Ingolſtadii. Ex typographia Adami Sartorii.* 1604. Opus dedicatum *Cæſari* BARONIO Cardinali: cuius *conſilio, imo & auxilio* prodivit; unde illud & gratiſſimum habuit idem, prout datis ipſe litteris prolixè declaravit. Præter BARONIUM, edendæ huius lucubrationis auctores *Noſtro* fuerunt POSSEVINUS, GRETSERUS, & præcipue *Marcus* VELSERUS, qui eidem *Codicem MSS*tum. *Bibliothecæ patriæ* in eum finem communicavit. Recuſa habentur *Acta* hæc in *Conciliorum maxima Collectione* à LABBEO & COSSARTIO adornata, *Edit. Venetæ, anni* 1730. *Tom. X. p.* 628. *& ſeqq.* Confer. *Io. Alb.* FABRICII *Biblioth. græc. T. VI. p.* 431. ubi alias huius *Raderianæ* lucubrationis editiones memorat. Extant etiam in SURII *Vitis SS.* ad diem 23. Oct. *p.* 341.

VII. Συγχαριστικὸν *RR*mo. *& Illuſtr*mo. *Principi Iacobo* FUGGERO *Pontifici Conſtantienſi recens*

inaugurato, nomine Collegii *Auguſtani* ſcriptum & *Auguſtæ* impreſſum. 1604.

VIII. *Viridarium Sanctorum ex Menæis Græcorum lectum, translatum & annotationibus, ſimilibusque paſſim hiſtoriis latinis, græcis, editis, ineditis illuſtratum.* in 8°. *Auguſtæ Vindel. Apud Chriſtoph. Mangum. Cum Inſigni Pinus.* 1604. Hoc Opus *Noſter* tribus Fratribus *Ioanni Georgio, Adalberto Wladislao, Chriſtophoro Nicolao* RADZIVILIS, illuſtriſſimi D. D. *Nicolai Chriſtophori* RADZIVILI *Ducis Olycæ & Nieſviеſii &c. &c.* filiis, *Auguſtæ* Rhetorices præcepta (ut ſuperius in *Vita* memoravi) audientibus inſcripſit. Editio *ſecunda*, teſte *Hiſtoria Prov. S. I. Germ. ſuper. T. III. p* 308. auctior a *Noſtro*, anno 1607. vulgata eſt. Alia editio docente LIPENIO in *Bibl. Theol. T. II. p.* 743. prodiit anno 1612. Rurſus alia, *recognita, & paſſim aucta*, emiſſa eſt *Monachii, ex formis Bergianis*, anno 1614. *Germanice* etiam, traducente *Carolo* STENGELIO, cuius laudes in *Alphabeto III. Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ* fuſe expoſui, exivit in lucem *Auguſtæ* 1611 in 8°.

Viridarii Sanctorum Pars II. de ſimplici Obedientia & Contemptu ſui &c. Auguſtæ. 1610. *Apud Chriſtophorum Mangum.* dicata *Ioanni Chryſoſtomo* Abbati *Ord. S. Benedicti*, Prælato monaſterii *Andecenſis* in *Bavaria*, qui litteratum munus iſtud, cum tota religioſa familia, acceptiſſimum habuit; cum poſt datas prius litteras præſens ipſe ad Collegium Auguſtanum venerit, haud levidenſe donum offerens, & actas antea gratias repetens. *Alia* editio publicata *Monachii, ex formis Bergianis*, anno 1614. in 8°.

Viridarii Sanctorum Pars III. Continet illuſtria Sanctorum Exempla &c. in 8°. *Auguſtæ.* 1612. (teſte

ſte EHINGERI *Catalogo Biblioth. Auguſt. p.* 162.) Typis *Chryſoſtomi Daberii.* Iterum *Monachii.* 1614. *Ex formis Bergianis.* Dedicata eſt à *Noſtro Andreæ de* BNIN, *Opalinio*, *Pontifici Poſnanienſi*. Epiſtola prævia, plena laudibus Viri huius inclytiſſimi.

IX. *S. Ioannis* CLIMACI *Liber ad Religioſum Paſtorem, qui eſt de officio Cœnobiarchæ, ex tribus MSStis. Codicibus græcis illuſtris Bibliothecæ Reipublicæ Auguſtanæ erutus, tralatus, & obſervationibus illuſtratus.* in 8°. *Græce et Latine. Auguſtæ.* Apud *David. Francum,* 1606. Opuſculum honoribus *Ioannis* SCHALL Præpoſiti monaſterii *Canonicorum Regularium S. Auguſtini*, ad *S. Crucem*, *Auguſtæ*, a *Noſtro* inſcriptum fuit. Alia editio, *latina* tantum, prodiit in 8°. *Monachii. Ex Formis Bergianis.* 1614. Demum *Noſter* eundem *Librum* junctim cum *Ioannis* CLIMACI *Scala paradiſi*, edidit *græce* et *latine*, additis *Scholiis Anonymi græci*, anno 1633. *Pariſiis.* Sed de hoc inferius recurret ſermo. Confer *Io. Alb.* FABRICII *Bibliothecam Græcam*, *T. VIII. p.* 618. 619.

X. *Aula ſancta, Theodoſii Junioris, S. Pulcheriæ Sororis, Eudociæ Uxoris, Auguſtorum res geſtas complectens, e Latinis, Græcis, editis & ineditis Scriptoribus exſtructa, concinnata, perpolita, & SSmæ. Eliſabethæ Sermi. Maximiliani Palatini Rheni, utriusque Bavar. Ducis conjugi dedicata.* in 8°. *Auguſtæ Vindelic. Apud Chriſtoph. Mangum.* 1608. Anteriorem editionem *Monachienſem* anni 1604. ALLEGAMBIUS, & ex hoc SOTVELLUS, falſo memorant. Hinc erroris ambos convincit *Hiſtoria Soc. Ieſu Germ. ſuper. T. III. p.* 386. Rurſus alia editio *Monachii*, *ex formis Bergianis*, anno 1614. procuſa, extat.

XI. *De Vita Petri* CANISII *de Societate Ieſu, Sociorum e Germania primi, religioſiſſimi & doctiſſimi Viri, bono Rei catholicæ nati, Libri tres. Appendix de P. Theodorico* CANISIO *Petri fratre* in 8°. *Monachii. Ex Formis Bergianis.* 1614. Hanc inſcripſit *Noſter Nicolao á* DIESBACH *Duumviro Prætori, Senatui, Tribunis, Populoque Friburgenſi Helvetiorum*, de *Societate Ieſu*, Collegio, Templo, Gymnaſio ſtructis quam præclariſſime merito.

XII. *Chronicon Alexandrinum, idemque aſtronomicum & eccleſiaſticum, vulgò Siculum, ſeu Faſti Siculi, ab Sigonio, Panvinio, aliisque paſſim laudatum, partimque græcè editum, nunc integrum cum latina interpretatione vulgatum.* Græce et latine, in 4to. *Monachii, ex formis Annæ Bergiæ viduæ.* 1615. teſtante LIPENIO in *Bibl. Philoſoph.* rurſus ibidem 1624. & *latine* tantum, *Coloniæ.* 1618. Dicavit *Noſter Io. Georg.* HERWARTO *ab Hohenburg*, J. V. D. Conſiliario intimo *Bavarico*, qui ipſe, una cum doctiſſimo *Chriſtoph.* GEWOLDO, *Libri huius vulgandi cauſſa maxima exſtitit.* Præmittuntur *Animadverſiones in* idem *Chronicon*, quas usque ad finem perducere ſe haud potuiſſe, Superiorum juſſu ad alia vocatus, dolet *Noſter.* Uſus eſt autem is Codice MSSto. Bibliothecæ *Auguſtanæ*: Fata huius Codicis & quomodo *Auguſtam* venerit, diſces ex *Præfatione Caroli* DU-FRESNE, qui poſt RADERUM idem *Chronicon* vulgavit; cuius etiam judicium de RADERI noſtri labore addere libet: *Quæ quidem . . Editio Eruditorum fere omnium calculis eſt excepta; tum quod prior manca eſſet ac decurtata: illa ſuis, ut videbatur, numeris abſoluta. Adde quod, cum græca lingua apud pleroſque uſûs, ſeu (ut verbo utar Petronii) ſaporis haud ſit publici, latina Raderi verſio cuiusvis lectioni librum pro-*

miſ-

miſcue exponeret. Utcunque ſit, idem DU FRESNIUS addit, nonnulla ab Eruditioribus in *Raderiana* editione fuiſſe ſugillata: id quod etiam *Io. Alb.* FABRICIUS in *Biblioth. græc. T. VI. p.* 142. 143. monet, nominans COTELERIUM, *Ioannem* GREGORIUM, & *Henric.* WARTHONUM, quibus *Noſtri* labor non admodum arriſit. Sed hæc longius exſequi, brevitatis ſtudium vetat.

XIII. *Q.* CURTIUS *Rufus ſynopſibus & argumentis illuſtratus,* in 12°. *Monachii.* 1615. Iterum, recognitus, *Coloniæ.* in 8°. *Apud Kinckium* 1630. Sic teſtatur ALLEGAMBIUS. *Mart.* LIPENIUS in *Biblioth. philoſoph. T. I. p.* 363. addit editionem *Monachienſem* anni 1630. in 8°. *Lugdunenſem* anni 1634. in 12°. *Antverpienſem* anni 1669. (non 1569.) in 16°. Huic Operi, unice ſcholarium uſibus deſtinato, ſubmiſit *Noſter* anno 1628. aliud amplius & *Commentariis* illuſtratum, de quo inferius dicetur.

XIV. *Bavaria ſancta, Maximiliani ſereniſſimi Principis Imperii, Comitis Palatini Rheni, utriusque Bavariæ Ducis auſpiciis cœpta, deſcripta, eidemque nuncupata. Volumen I.* in *folio. Monachii. Ex formis Annæ Bergiæ.* 1615. *Raphael* SADELERUS *Antverpianus, Chalcographus Ser^mi. Maximiliani tabulis æreis expreſſit & venum expoſuit.* In *Dedicatoria* extollit *Noſter Maximilianum*, eiusque conſilium dilaudat, *quò ſingulos Bavariæ Sanctos tam accurate curioſeque inveſtigari, tam ſtudioſe conſcribi, tam eleganter in æs cœlari ſtuduerit.*

Bavariæ ſanctæ Volumen II. ſereniſſimo Principi Maximiliano, Comiti Palatino ad Rhenum, utriusque Bavariæ Duci, S. R. I. Archi-Dapifero, & VII. - Viro Electori, Victori devotum. in *folio. Monachii. Ex formis iisdem.* 1624. *Raphaeles* SADE-

LERI, *Parens & natu maximus Filius ... tabulis æreis expreſſerunt &c.*

Bavariæ ſanctæ Volumen III. memorato *sereniſſimo Principi Maximiliano inſcriptum. Monachii &c.* in *folio.* 1627. *Raphael* SADELERUS, *Raphaelis Filius*, tabulis æreis expreſſit & venum expoſuit.

Tribus Voluminibus iſtis acceſſit *quartum* ſub titulo: *Bavaria pia, ſereniſſimæ quadrigæ Albertinæ, ſive quadrigeminis fratribus ſereniſſimis, Ioanni Franciſco Carolo, Ferdinando Guilielmo, Maximiliano Henrico, Alberto Sigiſmundo; Alberti F. Guilielmi N. Alberti P. &c. dicata.* in *folio, Monachii,* 1628. Idem *Raphael* SADELERUS tabulis æreis expreſſit et venum expoſuit.

Hæc de editione principe — Recuſum Opus ſumptibus *Ioann. Caſpari Bencard* Bibliopolæ *Dillingenſis* & *Auguſtani,* 1704. Aliam editionem anni 1709. memorat *Io. Petr.* LUDEWIGIUS (z), ſed haud dubie falſo vel per errorem typi; cum ne volam huius editionis ullibi invenire ſit. *Germanice* autem verſum dedit Opus iſtud *Maximilianus* RASSLERUS *S. I.* anno 1714. *Auguſtæ. Sumptibus* memorati *Bencardi.* Interim mox dictus LUDEWIGIUS bene monuit: in poſterioribus editionibus, Tabulis æreis, utpote nimia exemplarium procuſorum multitudine attritis, multum elegantiæ ac venuſtatis deceſſiſſe.

Pro coronide addere juvat illuſtris *Godofr. Guil.* LEIBNIZII (a) judicium, de hac *Noſtri* lucubratione dicentis: *Nulla Germaniæ ſuperioris pars meliores Hiſtoricos invenit, quam Bavaria.... Nam res Eccleſiarum Bavariæ egregie ſunt illuſtratæ à Wiguleio*

(z In *Germania Principe*, ubi de *Bavaria* agit.

(a V. Eius *Præfationem* ad novam editionem *Annalium Boicorum Ioannis* ADLZREITTERI, 1710.

kio HUNDIO *& Chriſtophoro* GEWOLDO... *His adjungendus eſt auctor Bavariæ ſanctæ & piæ Matthæus* RADERUS *S. I. quatuor Voluminibus editis, ubi illuſtres pietate viros Bavaros, aut in Bavaria florentes recenſuit; non tantum quorum nomina in faſtos & martyrologia ſunt relata, nec tantum, à quibus aræ, ſacella, ædiculæ, oratoria denominata extant, etſi in faſtis non legantur; ſed etiam eos, qui piam vitam in quocunque loco, ſtatu, ordine egerunt, & Hiſtoriæ teſtimonio innotuerunt.* Neque illud omittendum eſt, *Bollandiſtas* ex hoc *Noſtri* Opere multa decerpſiſſe, et in ſuis *Actis Sanctorum* recudi curaviſſe.

XV. *Auctarium ad Libros V. Nicolai* TRIGAUTII *de chriſtianis apud Iaponios Triumphis, in quo exponit ſtatum Eccleſiæ Iaponicæ ab anno MDCXVII. usque ad MDCXX.* in 4to. *Monachii.* 1623. Ita habet ALLEGAMBIUS.

XVI. *Q.* CURTII *Hiſtoria de Alexandro M. cum Proluſionibus, Librorum ſynopſi, Capitum argumentis & Commentariis ac Indice duplici.* in *folio. c. figur. Coloniæ Agrippinæ. Apud Ioann. Kinckium.* 1628. Editio hæc, notante celeberrimo STRUVIO (*b*) abs Eruditis valde æſtimatur. Clariſſimus *Io. Alb.* FABRICIUS (*c*) *Commentarios* iſtos *amplos ac eruditos* vocare non dubitavit. Hoc *Noſtri* labore uſus eſt FREINSHEMIUS, & poſt hunc *Henricus* SCHNAKENBURGIUS, qui CURTIUM cum *Notis variorum*, in 4. *Delphis & Lugduni Batavorum* vulgavit, in *Pæfatione* ſequentia monens: *Ingens Volumen Commentariorum in Q. Curtium conſarcinavit Mattheus* RADERUS *varia quidem doctrinæ copia & quolibet apparatu, ſed (ut in talibus fieri ſolet) ex* LIP-

(*b*) In *Bibliotheca hiſtorica.*
(*c*) In *Bibliotheca Latina.* p. 573.

SIO, BRISSONIO, *aliiſque per quamcunque cauſſam, dummodo eruditionem etſi loco alienam præferant, congeſto : ex quibus ſelegimus ea, quæ vel receperat doctiſſimus* FREINSHEMIUS, *vel quæ ad Latinitatem et ſingulares loquendi modos probandum; aut ad alia quæcunque utilia & apta apparebant. Proluſiones, in quibus & de Curtio, & de Alexandro M. multis egit, contraxerat idem Freinſhemius; quæ cum ſatisfacere omnibus poſſint, in iis adquievimus.*

XVII. *Quatuor Noviſſima*, verſu dimetro jambico acatalectico & catalectico ſcripta. *Monachii.* in 32°. 1629. Ita ALLEGAMBIUS. Teſte LIPENIO in *Biblioth. theol. T. II. p.* 355. rurſus *ibidem*, in 16°. 1643. prodiit.

XVIII. *Ad L. Annæi* SENECÆ *Medeam Commentarii.* in 12°. *Monachii. Apud Melchiorem Segen.* 1631. Confer *I. A.* FABRICII *Bibl. latin.* & SENECÆ *Tragoediarum Editionem c. notis Variorum, à Ioanne Caſpare* SCHROEDERO adornatam, *Delphis* 1728. 4$^{to.}$ qui *Noſtri* Obſervationes hinc inde inſpergere non intermiſit.

XIX. *S. Ioannis Scholaſtici, Abbatis montis Sina, qui vulgò* CLIMACUS *appellatur, Opera omnia.* in *folio. Græce* & *Latine. Lutetiæ Pariſiorum. Sumptibus Sebaſtiani Cramoiſy.* 1633. Præcedit RADERI noſtri *Iſagoge*, in qua is de *perſona*, de *nomine*, de *vita* CLIMACI; de *Interpretibus*, *Scholiaſtis*, *Editionibus* eiusdem, & præcipue de hac nova ſua editione; denique de *variis MSS*$^{tis.}$ *græcis Codicibus*, CLIMACI Opera continentibus, diſſerit. Inde diſcimus *Noſtro* tres Codices *Auguſtanæ*, quatuor *Electoralis Bavaricæ*, unum ab *Andrea* SCHOTTO *S. I.* ſacerdote *Antverpiâ* miſſum, ad manus fuiſſe. Sequitur *Scala Paradiſi* cum *Scholiis græcis*. Hinc *Liber ad Paſtorem*, itidem *Scholiis græcis* munitus,

exci-

excipit, totique Operi finem *Index Rerum præcipuarum* facit. De hac editione conferri poterit *Io. Alb.* FABRICIUS in *Bibl. græc. T. VIII. p.* 619. Iſte autem RADERI labor recuſus, ſed latine duntaxat, in *Bibliotheca maxima Patrum*, ultimæ editionis *Lugdunenſis*, *T. X. p.* 389. *ſeqq.* Confer *Acta SS.* BOLLANDI, *T. III. Mart. p.* 835.

XX. *Commentarii ad* SENECÆ *Troades*, & *Thyeſten*, quos moriens prælo paratos reliquit teſtante ALLEGAMBIO.

XXI. *Menæa Græcorum Græco-Latinis evulganda*, quæ teſte SOTVELLO *tribus Tomis* in *folio* latine vertit notisque illuſtravit, addito etiam *Tomo ſingulari*, ſeu *Indice generali Sanctorum omnium cuius cuius nationis, loci, conditionis.* Verum illis ultimam manum non impoſuit morte præventus, uti refert BOLLANDUS in *Tom. I. Ianuarii*, in *Præfatione generali*, *p.* 55. ubi ait: *Ediderat* RADERUS *quondam pias et jucundas, acceptas fere è* Menæis, *Hiſtorias Vitasque Sanctorum libellis aliquot, quibus* Viridarii *præfixerat titulum. Adjecit deinde animum, ut ea omnia, quæ in* Menæis *de Sanctis memorantur, latine verteret annotationibus illuſtrata. Egeram, illius rogatu, cum Balthaſare Moreto, ut eas lucubrationes prælo ſubjiceret. Reſponderat hic: ſi Auctor in animum induceret, non nudas Divorum Hiſtorias latine edere, ſed integra omnino* Menæa *recognoſcere .. eaque interpretari, ſe græco - latine eleganter excuſurum eſſe. Non diſplicuit optimo ſeni conſilium; etſi haud fortaſſis pares tanto Operi jam vires erant: ſed haud diu ſuperſtes fuit. Penes me etiamnum illius Autographum eſt, quo et uſus ſum quandoque &c.* Et in *Tomo II. Aprilis*, *p.* 609. de eodem Opere dicitur: *Hiſtoria ſacra, ex magnis Eccleſiæ græcæ Menæis deprompta, latine facta, ob-*

 ſerva-

ſervationibus emendata, explanationibus illuſtrata à Matthæo RADERO *S. I. Presbytero, typis parata fuit jam inde ab anno* 1631.... *Hic erat Operi titulus magnificus ſane & vaſto Viri diligentis voto magis par, quam rei paratæ modulo; nam* Hiſtoria *quidem aliud non continet, quam elogia Sanctorum ex Menæis collecta.... Defuit, qui molem tantam, quantam prima fronte continere videbantur octo codices chartacei, ſuſciperet in Bavaria imprimendam: et requiſitus... Balthaſar Moretus... exigebat, ut latinæ Verſioni græcus adderetur contextus... Interim Monachii extremum diem obiit Auctor anno* 1634. *exeunte, atque inter manus Bollandi hæſit Autographum, judicantibus Superioribus, haud alibi utilius deponendum, quam apud eum, qui eandem ſpartam excolendam ſuſcepiſſe ſciebatur.* Quanquam autem *Bollandiſtæ* profiteantur, iſtud *Noſtri* Opus exiguo ſibi uſui fuiſſe, utpote ipſos fontes habentibus; tamen eodem uſi ſunt in *Tomo II. Aprilis, p.* 610. ubi *Ioannis Epirotæ Martyris CPtani hiſtoriam*, à *Noſtro* ex quadam *Anthologia græca* erutam, alibi nusquam repertam, luci dederunt. Uſi eodem quoque ſunt in *Tomo II. Septembris, p.* 181-186.

XXII. Reſtat de *Epiſtolis Noſtri* dicere. Harum IV. *anecdotæ* ſunt, quæ ad *Carolum* STENGELIUM extant, uti in huius *Vita* (*d*) monui. Agitur in illis de *Vita S. Symperti*, quam STENGELIUS a ſe ſcriptam *Noſtro* muneri miſit: et de *Bavaria ſancta* quam tum *Noſter* moliebatur. *Editæ* ſunt, quæ in *Eliæ* EHINGERI *Velitatione epiſtolari* (*e*): & in *Petri* BURMANNI *Sylloge Epiſtolar. à Viris illuſtr. ſcript. T. II. p.* 33. habentur.

RIED-

(*d*) Exhibui illam in *Volum. III. Bibliothecæ Auguſtanæ*, ubi vide *p.* 146. in *Notis.* & *p.* 153.

(*e*) Vide *Bibliothecæ Auguſtanæ Vol. II. p.* 62.

RIEDLINUS (*Vitus*) Medicus

Ea fuerunt *Viti* RIEDLINI merita, ut illuſtris *Academia Leopoldino - Cæſarea Curioſorum naturæ*, in *Actis phyſico - medicis*, eadem omnino poſteritati tradenda duxerit, atque *ut illa haberet, quod imitetur, et quò ad exquiſitiorem ſalutaris ſcientiæ culturam excitetur*, encomium *Noſtro* in *Appendice Tomi II. p.* 173. perhonorificum ſcripſerit: quod ferme ſequens eſt.

Prodiit in hanc lucem RIEDLINUS in medicæ ſcientiæ ſplendorem atque incrementum, quod poſtea comprobavit eventus, die XIX. Martii, anno reparatæ ſalutis MDCLVI. Patre uſus eſt *D. Vito* RIEDLINO Medicinæ Doctore et Phyſico *Ulmenſi* excellentiſſimo meritiſſimoque: gaviſus quoque Avo, Abavo, Tritavoque Chirurgis et Lithotomis primariis *Ulmenſibus*, ſuo tempore ſat celebribus. Matrem coluit *Annam Mariam Bloſſiam*, matronam omnibus virtutibus, quæ ſequiorem ſexum ornant, oppido conſpicuam, cuius avus *Tubingæ* Profeſſoris munere functus; pater autem, phyſicam ſcientiam in Gymnaſio *Ulmenſi* profeſſus, medicam ſimul artem, non ſine nominis celebritate ambo exercuerunt, eandemque in majus meliusve provehere pro viribus allaborarunt (*a*). Verbis exprimi vix poteſt, quanta ſollicitudine recens natum et ſacro aquæ lavacro ablutum, ſubcreſcentibus poſtea annis, educandum *Noſtrum* curarint optimi parentes, probe perpendentes, in pia et circumſpecta Liberorum educatione plurimum momenti ſitum eſſe. In Gymnaſium, quod *Ulmæ* floret, ſatis mature, ceu generoſæ indolis planta trans-

(*a*) *Sebaſtianus* BLOSSIUS, Phyſicus *Ulmenſis*, editis etiam Scriptis medicis nomen ſibi fecit, teſte KESTNERO in *mediciniſchen gelehrten - Lexicon*.

translatus, mature etiam, magis tamen magisque temporum progreſſu, qualis futurus eſſet, præceptoribus ſuis, quos habuit, longe fideliſſimis aperuit. Fuit etenim in *Noſtro*, adhuc puero, non ea tantum ingenii docilitas, ut feliciter et velociter arriperet, quæ ei tradebantur; ſed et illa in eo fulſit virtus, ut raræ eum â pietatis tramite, diſcendi ardore, et *claſſicorum*, quos vocant, *Auctorum* lectione avocarint deliciæ.

His igitur doctrinis artibusque, quibus puerilis ætas inter Chriſtianos impertiri debet, præmunitus, demum in ampliſſimos *Philoſophiæ* campos exſpaciatus *Noſter* eſt tam felici ſucceſſu, ut etiam *Medicinam*, ad quam ſingulari ferebatur propenſione, viam ei pandente *D. Ioanne* PFAUZIO Philoſophiæ et Medicinæ Doctore, et Profeſſore in Gymnaſio *Ulmenſi* celeberrimo, primoribus guſtaverit labris. Solidiores poſtea *Tubingæ*, quam anno MDCLXXIV. menſe Februario petiit, ei præbuit cibos excellens inprimis *D. Georg. Balthaſar* MEZGERUS (*b*), quos *Noſter* intra biennium tanta aviditate ingeſſit, ut indies majora hinc in arte medica profectuum ſenſerit incrementa; quæ tam grato memorique agnovit animo, ut huic Præceptori et Hoſpiti ſuo maximas ſe debere gratias, ſæpenumero faſſus fuerit. At enim vero, cum, ob rariores anatomicas exercitationes, famem ſuæ φιλομαθείας ibi non omnino explere poſſet, *Patavinum* Lyceum anno MDCLXXVI. adiit, ibidemque ab ore *Raym. Ioh.* FORTIS, *P. de* MARCHETTIS, MONTAGNANÆ (*c*) aliorumque Virorum celeber-

(*b*) De egregio hoc, & pluribus lucubrationibus vulgatis inclyto Medico videlis mox citatum KESTNERUM.
(*c*) Sat magna, me hercle! nomina — De iis conſuli poterunt PAPADOPOLIUS in *Hiſt. Gymnaſ. Patav.*

MAN-

leberrimorum ſedulus pependit, cum iisque crebros ſermones tam privatos quam publicos miſcuit; cuius rei duplicem hunc quoque tulit fructum, ut a *Natione Germanica* Conſiliarius *Anconitanus*: a *Facultate* vero *medica* prævio examine conſueto, ſine tamen diſputatione publice habita, anno MDCLXXVI. die 27. Septembris *Philoſophiæ et Medicinæ Doctor* creatus fuerit.

Quemadmodum vero aliàs res anguſta domi bonis ſæpe ingeniis, forte meliori dignis, obſtaculo eſt, quo minus ſtudiorum ſtadium ex animi ſententia emetiri queant; ita *Noſter*, domeſticis deſtitutus ſubſidiis, patriam ſuam anno MDCLXXVII. repetere coactus eſt; in qua cum præter opinionem omnem non inveniret, unde pro dignitate vivere poſſet, *Auguſtam Vindelicorum* ſe contulit; ubi brevi temporis ſpatio variis honoribus et officiorum titulis ſe condecoratum vidit. Etenim ex ſingulari, quo Vir quidam illuſtris, cuius memoriam RIEDLINUS perpetuo ſuſpexit, ipſum exceperat favore, in *Collegium Medicum* anno MDCLXXIX. die 4. Maii gratioſe receptus eſt, et magno illius modo laudati illuſtris Viri patrocinio fulfultus, in munere Phyſici ordinarii *D. Ioh. Ludovico* HENISIO (*d*) anno MDCLXXXII. die 19. Septembris ſucceſſit; anno MDCLXXXII. die 5. Novembris primùm, atque iterum anno MDCLXXXXIX. per vota maiora *Collegii Medici Decanus* electus; anno MDCLXXXIX. die 29, Maii, in locum *D. Lucæ* SCHROECKII *Senioris*, examini obſtetricum Præfectus, et ab

MANGETUS in *Biblioth. Script. medic. Van der* LINDEN *de Script. med.*

(*d*) Huius Viri laudes in *Bibliotheca* mea non prætermittentur; quando de *Medicis Auguſtanis ſæculi XVII.* ſermo incidet.

ab illuſtri *Academiæ Curioſorum Naturæ* Præſide immortaliter merito, *D.* SCHROECKIO *filio*, in celebratiſſimum illud *Collegium*, tanquam Socius, *Crateris* agnomine cooptatus, eademque porro benevolentia anno MDCCIX menſe Septembr eiusdem laudatæ *Societatis Adjunctus* denominatus eſt.

Licet igitur *Auguſtæ Vindelicorum Noſter* in omnibus negotiis practicis ea gauderet felicitate, et ab omnibus tanti æſtimaretur, ut ſe *Auguſtanum Phyſicum* felicem, ſuamque familiam ſatis laute ſuſtentatam prædicare potuerit; divinæ tamen benignitati, *Noſtrum* patriæ ſuæ reddere, placuit. Anno enim MDCCIV. die 19. Septembris benevolis ab inclyto Senatu *Ulmenſi* litteris, quas dicunt, *vocatoriis* acceptis, et divino nutui, et voluntati Patrum patriæ obtemperaturus, menſe illo exacto, cum tota ſua familia *Ulmam* repetiit; quæ non ita multo poſt civium numero iterum adſcriptum, non honorifico ſolum ſalario dotavit, ſed et ad varios tam medicos quam ſcholaſticos, per deſtincta temporum intervalla, evexit honores. Namque illa præſtantiſſima ingeniorum nutrix anno MDCCVIII. examini Chirurgorum *Noſtrum* præfecit, poſtea anno MDCCXIII. die 6 Aprilis in locum pie denati *Alphonſi* KOHNII, Medicinæ Doctoris excellentiſſimi, *Seniorem Collegii Medici* ſuffecit; tum et anno MDCCIX. *Conventui*, quem nominant, *Scholaſtico Viſitatorum* in Gymnaſio adjunxit; et denique anno MDCCXIII. triumvirali *Scholarcharum* numero adſcripſit.

Quanta cura, ſollicitudine, atque alacritate claſſicorum æque ac profectiorum ſtudioſorum commodis Medicique Collegii auctoritati ac ſplendori invigilaverit *Noſter*, animo longe gratiſſimo agnovêre ad unum omnes illi, qui ſingulares prorſus

RIED-

RIEDLINI dotes atque eruditionem recte æſtimare didicerunt. Non eſt, quod de Praxi eius medica multum dicamus, cum de illius frequentia et felici ſucceſſu vel ſolæ typis impreſſæ tot *Obſervationes* teſtentur, et multo plures ineditæ amplius teſtaturæ eſſent, ſi quidem lucem vidiſſent. Mittimus etiam, quanto amore et qua veneratione *Noſter* a ſingulis fere exceptus fuerit, qui illius circumſpectionem, ſolertiam, dexteritatemque, et (ut paucis multa complectar) methodum cito, tuto, et jucunde curandi, in ſemetipſis animadverterunt: Quibus virtutibus cum *Noſter* enituerit, mirandum non eſt, quod etiam Principes, Comites, Liberos, Barones, et Nobiles ſibi faventes habuit, eorumque clementiam, gratiam, ac favorem ad finem usque vitæ ſuæ quam feliciſſime conſervavit.

Præter virtutes medicum Virum exornantes longe major virtutis ſplendor enituit ex ſingulari pietatis zelo, et divini Numinis cultu, quem aſſidue ſectatus eſt: *Verbi* namque quotidianus ferme fuit auditor non ſolum, ſed et indefeſſus ſcrutator. *Biblia* ſacra plus quam trigeſies perlegit, atque *commentariis* in uſum domeſticum illuſtravit; *meditationes* ſuper emphatica verba et nomina biblica conſcripſit; ſingula capita totius ſacri Libri verſibus *germanicis* comprehendit; innumera dicta in ligatum ſermonem eleganti vena tranſtulit. Non dicam de reliquis eius quotidianis meditationibus matutinis et veſpertinis, quibus quotidie primam et ultimam diei horam dicaverat, relictis etiam ſcripto multis voluminibus.

Neque vero omittendus eſt ſingularis eius amor erga Proximum, et in pauperes liberalitas, cuius innumeri adſuerunt teſtes: ipſe vero ſæpius

doluit

doluit vehementer, quod non æquali erga omnes lenitate ſemper uſus fuerit, utpote ad iracundiam naturâ paulo proclivior.

Ad matrimonii fædus quod attinet, conjugem, propitio Deo, ſibi anno MDCLXXIIX. elegit virginem virtutibus ſexum ornantibus condecoratiſſimam, *Annam Magdalenam*, Viri ampliſſimi *Davidis* MILLERII, mercatoris apud *Ulmenſes*, ſpectatæ integritatis filiam, ex qua undecim filios et ſeptem filias progeneravit quidem, ſed tamen præmaturam plerorumque mortem luxit; imprimis vero obitum filii maximæ ſpei, jamjam *Medicinæ Candidati;* quoties facta fuit illius mentio. Superfuerunt, dum viveret, unicus filius natu maximus, *Officialis Cæſareus*, ac tres filiæ, quarum natu minima *Jeremiæ* ADAMO, Medicinæ Doctori, et Phyſico *Ulmenſi* nupſit, ex qua duos ſibi natos nepotes magno cum gaudio vidit.

Reſtat, ut paucis ſubnectamus ea, quæ ad morbi, cui tandem ſuccubuit *Noſter*, hiſtoriam pertinent. Duobus autem ante mortem annis, maximam partem cum morbo moleſtiſſimo, arthritide ſcilicet, confligtandum ipſi fuit. Inceperat affectus ille anno MDCCXXII. menſe Decembri magno cum urinæ ardore, ut non immerito de calculo, aut minimum nephritide metus ſubortus fuerit; medicamentis interea, licet fruſta oppoſitis, huic morbo alias maxime idoneis. Tandem menſe Februario in ſcenam prodiit ille Protheus, arthritis nempe; et primum quidem in pede ſiniſtro, deinde in nucha, et tandem manu dextra, tantos cruciatus per tres quatuorve menſes attulit, ut per longum tempus illud æger domi ſe continere coactus fuerit. Varia equidem remedia identidem applicabantur: non omiſſa diæta fere ſcrupulo-

puloſa et nimis accurata; ſed tantum abfuit, ut hiſce reſtitutus fuerit priſtinus corporis animique vigor, et aquæ medicatæ *Bollenſes* vulgo *Boller-Bad* manus hebetudinem, et atrophiam ſuſtulerint, ut indies major naturæ et totius oëconomiæ animalis infirmitas obſervari potuerit, ex eo etiam colligenda; quod herniæ, per viginti jam annos geſtatæ, et machinâ ſat idoneâ cuſtoditæ, ſæpius acciderit prolapſus, magna cum virium proſtratione, et doloroſis ſymptomatibus conjunctus; qualis etiam ultima ſeptimana ante eius obitum contigerat. Cito quidem tunc reſtituebatur: cum autem non ita poſt iter inſtituere ad ægrum illuſtrem, duo milliaria ab urbe *Ulmenſi* habitantem, cogeretur, novumque ex conſuetudinis et manualis operationis defectu paſſus eſſet prolapſum, mox ſequentibus vomitibus, inſuper temporis et tempeſtatis inclementia, nec non viæ ſalebroſæ incommodis concurrentibus (unde herniæ refrigeratæ ac prolapſæ poſt reditum tentata repoſitio perfici non potuit) cum præterea etiam alvus, ab illo tempore ad vitæ finem usque, neque internis neque externis medicamentis et clyſteribus fortiſſimis referari potuerit, hinc ſenſim ſenſimque intra ſpatium quinque dierum ingens abdominis inflatio conſecuta eſt, febrisque inflammatoriæ apparebant indicia, et metus iliacæ paſſionis non fruſtra ipſi etiam ægroto injiciebatur. Hiſce igitur periculoſiſſimis rerum circumſtantiis ad vitæ incitas redactus, ſupremo *Vale* conjugi, filio, filiabus, mæſtisque adſtantibus dicto, animam exhalavit: cum vixiſſet annos LXVIII. Medicinam autem feciſſet annos XLIII.

Obiit autem annô MDCCXXV. die 10. Februarii: uti docet *Catalogus DD. Collegarum Academiæ*.

demiæ Curioſorum naturæ, *Actis* eiusdem *Academiæ* præmiſſus, *Tomo I.*

Dicendum modò, de Lucubrationibus *Noſtri* tum editis, tum ineditis. Sunt illæ

I. *Obſervationum medicarum Centuria I.* in 12°. *Auguſtæ Vindelicorum. Apud Theophilum Göbelium.* 1682. Hanc *Centuriam* laudandam ſibi duxerunt *Eruditi Lipſienſes*, in *Actis* ſuis, *ad annum* 1683. *p.* 273.

Obſervationum medicarum Centuria II. in 12°. *Ulmæ*, 1721. Ita teſtantur *Acta Academiæ Curioſorum naturæ*, *T. II.* in *Appendice*.

Ioann. Iac. MANGETUS in *Biblioth. Scriptorum medicor. T. IV. p.* 71. poſt indicatam harum *Obſervationum Centuriam I.* addit: *& Centuriæ tres*, *ibidem*. 1691. Etiam KESTNERUS in *Biblioth. medic.* de *Centuriis tribus* ſcribit. Sed vereor, ne ambo male moneant, cum *tertiam* nunquam prodiviſſe, ex inferius dicendis pateſcat. Interim forſitan priores *Centuriæ duæ*, iteratis typis *Auguſtæ*, 1691. vulgatæ fuerunt.

II. *Lineæ medicæ ſingulos per menſes quotidie ductæ*, 8°. *Auguſtæ Vindel. Impenſis Laurentii Cronigeri & Hæredum Theoph. Göbelii.* 1695.

Linearum medicarum Annus II. & III. ſeu 1696. & 1697. *Ibidem. Apud eosdem.* 1697. & 1698.

Linearum medicarum Annus IV. 8°. *Ibidem Apud eosdem.* 1698.

Linearum medicarum Annus V. 8°. *Ibidem. Apud eoſdem.* 1700.

Linearum medicarum Annus VI. & ultimus. in 8°. *Ibidem. Apud eosdem.* 1701.

Non ſine multa laude *Eruditi Lipſienſes* hoc *Noſtri* (*Viri*, aiunt, *experientiſſimi*) Opus, *quod tum medicæ artis tyronibus multum utilitatis afferre*, *tum etiam doctioribus anſam meditandi ſufficientem præ-*

præbere poterit, in *Actis* ſuis, ad *annos* 1696. 1698. 1699. 1700. & 1701. memorârunt.

III. *Iter medicum ſanitatis recuperandæ cauſſa non ſolum inſtitutum, ſed et feliciter Dei gratiâ finitum: cuius occaſione tum morbus Auctoris, & quæ circa eum contigerunt; tum plura alia curioſa et utilia communicantur. Cui annectuntur Georgii* RIEDLINI, *Auctoris avunculi, Obſervationes chirurgicæ rariores.* in 8o. *Auguſtæ Vindel. Apud eosdem.* 1702.

IV. *Methodus curandi Febres.* in 8o. *Ulmæ.* 1705. Hanc *Noſtro* tribuunt *Acta Academiæ Curioſorum naturæ l. c.*

V. *Manuductio ad Studium medicum à Patre D. Vito* RIEDLINO *conſcripta, & à Filio homonymo notis neceſſariis illuſtrata.* 8o. *Auguſtæ Vindel.* 1706. Vide mox citata *Acta.*

VI. *De Embrochiis. Ulmæ.* in 4o. 1706. Vide eadem *Acta.* Confer KESTNERI *mediciniſches Gelehrten-Lexicon.*

VII. *Medulla Pharmacopœæ Auguſtanæ ultimo editæ, continens ea præcipue medicamenta, quæ Auctor, ex illa deſumpta, frequenti uſu experta habet: eorumque plerorumque doſin et modum utendi ſubminiſtrans; cum annexis viribus, experientiâ utplurimum confirmatis, quorumvis Simplicium, in ſic dicta Taxa, Pharmocopææ annexa, contentorum.* in 8o. *Auguſtæ Vindel. Sumptibus Georg. Wilhelmi Kühnen.* 1707.

VIII. *Curarum medicarum, in quibus varii caſus, hiſtoriæ & obſervationes continentur, Millenarius.* in 4o. *Ulmæ.* 1709. *Apud Georg. Wilh. Kuhnium.* Laudant Opus hoc iterum *Eruditi Lipſienſes* in *Actis* ſuis, *ad annum* 1709. *p.* 315. ubi monent: *Noſtro* non ſolùm curæ fuiſſe, ut artem medicam rite exerceret, ſed et *Obſervationes proprias* litteris conſignando, eandem promoveret.

IX. *Kurze und gründliche Unterweiſung, wie die meiſten Krankheiten zu kuriren?* in 8°. *Ulmæ.* 1714. 1717. 1719. 1728. Hanc lucubrationem ſub ficticio *Iatrophili Sinceri* nomine vulgavit, pluries (ut vidimus) poſtea recuſam.

X. *Bericht von Verrichtung eines Wundarztes.* in 8°. *Ulm.* 1721. Ita habet *Theoph.* GEORGII *in Bücher - Lexicon.*

XI. *Kurze Beſchreibung des unterm Nahmen des* Maur - Bads, *in Augſpurg befindlichen Geſund - Waſſers.* in 8°. *Augſpurg.* 1722. In *Præfatione* Auctor monet: ſcripſiſſe ſe hoc Opuſculum, cum *Egrenſibus* acidulis *Auguſtæ* uteretur, quibus memorati balnei uſum junxerat. Fatetur inſuper, ſe, annis abhinc *tredecim* fere annuo artuum dolore conflictatum, has aquas ſaluberrimas eſſe expertum, ſuſcepiſſéque dehinc ſobolem copioſam.

XII. *Obſervationes variæ quamplurimæ*, quas tum ad *Acta Academiæ Curioſorum naturæ*, tum ad *Ephemerides germanicas* eiusdem *Academiæ* ſtudioſe contulit: et quas ſequens elenchus complectitur.

1. Hydrophobia tardius enata. 2. Lepra hodierna ſanata. 3. De ſcroti Tumore ex colica. 4. De Gutturi inhærentibus, forte fortuna rejectis. 5. Convulſiones periodicæ cum Iſchuria. 6. De Empyemate ſectione feliciter curato. 7. De Calculo, urethræ infixo. 8. De Calculo peniformi. 9. De Aphonia et ſurditate a faſcinatione. 10. De Experimentis, non ſemper ſuccedentibus. 11. De Deſipientia ex fuſi parte, manui dextræ infixa. 12. De Aphonia, precum et angelicæ ſalutationis recitationem non impediente. 13. De Ulcere, faſcinationi falſò adſcripto. 14. De Arthritide vagā, in febrem malignam pernicioſam degenerante.

15.

15. De Topaſio mixta ſapphiro. 16. De Pavonis albi notatu digna excluſione. 17. De Calculi veſicæ, mediante ſectione, felici extractione. 18. De Febre maligna, ſalivatione ſoluta. 19. De Pica fætui noxia. 20. De Turturum dubia caſtitate. 21. Ex Calculo ſub lingua ſubſequentia mala. 22. De Hormino traumatico. 23. De Calculo veſicæ arcte agglutinato, feliciter exempto. 24. De mania hæreditaria. 25. De Iſchuria, puncturâ in perinæo curata. 26. De Cervi ventre, ſalva vita, globo trajecto. 27. De rara Reſpirationis difficilis cauſſa. 28. De. Arthritide, per contagium contracta. 29. De Polypo, nicotianæ fumo curato. 30. De Calculis, e naribus extractis. 31. De Digito pedis maximo feliciter ſervato. 32. De Galli gallinacei vindicta ſat acri. 33. De Iſchuria, cum cervice veſicæ arctius clauſa, lethali. 34. De Sempervivo in ſero, poſt eryſipelas à pede manante, parùm conducente. 35. De ſignis quibusdam, herniam inteſtinalem antecedentibus. 36. Hydrocephalus viginti quatuor annorum. 37. Hermaphroditus primo pro puella, hinc pro maſculo habitus. 38. Iſchuria à muſculo veſicæ detruſore, munere ſuo non fungente. 39. Aurum in ventriculis anatum repertum. 40. Hydrops pectoris prædictus, et ſectione confirmatus. 41. Iſchuria catheteri, ſæpius applicato, inprimis cedens. 42. Sternutatio creberrima et vehemens, leniſſimo remedio cedens. 43. De uteri Hydrope, et in hoc non juvante paracenteſi. 44. De Mictione pultacea diuturna, in dorſi ulcera degenerante. 45. De Cornuum cervinorum ramis 46. De Pecorum, lue defunctorum, carne merito ſuſpecta. 47. Acidulæ *Ueberkingenſes*, ab *Auctore Obſervationis* in uſum deductæ. 48. Paracenteſi non juvante apertum cadaver. 49. Aquæ *Zaiſen-*

huſcanæ, non quibusvis ſalutares. 50. Catheteris inſignis uſus. 51. Catheteris vomitu rejecta. 52. Icterus brevi Marti cedens, huiusque medicamenti innocentia. 53. Acidulæ *Egranæ*, egregias exſerentes vires. 54. Abdominis percuſſio, mortem ſubitaneam inferens. 55. Martis uſus vindicatus. 56 Cicuta aquatica, loco petroſelini comeſta. 57. Catheteris frequentiorem applicationem ſequentia mala. Confer, ſi lubet, *I. I.* MANGETI *Biblioth. Script. medicor. T. IV.*

Anecdota quæ reliquit RIEDLINUS, ſequentia recenſentur in *Actis Curioſorum Naturæ*, *l. c.*

I. *Curarum medicarum Chilias. II. III. IV.*

II. *Obſervationum medicarum Centuria III. IV. V. VI. & VII.* Vide, quæ ſuperius, de editis *Noſtri* Operibus, *N°. I.* monui.

III. *Deſcriptio nova balnei Bollenſis, vulgô* Boller-Bad.

IV. *Exercitationes complures theologici argumenti.*

V. *Animadverſiones in SS. Biblia.*

VI. *Meditationes piæ de Paſſione Domini & Rebus variis derepente objectis.*

VII. *Poemata ſacra plura.*

De quibus *ſuperius* in *Vita*, ſaltem ex parte, mentio facta eſt: et quibus omnibus, per diverſa Volumina digeſtis, Auctor tum otium, quod â medicina facienda conceſſum fuit, conſumpſit: tum pietatis ſuæ egregia documenta dedit.

ROSEFFIUS (*Gregorius*)

ROSEFFIUS, patre Italo genitus, primam lucem *Landishuti*, clariſſima *Bavariæ* urbe, anno MDXXXVIII. 11. Calendas *Auguſti* aſpexit, parentes habens virtute magis ac religione, quam genere aut opulentia ſpectatos: cuius laudes dum cele-

celebrare paro, ipſis *domeſticorum Scriptorum* (*a*) verbis ac teſtimoniis uti placet.

Noſter, cum inter litterarum ſtudia adoleviſſet, atque ita adoleviſſet, ut & *Artium Magiſter*, & *SS. Theologiæ Licentiatus* renunciatus fuerit, anno Chriſti 1559. 16. Cal. Octobr. ætatis autem anno 21. *Viennæ*, urbe *Auſtriæ* principe, *Societati Ieſu*, inter ipſa illius primordia, ſeſe addixit. Tyrocinii ſacri Magiſtrum, eundemque Collegii *Viennenſis* Rectorem nactus *Ioannem* VICTORIAM, eius tantas brevi de ſe excitavit ſpes, ut majoribus jam tum rebus in *Societate* deſtinaretur. Itaque cum *Romæ* ſub idem tempus deſideraretur, qui contubernio *Germanorum* ad *S. Marcelli* inſtituto præeſſet, non alius viſus eſt eâ provinciâ dignior: miſſúsque *Romam*, quanquam expers etiamnum ſacerdotii, haudquaquam Præſidum de ſe opinionem fefellit. Specimina diſciplinæ cum in ceteris contubernii alumnis inſtituendis egregia dedit, tum maxime in *Philippo Eduardo*, *Octaviano Secundo*, *Antonio*que FUGGERIS, quos moribus artibusque optimis probe informatos in *Germaniam* remiſit.

Ex eo munere *Viennam* revocatus, in ſacerdotium venit haud paulo citius, quam pro *Societatis* conſuetudine: moxque *Auguſtæ Vindelicorum* in ſummæ Eccleſiæ cathedra *P. Petro* CANISIO, Viro maximo & *Provinciæ* Præſidi, ſuccedere (*b*)

M 4 tamet-

(*a*) Sunt illi *Hiſtoria Societatis Ieſu Provinciæ Germaniæ ſuperioris.* ALLEGAMBE *Scriptores Societatis Ieſu. Julius* CORDARA *Hiſtoria Societatis Ieſu. Annales Collegii Societatis Ieſu Auguſtani.* SOTVELLUS in *Biblioth.*

(*b*) Tenuit usque in annum 1566. CANISIUS ſuggeſtum ſuum; ſed quod non raro vel *Provinciæ*, quam regendam ſuſceperat, negotia, vel altiora juſſa abire eum aliò cogerent, vices eius cum bona Canonicorum venia alii

tametſi vix annum ætatis *duodetrigeſimum* ſuperâſ-ſet, juſſus inter præcipua *Societatis*, in *Germania*, effulgere lumina cœpit. Venit autem *Noſter Auguſtam*, *Vir* (ut RADERUS in *Vita Petri Caniſii*, p. 155. ait) *magnis corporis & animi viribus, conſiliisque pollens, quod ea tempeſtate eaque in urbe maxime deſiderandum erat, ab eloquentiæ laude in primis commendatus*, ſeneſcente annô MDLXVI. quo, menſe *Decembri*, coram *Othone* TRUCHSESSIO (*c*) Epiſcopo & Cardinale concionandi officium auſpicatus eſt. Huius primordia minus jucunda, minusque grata *Noſtro* acciderunt, quippe non niſi duodenos aut quindenos utplurimum auditores numeranti; ſive quod *Auguſtanus populus* a novo homine abhorreret: ſive quod CANISII memoria nimis alte in civium animis inſederit atque inveterârit. Attamen illis concionum *Noſtri* initiis tanta vis fuit gratiaque tanta, ut fama indies latius manante, ingens paſſim excitarit ſui audiendi deſiderium: quo demum ſic ſummi infimique exarſêre, ut, quamquam ad ſextum usque et triceſimum annum, rariſſimo ſane exemplo, continuus & frequentiſſimus ex eo ſuggeſtu orator fuerit, tamen audientium animis nulla vel ſatietas vel faſtidium ullum obrepſerit: eaque ex illo tempore ſemper *Noſter* auditus ſit approbatione ac fructu, ut *Auguſtani* redditum ſibi ſuum apoſtolum, *Petrum* CANISIUM, eſſe profeſſi ſint. Quod autem *Phi-*

alii e *Societate* tantiſper ſuppleverunt. Dux *Albertus* ſuum in aula oratorem, *Martinum* STEVARTIUM aliquamdiu commodârat. Eius, in *Bavariam* revocati, locô ſubmiſerunt Reginæ *Oenipontanæ Hermetem* HALBPAURIUM; donec tandem ROSEFFIUS menſe *Octobri Auguſtam* venit, cui CANISIUS cathedram ex toto ceſſit.

(*c*) Maximi Viri huius laudes perſcriptas habes in *Alphabeto IV*. præſentis *Bibliothecæ* meæ.

Philippus ALLEGAMBIUS notavit: *Gregorium* quinquaginta & amplius annos in concionandi officio poſuiſſe; vel mendoſioribus quibusdam Scriptis, quorum exemplar *Monachii* exſtat, deceptus fecit: vel de iis etiam annis, quibus, jam concionatoris officio defunctus, ROSEFFIUS per intervalla ſubinde & pro re nata ad populum dixit, interpretandum eſt.

Sane eum, jam emeritum, & *Provincialatûs* officio gravatum pluries de cathedra perorâſſe invenio. Sic anno 1601. iterumque anno proximo 1602. ad *Auguſtanos* ê *monte ſancto*, ſeu *Andecenſi* reduces, pios peregrinatores in *S. Affræ* in campo *Lycio* dixit, ſuum quondam doctorem fideliſſimum avide intuentes ac ſalutantes. Sic anno 1608. cum *Henricus* Epiſcopus veterem Eccleſiæ *Auguſtanæ* conſuetudinem, in pervigilio *S. Michaelis* (quoties id in *Dominicam* diem incidiſſet) Sanctorum Reliquias ex parochiis & coenobiis in ſummam ædem comportatas populo oſtendendi, ab introducta in urbem *Auguſtam Lutheri* doctrina per 86. annorum ſpatium omiſſam inſtauraſſet, *Noſter* jubente Epiſcopo ei ſolennitati ſacra oratione initium fecit, quâ antiquiſſimum Divorum pignora colendi ritum ab omnibus retro ſæculis uſurpatum, cum Scripturarum oraculis maxime convenientem, graviſſima priſcorum Patrum auctoritate confirmabat. Sic anno 1610. jam *Ex-Provincialis*, in Synodo *Auguſtana* abs eodem *Henrico* habita, peroravit; de quo paulo poſt ſermo redibit. Sic eodem anno 1610. in cœnobium *Andecenſe* à Proepiſcopo & Vicario generali *Auguſtano*, Commiſſario epiſcopali ad electionem novi Abbatis poſt mortem *Chryſoſtomi* deputato perductus, antequam ad ſuffragia iretur, pro conſuetâ eloquentiâ ad eligentes verba eventu optimo fecit.

Evangelicæ igitur facundiæ in Eccleſia *Auguſtana* princeps, ni CANISIUS præceſſiſſet, haberi ROSEFFIUS potuiſſet. Perquam appoſite is non ad ſuadendum duntaxat docendumque, ſed (quod in ſacris concionibus præcipuum eſt) ad permovendum etiam dicebat; magisque ſpiritu atque interioris cuiusdam impreſſione virtutis percellebat animos, quam ubertate verborum aut compoſita ad plauſum oratione aures implebat: atque ob id lubentiſſimis animis a plebe audiebatur. Quin etiam Principibus purpuratisque *Romanæ* Eccleſiæ Patribus in amore atque in veneratione maxima fuit, *Othoni* inprimis TRUCHSESSIO, qui (præter ampliſſimas a *Romana* Sede ad ea etiam ſacri fori munia, quæ ſupremæ ſunt poteſtatis, pertinentes facultates *Noſtro* impetratas) eum unum præ aliis maxime idoneum judicavit: à quo ſacroſancta *Concilii Tridentini* Decreta, in Synodo diœceſana *Dillingæ* anno 1567. habita Epiſcopi nomine, proponerentur: propoſita per univerſam ſubin diœceſin circumferrentur. Qua re factum, ut *Noſter* ſicuti prius urbem *Auguſtam*, ita jam *Sueviam* univerſam ſui fama impleret, habitis coram Synodo concionibus Germanicis tanta cum eloquentia, ut omnes in admirationem ſui rapuerit. Similiter & *Henricus* Epiſcopus *Auguſtanus* (*d*) *Noſtri* operâ, in Synodo â ſe *Auguſtæ* anno 1610. celebrata, utendum ſibi duxit; nam cum ad ea ſacra Comitia e *Suevia* magno numero, nec pauci e *Bavaria*, frequentes cænobiorum Præſules, oppidorum Paræci, Decanique, communi *Syllabo* ſingulatim nominati, convenifſent: Patrúmque Senatus die Dominico, qui in tertiam Octobris inciderat, excitatum in

(*d*) De *Henrico* KNOERINGIO epiſcopo dixi in eodem *Alphabeto IV*.

in *D. Virginis* ſumma æde Tabulatum occupâſſet, Eccleſiaſtes *noſter ante meridiem* de ea re Concionem patrio ſermone allocutus eſt, *P. Ioanne* SALLERO (*) qui priori in cathedram ipſe ſucceſſerat, latine ad Concilium ſacroſque Ordines *poſt meridiem* dicente, utroque maxima urbis & auditorum, qui ſermonem frequentiſſimi attenderant, approbatione excepto.

Uti vero ROSEFFIUS, e cathedra perorans, maximæ voluptati orthodoxis fuit, etiam ex eo, quod mira felicitate difficillimas quæſtiones vel rudibus explicaret ad captum: ita magno heterodoxis, quorum errores luculentius revincebat, terrori extitit. Inde frequens illi nata cum acatholicis Præconibus, nec vacua victoriis dimicatio. Harum unum alterumve exemplum commemorare tum conſonum, tum vindicandæ *Noſtri* famæ peraptum fuerit. *Andreas* FABRICIUS *Leodicenſis Eburo librum ediderat* de Harmonia Confeſſionis Auguſtanæ; *in qua Cæſarem* Maximilianum II. *adhortabatur, ut gladium, quo tanquam potentiſſimus accinctus regnet, contra prava dogmata ſtringat &c. Peſſime hæc habuerunt* Georgium MYLIUM. *Quare in æde S. Crucis, in qua cathedram*

(*) *Ioannes* SALLERUS *Tuzingenſis* Boius, exacto *Monachii* ſtudiorum curſu, *Societati Ieſu* ſeſe mancipavit: in qua ſacræ inprimis eloquentiæ laude claruit, poſt ROSEFFIUM *Auguſtæ*, dein etiam *Ratisbonæ* ſacri Oratoris munere magno cum applauſu, nec minore audientium fructu perfunctus. Obiit anno 1630. *Monachii.* Edidit *Auguſtæ* ſermone patrio 1°. *Epiſtolam encychlicam*, qua Catholicorum in corporum diverberatione pietatem collaudat. 2°. *Lutherum exulem*, in quo oſtendit, quam procul â prima ſuæ Fidei Formula *Carolo V.* anno 1530. oblata *Lutherani* receſſerint. 3°. *Controverſas de Eucharistia Quæſtiones.* Omnia magno eruditorum applauſu excepta commendarunt Auctorem. V. *Hiſtoriam Societ. Ieſu, German. ſuper. T. II. III. IV.* Quædam reliquit inedita, de quibus conſulendus ALLEGAMBIUS.

ram tenebat, ſuggeſtu conſcenſo, cum abſentem FABRICIUM, *qui à Bojorum Principe inter Conſiliarios adlectus fuerat, mordere non auderet, in* Societatem, *quam* FABRICIO *caram eſſe haud ignorabat, vehementer invehitur*: Ieſuitas auctores libri *proclamat*, truculentos homines eſſe et ſanguinarios &c. &c. *Hoc ut intellexit* ROSEFFIUS, *neutiquam in urbe Lutheri aſſeclis plena diſſimulandum eſt ratus, unde ſimpliciorum, aut multitudinis odia aſperari magis, incendique poſſent. Conqueritur primum apud illos, qui corrigere* MYLIUM *ex officio, monereque et debebant et poterant. Cum negligi querelas et cauſſam deſeri videret, munus ſuum eſſe putavit, matris famam ratione quavis licita defendere. Quapropter et ipſe in ſuggeſtum pro munere ſuo progreſſus, edocta plebe, quam malevole nuper* MYLIUS Societatem *tum ob alia, tum ob* FABRICII *librum conviciatus eſſet, nominatim ac publice* Georgio *ipſi notam calumniatoris impingit, reumque mendacii pronuntiat; dum, quod falſo effutierat, verum eſſe oſtenderet. Oratoris proteſtatio cum tota urbe vulgaretur, celeriter* MYLII *tribulibus innotuit. Hi, ne ex viri conſortio contagionem infamiæ et ipſi contraherent, denuntiant Collegæ, ſi reatu falſimoniarum adhuc notatus auderet conſcendere pulpitum, ſe quidem in illud non ultra prodituros.... At repoſcitur* MYLIUS *à populo in cathedram; intellecto, quid ſymmyſtæ minitati eſſent, ad Senatum curritur; ut* MYLII *fama reſtituatur in integrum, tumultuoſe expetitur. Suſcipit Curia cauſſam, duoſque ad Andream* RHEMIUM (*e*) *Eccleſiæ cathedralis Decanum ablegat, petitum, ut palinodia imperetur* ROSEFFIO *conviciatori. Hic locuturum ſe reponit cum* Gregorio, *viſurumque, an et quantum hæc*

(*e*) **Eſt is** ***Wolfgang. Andr.*** **REHM à me in** ***Alphabeto IV. Bibliothecæ Auguſtanæ*** **laudatus.**

hæc ad ſe cauſſa pertineat: nunc quidem perſuaſum ſibi, nihil ab homine, ſobrietatis et pacis publicæ perquam ſtudioſo, temere dictum eſſe. Nec mora, accerſit ROSEFFIUM, *et quid adverſus ipſum querelæ ſit, amice indicat. Oſtendit contrà* ROSEFFIUS, *quam falſo univerſæ* Societati *crudelitatis nota impacta publice: quam fruſtra, ut famæ integritas reſarciretur, eorum, ad quos res pertinebat, petitum fuerit auxilium: hinc ſe, ùt filium non degenerem decet, Matris exiſtimationi conſulturum, tamdiu mendacem habendum eſſe* MYLIUM *proclamaſſe, quamdiu, quæ publice effutierat, vera eſſe idem haud probaturus foret. Satis fuit* RHEMIO *ſtatum rei, ùt erat, intellexiſſe. Internuntium protinus ad Curiam mittit, qui indicet: nihil eſſe in* ROSEFFIO *monitione opus:* Societatis *a calumnia vindicandæ modum, fruſtra ſperatum, uſurpâſſe illum jure Gentium. Agnovere Patres, nihil ulterius à Catholicis expeti poſſe. Ut* MYLII *tamen ... vocem in ſuggeſtum reſtituerent, primum quidem Collegas eidem ſuos reconciliarunt, ſubin Decretum ediderunt, quo, poſtquam declaravêrant,* ROSEFFII *dicta adeo injurioſa à ſe non haberi, ut* MYLII *auctoritatem, nomenque læſum exiſtiment, vetuerunt ſimul, ne quisquam* MYLIO *contractam inde infamiam objectare auſit, ea tamen ſpe, fore, ut* MYLIUS *fidem ſuam præſtet, ac orationem poſthac ad fructum auditorum, ſtudiumque pacis ſanctè prudenterque accommodet. At* MYLIUS *quidem, cum fidem liberare non poſſet, ſilentio rem totam interea diſſimulavit (f).*

Et

(f) Fuſius hæc ex *Hiſtoria Soc. Ieſu Germaniæ ſuperioris, T. I. p.* 169. proponere placuit, ut ROSEFFII fama vindicetur, quæ ex verbis, quibus rem iſtam narravit *Paulus* à STETTEN *ſenior* in *Chronica Auguſtana T. I. p.* 642. haud parum detrimenti patitur.

Et hæc quidem cum MYLIO controverſia *Noſtro* anno 1576. fuit: altera deinde eidem cum alio Præcone acatholico anno 1593. enata; qui ex ſupremi *Auguſtanæ* Eccleſiæ Paſtoris *Ioannis Othonis de* GEMMINGEN (g) ternam Comprecationem (in debitam gratiarum actionem, quod Deus peſtiferæ contagionis, quintum jam menſem *Auguſtanam* urbem viciniamque depopulatæ, flagellum ſepoſuiſſet) imperantis Decreto occaſionem plane intempeſtivam Catholicos impugnandi arripuerat. Contra hunc quoque in aciem ſibi deſcendendum ratus ROSEFFIUS, ita eius dicta, adverſus epiſcopale *Decretum* publice e ſuggeſtu prolata, argumentis in contrarium allatis contudit, ut ipſi Proteſtantes, nullam vocem contra Epiſcopi ſanctionem excidiſſe, optârint. Sed de his ſatis. —

Quanta ROSEFFII noſtri in civitate exiſtimatio fuerit, & auctoritas quanta, vel inde colligere pronum eſt; quòd, quidquid ille pietatis Religionisque cauſſâ moliendum ſuſcepit, facili negotio, eventu certe exoptato perfecerit. Atque ut huius generis exempla afferam; ROSEFFIUS religioſam diſciplinam, quæ in *Auguſtano* Monialium cœnobio quodam penitus collapſa fuerat, ſuis hortationibus & conſiliis feliciter reſtituit. ROSEFFIUS Patritiorum Virorum, e ſtirpe antiquiſſima, tanto in fratrem, officiis antea geſtis & auctoritate conſpicuum, odio accenſos animos, ut carcerem quoque & vincula procurarint miſero, piis monitis compeſcuit: et deteſtabiles, quas clariſſimi ex *Auguſtana* Nobilitate homines, imo ipſe ſereniſſimus *Boiorum* Dux *Guilielmus* componere irrito conatu tentârant, iras poſt duorum menſium laborem de me- dio

(g) GEMMINGII laudes paucis commemoravi in ſæpius memorato *Alphabeto IV. Bibliothecæ Auguſtanæ.*

dio communi omnium proborum gratulatione ſauſtiter ſuſtulit. ROSEFFIUS, cum unam duntaxat Catholici ſcholam trivialem haberent, cogerenturque Liberos ſuos ludimagiſtris acatholicis in diſciplinam tradere, effecit, ut ſcholæ tres, totidem præceptoribus orthodoxis inſtructæ, aperirentur. Summa autem geſtorum eius *Auguſtæ* (paucis) ea fuit, quod rei catholicæ columen, poſt CANISIUM, ſolidiſſimum ſeſe præbuerit. Quippe ſic illam conſilio, dictione, opera ſuſtentabat, ut conſtans fuerit plurimorum ſenſus, Optimatum præſertim Principumque civitatis confirmatus judicio: Absque ROSEFFIO fuiſſet, Religionem catholicam in hoc nobiliſſimo Romani Imperii municipio nulla plane, vel exigua parte fuiſſe ſtaturam; certe ad eas opes vireſque, quas admirari poſt ROSEFFII conciones licuit, haudquaquam evaſuram fuiſſe. Quam in ſententiam *Marcum* VELSERUM, Duumvirum *Auguſtanum*, doctrina ſcriptiſque clariſſimum, eúmque GRETSERO, PONTANO, RADERO *Societatis* Scriptoribus ob communia ſtudia perfamiliarem (*h*), quem etiam ùt oraculum Viri principes, Regeſque conſultabant, paulo antequam e vivis migraret, in *litteris* ad RADERUM datis illud Apoſtoli uſurpaviſſe comperimus: *Caniſius plantavit*, *Roſeſſius rigavit*, *Deus incrementum dedit.*

Iam vero *Societatis*, *Provinciæ*que per *Germaniam ſuperiorem* tum naſcentium res ROSEFFIUS, qua pollebat facultate agendi atque auctoritate, mirifice amplificavit. Ipſe domiciliis *Societatis* pleriſque (prima quidem tria ſi excipias) ab initio conſtituendis interfuit. Ipſe *Auguſtani* Collegii ædes,

(*h*) De VELSERO fuſe egi in *Alphabeto II.* huius *Bibliothecæ*. De PONTANO & RADERO in præſenti *Alphabetho V.* ſuis locis mentio facta.

des, templumque ſuo maxime ſtudio, cura, operaque, ſuperatis feliciter omnibus difficultatibus, anno 1581. adjutus maxime *Georg.* ILLSUNGII, itemque *Georgii*, *Marci*, & *Ioannis* FUGGERORUM patrocinio excitavit: eiusdemque Collegii rem ac oeconomiam ut ſtabiliret, pecuniis, a *Chriſtophoro* FUGGERO donatis, pagum *Kyſſingam* anno 1602. emit: emptumque à *Bavariæ* Ducibus, impetratis *Monachii* magnis privilegiis, muniri curavit (*). Ipſe anno 1581. e Romanis *Societatis* Comitiis redux, *ſexto Calend. Iulii* Gymnaſii quoque ſtructuram inchoavit. Ipſe potiſſimum effecit, *Conſtantiæ* ut *Societas* Collegium haberet. Ipſe *Landſpergenſi* domui ædificandæ dotandæque ſubſidia ingentia contulit. Ipſe alias *Provinciæ* ſedes paſſim ſtabilivit, conſiliisque & induſtria plurimum juvit. Ipſe a præcipuis Patribus, qui *Auguſtam* anno 1587. convenerant, delectus eſt, ut omnium nomine ad procuranda *Provinciæ* negotia *Romam* tenderet: quod ipſum à *Noſtro* quatuor aliis vicibus præſtitum fuiſſe, itemque eum *Congregationi VI. generali* interfuiſſe, lego.

Et ſane, poſtquam *Auguſtanæ* familiæ quatuordecim annos ipſos, antequam ad *Collegii* ſtatum emergeret, Moderator; *primus*que deinceps *Rector* ad octavum usque annum præfuerat, ſæculari demum anno 1600. ipſis totius *Provinciæ* gubernaculis admotus, providentiſſime ubique omnia ſollertiſſimeque per annos octo adminiſtravit. Sic ſeveriorum ſtudiorum curriculum egreſſis junioribus Societatis ſacerdotibus domicilium proprium attribuit *Ebersbergam* haud ignobile *Bavariæ* oppidum, ubi *tertiæ probationis* annum ex more *Societatis*

(*) De hoc vide *Hiſtor. S. I. Provinciæ Germ. ſuper. P. III. p.* 152.

tatis ſub unius Magiſtri diſciplina atque inſtitutione (quod fieri ante id tempus, ut in *Provinciæ* initiis, minime licuerat) communiter omnes exigerent. Sic ſalubriter ipſe inſtituit, ut non latina tantum, quæ ſuper menſam fieret, utilium librorum lectio eſſet; ſed vernaculo etiam ſermone quædam in Fratrum linguæ latinæ ignarorum gratiam recitarentur. Sic, bonarum artium et doctrinarum haudquaquam negligens, ut *Socii* litteras probe excolerent, ſedulò curavit. Poſtremo omnis *Gregorii* adminiſtratio (ſeu domum regeret *Auguſtæ*, ſeu *Provinciæ* totius moderaretur habenas, præcipuis religioſi Præſidis virtutibus effulſit. Gravitatem perſonæ ac muneris, benignitate: auctoritatem, comitate: prudentiam, candorè atque integritate: officii curam ſedulitatemque, pio precandi ſibique haud ſegnius quam ſubjectis invigilandi ſtudio temperare quam aptiſſime noverat. Magnus illi fuit, erectusque in rebus arduis animus: cæptorum tenax ac conſtans: ubi gloria divini Numinis, vel cauſſa Eccleſiæ agebatur, promptus, ardens, intrepidus. Gerendarum autem rerum conſiliis & ſapientia excellebat inprimis: eaque circumſpectione et cautela negotia quæque agebat, ut omni facile invidia periculoque ſuperior, quamvis odia adverſariorum vitare non poſſet, iniquas tamen machinationes eluderet, teſte *Hiſtoria Societatis Ieſu Germaniæ ſuperioris*, *T. I. p.* 312. Ego his miſſis ad propoſitum argumentum revertor.

Subrepſerat inter labores apoſtolicos, inter domeſticas curas ac difficultates ROSEFFIO ſenectus: vires animi corporisque deceſſerant. Hanc ob rem anno 1609. munus regendæ *Provinciæ*, quod per novennium præclare geſſerat, in humeros *Theodori* BUSÆI è *Rhenana* Provincia ad luſtrandam *Ger-*

maniæ ſuperioris Provinciam miſſi, transtulit, præmiſſa paræneſi gratulatus ſibi, quod hunc ipſum, quem *quinquageſimum* in Societate vixiſſet annum, jubilæum haberet, quô miſſionem adeptus in ſancta quiete liberum â curis ſenium agere poſſet. Sic â publicis curis ad pietatis religioniſque privata ſtudia totum ſe *Auguſtæ* contulit, & divinis rebus commeditandis, animoque ad piam mortem comparando penitus addixit. Faſtidia ſenectutis & dolores, quibus ex affecto corpore cruciabatur maximis, mira fortitudine toleravit, unum illud, ſi vocem acerbitas exprimeret, pie (*i*) ingeminans: *Da, Domine! patientiam & auge dolorem.* Denique (ut brevis ſim) anno 1623. quem vitæ annum 85. numerabat, Idibus Maii placidiſſima morte quievit. Sepulturam eum in Sacello *S. Lamberti*, quod epiſcopali palatio contiguum TRUCHSESSIUS Cardinalis *Caniſio* Sociisque, primùm urbem ingreſſis, olim attribuerat, nactum eſſe, nonnemo adnotavit: idemque erat locus, ubi quatuor vota *Societatis* ſolennia tertio abhinc & quinquageſimo anno, *P. Paulo* HOFÆO ſuſcipiente, nuncupârat.

Expendimus ROSEFFII merita *apoſtolica*: expendimus merita *domeſtica*; expendamus modo merita *litte ria.* Etſi *Noſter* omnes cogitationes ac vires ſuas, vitæque tempus omne ſacris occupationibus, animarum ſaluti, utilitatique Eccleſiæ ſanctæ devoviſſe videri queat; tamen & de Republica litterata, quantum per vitæ rationes licuit, bene mereri neutiquam intermiſit. In hanc rem de illo *Iulius* CORDARA teſtatum reliquit: *Nemo eum vidit aliquando otioſum. Quod a rebus gerendis ſupererat temporis, aut contemplationi rerum cœleſtium aut piis.*

(*i*) Pietatis *Noſtri* exempla plura affert. *Hiſtoria Societatis Ieſu*, *P. III. IV.*

piis ſcribendis libris impendit, quorum nonnullos edidit alieno nomine adverſus libellos Lucæ OSIANDRI, *præter alia quædam opuſcula, Doctorum judicio valde laudata.* Neque ſolum litteras ipſe coluit, ſed ut illæ ab aliis quoque colerentur, fategit: Hinc in *Provincialatûs* munere conſtitutus, *inter ceteras curas haud poſtremum locum politiorum cultui litterarum dedit: quarum in hominibus Societatis præcipua quadam induſtria excitavit ſtudium, provexitque;* cuius rei teſtem *Hiſtoriam S. I. Provinciæ German. ſuper. T. IV.* habemus: exempla autem (ut alios taceam) luculentiſſima in PONTANO & RADERO ſupra memoratis.

Sed jam ipſa *Noſtri* tum *edita* tum *inedita* ſcripta enumeratum pergo. Vulgaverat *Lucas* OSIANDER Præco *Tubingenſis* librum in Societatem Ieſu maledicentiſſimum hoc titulo: *Warnung vor der Ieſuiter blutdürſtigen Anſchlägen und böſen Practiquen.* Scilicet uſſit Virum triſte MYLII fatum, et ignominioſa ex urbe *Auguſta*, ob commotos varios tumultus, anno 1584. ejectio. Quare magna amiciſſimi Exulis miſeratione tactus, contra vero Ieſuitis iratior, hos exilii huius auctores unicos, viros ſanguinarios &c. eſſe clamabat. Sed contra, pro vindicanda *Societatis* famâ, Superiorum juſſu *Noſter* anno 1585. & ſequentibus, quatuor Libellos *germanice* ſcripſit, emiſitque in lucem, ſub nomine *Chriſtophori* ROSENBUSCH, *latine* (ùt Allegambius habet) ROSETI, quibus criminationes & convicia, quæ OSIANDER in ſuum Opus acervatim ingeſſerat, diſertiſſime confutavit. Sunt iſti:

I. *Antwort und Ehren - Rettung auf die ehrenrürig, im Rechten und Römiſchen Reich verbottene Schmach - Schrift Lucæ* OSIANDRI, *die er intitulirt:*

Warnung vor der Ieſuiter &c. &c. in 4°. *Ingolſtadt.* 1586. V. ALLEGAMBE.

II. *Wohlgegründete erneuerte Antwort und Ehrenrettung auf Lucæ Oſiandri* Warnung vor der Ieſuiter &c. &c. in 4°. *Ingolſtadt.* 1586. V. LIPENII *Biblicth. theolog. T. II. p.* 79. Eſt idem Opus cum antecedenti, ſed hinc inde recognitum et auctum: quandoquidem divenditis citiſſime primæ editionis exemplaribus id Typographus â *Noſtro* flagitârat.

III. *Chriſtophori Roſenbuſchs Replica auf des Calumnianten Lucæ Oſiandri* Verantwortung wider die Ieſuiter. in 4to. 1586. V. ALLEGAMBE.

IV. *Chriſtoph. Roſenbuſchs Declaration der untüchtigen unwahrhaften* Abfertigung Lucæ Oſiandri Prædicanten. in 4to. *Ingolſtadt.* 1588.

V. *Apologia pro Societate Ieſu contra Oſiandrum.* Hanc ALLEGAMBE *Noſtro* attribuit, mihi autem nullibi viſa eſt. SOTVELLUS in *Bibliotheca* monet, hanc *Ingolſtadii* anno 1588. excuſam fuiſſe; ea res mihi perſuadet, iſtam *Apologiam* unum eundemque librum cum præcedente eſſe: quem ipſum Typographus in *Admonitione* prævia *Apologiam* vocare non dubitavit.

VI. *Iter Legatorum Iaponicorum ad Gregorium XIII. & Epiſtolæ aliæ ex Iaponia.* Hæc linguâ vernaculâ vulgaſſe *Noſtrum* ſuppreſſo ſuo nomine, tradit ſæpius laudatus ALLEGAMBIUS & SOTVELLUS. Titulus ſic ſonat: *Zeitung, welcher Geſtalt im Martio dieſes fünf- und achtzigſten Iars etlich König und Fürſten aus Iaponia ihre Abgeſandten, des Glaubens halben, gen Rom geſchickt haben &c. &c.* in 4to. 1585. Meminit huius Scripti *Vincentius* PLACCIUS in *Theatro Anonymor.* N°. 1842. addens, *ſe huius Legationis Hiſtoriam italice ſcriptam* in 8°. *legiſſe: num autem Verſio germani-*

manica ex italica editione illa facta ſit, *nec* ALLEGAMBIUM *nec* SOTVELLUM *indicare*. Ex *Præfatione* autem patet, Verſionem vernaculam ex *latino* factam eſe. De veritate huius Legationis ſubjungit idem PLACCIUS: *Pſeudolegatos illos fuiſſe*, *à multis ſcriptum*, *& in* Hiſtoria *P. de la* CHAISE, P. I. *quomodo fraus iſta & illuſio Pontifici facta*, *per ipſum fuerit reconciliata*, *prolixe refertur. Sed eam* Hiſtoriam *parum fide dignam faciunt multa*, *& mihi vel maxime D.* LEIBNIZII *prolixa in eam Invectiva*, *in Actis Erudit. Lipſienſ.* Legationem iſtam, ut veram, referunt *Andr.* VICTORELLUS apud CIACONIUM in *Vitis Pontif. T. IV. p.* 11. *Natal.* ALEXANDER in *Hiſt. eccleſ. Sæculo XVI. Claudius* FLEURYUS in *Hiſt. eccleſ. ad annum* 1585. quibus fides minime deneganda eſt.

Hæc de *editis* ROSEFFII Scriptis ſufficiant. De *ineditis* ait ALLEGAMBIUS: *Aſſervatur integra pene Bibliotheca voluminum*, *quæ ille ſuo ingenio elucubravit*, *ſua manu ſcripſit.* Sed hæc maxima ex parte temporum curſu interciderunt. Interim à vero haud abſonum eſſe, quod ALLEGAMBIUS teſtatur, comprobant plures *Lucubrationes Germanicæ*, in Bibliothecis à me repertæ; quarum e numero ſunt:

VII. *Concio ad pios Peregrinatores e monte Andecenſi reduces*, in *S. Afræ in Campo Lycio* habita. Servatur in *Bibliotheca Collegii* quondam *Societ. Ieſu.*

VIII. *Vita et Mors D. Julianæ Chriſtophoræ Remboldin*, *ex Patritia Velſerorum ſtirpe prognatæ*, una cum *Epiſtola ad ſuperſtites Liberos eiusdem.* Extat in eadem *Bibliotheca.*

IX. *Conciones XVIII. quadrageſimales de Peccati natura*, *effectibus*, *fuga*, anno 1583. habitæ. Vidi in Bibliotheca *FF. Prædicatorum*, *Auguſtæ.*

X. *Conciones X. Adventuales*, in templo *S. Ioannis*, *Auguſtæ*, habitæ. in 4to.

XI. *Conciones IX. in Pſalmum*: De profundis, *ibidem*, annô 1596. dictæ. in 4to.

XII. *Conciones VIII. de SS. Sacramento altaris per Octavam Corporis Chriſti* habitæ in 4to. *Nota Lector! Aut hæ, aut aliæ* Conciones *de eadem materia* annô 1580. *in Eccleſia cathedrali habitæ* ſervantur in Bibliotheca *Eichſtettenſi PP. Prædicatorum.*

XIII. *Concio de S. Cruce*, in templo *S. Crucis*, *Auguſtæ*, habita. in 4o.

XIV. *Concio funebris in honorem Danielis Archiepiſcopi & Electoris Moguntini*, in exequiis eiusdem ſolennibus, *Auguſtæ* in ſumma æde anno 1582. die 15. Maii celebratis, dicta.

Conciones indicatæ *No. IX - XIV.* debentur omnes ſolertiæ *Bartholomæi* WAGNERI, qui eas, ab ore dicentis ROSEFFII exceptas, in ſcriptum redegit. Reperiuntur autem, à *No.* X - XIV. in Bibliotheca celeberrimi monaſterii *SS. Udalrici & Afræ, Auguſtæ.*

Hactenus de ROSEFFIO — Quoniam vero in iſta *Narratione* mentio *Bartholomæi* WAGNERI, itemque *Georgii* MYLII injecta fuit, a propoſito haud alienum arbitror, quædam de duobus iſtis Viris, per modum *Mantiſſæ*, ſubnectere.

I.

Bartholomæus WAGNERUS (a) *Civis Auguſtanus*, vel etiam unô verbô, *Auguſtanus* (uti ſe vocat in titulis librorum ſuorum) pôſtquam *Præceptorem* in *Urſper-*

(a) Memorat *Chriſt. Gottl.* IOECHER (nixus auctoritate *Io. Sam.* HEINE in Libro: *Beſchreibung von Rochliz*) quendam *Bartholomæum* WAGNERUM, Magiſtrum Philoſophiæ & Archi-Diaconum extraordinarium *Penicii*

Urſpergenſi Ordinis *Præmonſtratenſis* cænobio egerat, *Auguſtæ Hypodidaſcalus* in Schola ad *S. Martinum*, demum *Chori - Vicarius* in cathedrali Eccleſia factus eſt. Vir gloriæ divinæ & ſalutis animarum promovendæ ſtudiô accenſus non *Gregorii* duntaxat ROSEFFII, ſed etiam aliorum Concionatorum *Auguſtanorum* Conciones, ab ore dicentium exceptas, partim in ſcriptum redactas per Bibliothecas *Auguſtanas* reliquit; partim typis exarari juſſas vulgavit in publicum. Inſuper ſuô ingeniô quamplurima compoſuit emiſitque in lucem, *Homiletica*, *Meditationes*, *Aſcetica*, quæ in *Adverſariis meis* accuratè ab anno 1584. in annum 1627. ordine ſuo indicata ſervo, numero facile *quadraginta*: hôc autem loco fuſius exponere brevitatis cauſſa ſuperſedeo: tum etiam ne quorundam Criticorum, quæ ſacri ſunt argumenti, parvipendentium cenſuras in me provocem.

N 4 II.

cii (*Penick*) urbe *Miſniæ*, qui anno 1561. quod *Corpus doctrinæ Melanchtonis* acceptare nollet, juſſu Electoris *Auguſti* de munere ſuo amotus et e terris *Saxonicis* proſcriptus fuit. Tribuit eidem IOECHERUS *ſcripta polemica adverſus Ioannem* SCIURUM: *Conciones de Apoſtolis in totum annum*; ex iſto poſteriori Opere conjectans: eum ad *Romana* ſacra tranſiviſſe. Sed *Conciones* memoratæ certiſſimè *Noſtri* ſunt, cum in titulo earundem a me viſo ſe aperte *Auguſtanum* vocet. Attamen non auſim ex his duobus *Wagneris* unum eundemque facere: tum quod *Noſter* in nulla ſuarum *Lucubrationum* ejectionis ê *Saxonia* & tranſitûs ad avitam Religionem vel verbulo mentionem faciat; tum quod ſi quis id pertendat, admittere debeat: *Noſtrum* fere usque in annum centeſimum vitam protraxiſſe, et vel illa decrepita ætate ingeniô libris componendis parî fuiſſe; quod mihi haud credibile videtur. Habeat ergo *Bartholomæus* WAGNERUS, IOECHERO memoratus, ſua ſibi *Scripta adverſus* SCIURUM: *Noſter* ſuas itidem ſibi *Conciones de Apoſtolis*.

II.

Georgius MYLIUS, vero nomine *Miller*, fabri lignarii filius, *Auguſtæ* in lucem anno 1548. editus eſt: Vir eruditus, *græce* (*a*) impenſe doctus, ſed turbulentiſſimi ingenii homo. Poſitô in patria politiorum litterarum tyrociniô, in exteras ſcholas anno 1566. pergens, *Argentinam*, *Tubingam* (*b*), *Marpurgum* adjutus *ſtipendiis*, quæ indeptus fuerat, inviſit. In illis locis cum plurium annorum ſpatio *philoſophicis* & *theologicis* ſtudiis vacaviſſet, & *Magiſterii* honorem conſecutus eſſet, anno 1572. *Marpurgô* in patriam revocatus inter *Miniſtros Verbi* in æde *S. Crucis*, deinde & *S. Annæ* locum tenuit. Sic exacto ferme octennio Paſtor ad *S. Annæ* anno 1579. renunciatus, eodemque anno, denuo *Tubingam* abiens, ditioribus quibusdam civibus impenſas ſuppeditantibus abs *Iacobo* HEERBRANDO Doctoratûs theologici inſignibus 10. Calend. Decembr. exornatus eſt. Inde *Auguſtam* repetens, elapſis octo menſibus, *Superintendens Miniſterii* generalis, *Rector*que *Collegii evangelici*, ex collectis per opulentiores familias & civium domos pecuniis â ſe conditi, inſtitui commeruit. Verùm cum vehementis, nec pacis ſervandæ ſatis ſtudioſi ingenii eſſet, haud diu ei *Auguſtæ* degere licuit. Nam qùod tum Senatui acatholico jus *vocandi & nominandi Miniſtros* abjudicare auſus eſſet: tum & cæſareis & ſenatoriis Mandatis, de recipiendo *Calendario*

(*a*) Ita teſtatur *Nicodemus* FRISCLINUS in *Problemate Noſtri*, *Doctoratus* obtinendi gratiâ recitato. Ibidem *Noſter* â *latinæ*, *græcæ* & *hebraicæ* linguarum peritia, ab accuratiori *Philoſophicarum* aliarumque diſciplinarum cognitione prædicatur.

(*b*) Inter *Tubingenſis* Academiæ inſcriptos eum invenio ad annum 1567. apud CRUSIUM *Annal. Suev. Dod. III. p.* 729.

dario Gregoriano, acquieſcere renueret, anno 1584. die 4. Junii ex urbe proſcriptus eſt: quam tamen, à populo *Noſtri* ſtudioſiſſimo per graviſſimum tumultum, peſſimamque ſeditionem, quando eum *Prætor* educere e civitate parabat, è rheda extractus, primum poſtero: i. e. 5. Junii die, ipſe, mutato habitu clam purgavit. Fugæ adjutricem habuit Viduam *Georgii à* STETTEN, quæ illum in arcem filio ſubditam, *Boxberg*, tranſtulit, inde *Lavingam*, mox etiam *Ulmam* ſecedentem: ubi præcipuos patronos *Danielem* SCHADIUM *ſeniorem*, Prætorem urbis, & *Io. Rudolphum* EHINGERUM, Reipublicæ Advocatum, expertus eſt.

MYLIUM, patria extorrem, *Argentinenſes* ſibi, ſibi *Brunsvicenſes* petierant; ſed ſuum eſſe voluit Elector Saxoniæ *Auguſtus*, qui eundem anno 1585. menſe Junio Academiæ *Wittebergenſis* Profeſſorem, Cancellarium, & Præpoſitum templi Arcis creavit. Mortuo *Auguſto* ſuccedens, *Chriſtianus I. Librum Concordiæ*, tanquam *ſeminarium diſcordiæ* proſcripſerat: cuius placitis morem gerere cum recuſaret MYLIUS, Cancellarii munere & ſexcentis florenis, de annuo ſtipendio, privatus eſt.

Expetitus poſtea a *Vinarienſibus* & *Coburgenſibus* Ducibus relicta *Witteberga*, *Ienam* anno 1589. die 12. Februarii migrans, ibi primum inter Theologos locum, & poſtremò bienniò etiam *Paſtoris* ac *Superintendentis* munus occupavit. Per ea tempora exteræ Civitates ac Reſpublicæ, *Rigenſis*, *Regiomontana*, *Brunvicenſis*: Comitum item non pauci, *Solmenſis* cum primis & *Schwarzenburgicus*, ipſi adeo Principes *Coburgenſes Noſtri* opera certatim uſi ſunt. Hæc inter fatis ſupremis functo *Chriſtiano I.* Electoratûs *Saxonici* adminiſtrationem ſubit *Fridericus Wilhelmus*, à quo *Noſter* una cum

 aliis

aliis vocatus in *Wittenbergenſi* Eccleſiâ à *Crypto-Calviniſmo* purganda menſes quinque, octo dein alios in *Viſitatione Miſnica* inſumpſit: cumque *Huberus* quidam in Academia *Wittebergenſi* novas diſſidii flammas annis ſuperioribus excitaſſet, ad eas reſtinguendas MYLII opera commodiſſima viſa eſt. Hiſce rebus factum denique, ut, *Ægidio* HUNNIO diem ſuum obeunte, *Noſter* abs *Chriſtiano II.* Electore *Wittebergam* poſtliminio revocatus, ibi *Superintendentis* dignitatem anno 1603. menſe Octobri receperit: quâ etiam usque in annum 1607. menſemque Maium, quem fatalem habuit, perfunctus eſt.

Mortuo laudes dixere *Leonardus* HUTTERUS, & BALDUINUS. Quidam *Marcus* PRASINIPPEUS (Interpretor: GRUNREUTTER) *Centonem Virgilianum in eius obitum*, 1608. 4°. edidit. Vitam eius fuſius dedere *Melchior* ADAMI in *Vitis Theologorum*, *p.* 360. FREHERUS in *Theatro Erudit. p.* 343. ubi etiam *Noſtri Epitaphium* exhibet. His jungi poterunt *Leonard.* HUTTERUS in *Orat. de Mylio adverſus Ge. Pomerium Ieſuitam. Io. Georg* NEUMANNUS in *Orat. de Rebus geſtis Ge.* MYLII. DEUTSCHMANNUS in *Pyramide Wittebergenſi.* ZEUMERUS in *Vitis Profeſſorum Ienenſium.* ARNOLDUS in Libro: *Kirchen-und Ketzer Hiſtorie.* WITTE *in. Diario.* TRINIUS in Libro: *Geſchichte der Gottesgelehrten*, *T. I. p.* 425. 426. Liber *vernacule* ſcriptus: *Augſpurgiſches Miniſterium.* in 4to. *c. fig.* Liber: *Unſchuldige Nachrichten*, *T.* 27. 30. 37.

De turbis à *Noſtro Auguſtæ* excitatis verè edoceri quisquis cupit, adeat *Paulum à* STETTEN *ſeniorem* in *Hiſtorie der Stadt Augſpurg*, *T. I. p.* 665. *& ſeqq.* item *Hiſtoriam Soc. Ieſu Provinc. German. ſuperior. P. I. p.* 169. *& ſeqq. p.* 270. *& ſeqq.* De turbulento *Noſtri* ingenio Auctor *Muſæi Mazzuchelliani*, exhibens

bens Numiſma, quod ex una parte MYLIUM cum Epigraphe: *M. Georgius Mylius a. æ.* 51. ex altera *Bartholomaum* ROSINUM cum Epigraphe: *M. Bartholomæus Roſinus a. æ.* 58. refert, ſubdit: *Fù egli* (Roſinus) *per aventura Maeſtro del Milio, che da eſſo, oltre la dottrina, lo ſpirito ereditò di ſedizione altresì: per loche io ſono d' aviſo, che quivi foſſero inſieme collocati.* De eadem re teſtimonium perhibent Aulæ *Bavarica* & *Cæſarea*, à quibus *Noſter, fax et auctor turbatæ Reipublicæ Auguſtanæ*, vocatus eſt. Teſtatur item *Decretum Senatûs* Auguſtani, quo *Noſter* proſcriptus eſt, his ferme verbis conceptum: *In ea quidem ſpe Senatum Auguſtanum fuiſſe, fore, ut Müllerus, utpote ante annos ad Superintendentis munus vocatus, et locupletiori præ ſuis deceſſoribus penſione ornatus, tantorum beneficiorum memor eſſet, ſtuderetque inprimis paci ac tranquillitati in Republica conſervandis. Verùm Senatum hunc ipſum comperiſſe, eum longe alia facere; Senatûs auctoritatem apud auditores ſuos elevare; apud cives ſuſpectos reddere Primates; non ſolum non coarguiſſe cives Senatui inſultantes, ſed eos etiam magis incitaſſe; impudenter in Epiſtola ad Colonienſem civitatem directa pronuntiaſſe, penes cives eſſe jus conſtituendi et abrogandi Senatum; Collegis ſuis auctorem fuiſſe, ut Calendarium novum non reciperent, et nuperrime cohortatum fuiſſe, ut contra Senatûs-Conſultum diem Aſcenſionis, ad normam veteris Calendarii celebrandum, denuntiarent: quibus rebus omnibus cum animum ſuum erga Senatum alieniſſimum prodidiſſet, ſtatim e civitate migrandum ſibi ſciat &c.* Teſtatur item *Io. Ulr.* RUMLERUS (*c*) ſyn-

(*c*) V. *Car.* STENGELIUM in *Comment. Rer. Auguſt.* p. 315. qui perappoſite in hanc rem ſequentia ſcripſit l. c.

ſynchronus, ſcribens: *Superintendentem habemus ſueviloquum, Theologiæ Doctorem, in quem omnium* (ſymmiſtarum) *confidunt oculi: ad cuius quoque nutum & aiunt & negant, tantùm ut offam ſervent. Is omnium harum turbarum auctor eſt; at vindicem olim experietur eum, qui ſupra nos eſt.* Hæc de turbis à *Noſtro Auguſtæ* concitatis. Iam de *Scriptis* eiusdem.

Edidit *Noſter* quamplurima, maximam partem *theologica, polemica, exegetica, homiletica*, quæ ADAMI, & FREHERUS *ll. cc.* enumerant; ſed his addi debent WOLFII *Supellex Epiſtolaris. Catalogus Bibliothecæ Spizelianæ, pag. ultima n°.* 202. ubi eius anecdota memorantur. HENDREICH *Pandectæ Brandenburg. p.* 331. *Chriſt. Gottl.* JOECHER in *Gelehrten - Lexicon. Catalogus Biblioth. Bunavian.* CLESSII *Elenchus conſummatiſſimus Libror. unius ſæculi.* LIPENIUS in *Bibliotheca philoſophica* & *theologica*, etſi cautius adhibendis, quod minus accuratæ ſint. Iudicia Virorum doctorum de aliquibus *Noſtri* ſcriptis habes in *Io. Chriſtoph.* WENDLERI *Diſſert. II. de Merit. Reip. Auguſt. &c. p.* 25.

Præ aliis MYLII Scriptis obſervatu illud dignum eſt, quod de turbis in urbe *Auguſta* vulgavit hoc titulo: *Augſpurgiſche Händel, ſo ſich daſelbſt wegen der Religion, und ſonderlich jüngſt vor* 2. *Iahren im währenden Calenderſtreit mit Georg Millern &c. zugetragen.* in 4$^{to.}$ *Witteberg.* 1586. Huic *calumnioſo* Scripto *Apologiam* Senatus *Auguſtanus*

l. c. p. 314. *Eodem anno* (1582) *Gregorius XIII. P. M. anni tropici quantitatem . . . correxit. . . . Hunc modum et rationem anni Itali, Hiſpani, Galli, Poloni aliæque nationes catholicæ mox gratanter receperunt. At Calviniani Germanique Proteſtantes id facere noluerunt: non tam quod ratio juſta non eſſet, ſed quod à Romano Pontifice proficiſceretur.*

ſtanus per *Georgium* TRADELIUM (*d*) ICtum oppoſuit, de qua videri poterit *Paulus à* STETTEN *ſenior l. c. pag.* 697. Sed & hanc novo auſu novóque ſcripto convellere molitus eſt MYLIUS, quod tamen foras haud prodiit, ſed inter *Acta Academiæ Wittebergenſis* ſervatur.

(*d*) Hunc debitis laudibus prædicavi in *Alphabeto III. Bibliothecæ* meæ.

SELDIUS (*Georg. Sigiſmundus*)

Georgius Sigiſmundus SELDIUS inſigne urbis patriæ decus exſtitit, eo majori laude dignus; quod a tenuibus initiis ad ſumma evaſit, miram nominis claritatem non natalium ſplendore, aut divitiarum copia opitulante, ſed ſuis duntaxat meritis, induſtria atque eruditione adminiculante conſecutus.

Natus is eſt *Auguſtæ* die viceſima prima *Ianuarii* (*a*) e celebri familia, patre *Georgio*, aurifice (*b*), non argentariæ ſolum artis, ſed etiam Geometriæ et Mathematicarum diſciplinarum peritiſſimo, tunc quadrigamo & ſexagenario: matre vero *Priſca Schallerina*, honeſtiſſimæ familiæ fæmina, ſed adhucdum fere puella, quæ poſt mariti obitum cuidam *Hegemillero* ſecundis juncta nuptiis, *Ioannem* HEGEMILLERUM, aliter *Hagenmillerum* fratrem *Noſtri* uterinum, orbi dedit, quem ad annum 1552. *Annales Academiæ Ingolſtadianæ*, *T. I. p.* 225. inter novos alumnos ſuos adnumerant: Is labentibus annis *Juris utriusque Doctor* renuntiatus, aliquamdiu

(*a*) De anno nativitatis SELDII variant Auctores. PANTALEO, CRUSIUS, ADAMI ponunt annum 1516. SCHARDIUS in *Scriptor. Rer. German. T. IV. p.* 42. & quibus hunc ſequi placuit, annum 1521. ſtatuunt

(*b*) Ita monet CRUSIUS in *Annal. Suevic. Dod. III. p.* 347. Adde *Pauli à* STETTEN *Kunſt - Gewerb - und Handwerks - Geſchichte von Augſpurg*, *T. II. p.* 15.

diu Iudicii *Cameræ Imperialis Adſeſſor* fuit. Nuptias anno 1563. die 1. Maii cum *Catharina*, ex inclyta *Velſerorum* familia, *Auguſtæ* teſte *Mart.* CRUSIO in *Annal. Suevic. Dod. III. p* 720. celebravit. Fuit primum *Bavaricus*, dein *Cæſareus* Conſiliarius; denique à *Rudolpho II.* Imperatore ad *Cancellarii* dignitatem (*c*) evectus eſt. — Sed ad SELDIUM redeo —

Vixit eo ferme tempore *Auguſtæ* Vir eruditiſſimus *Ioannes* PINICIANUS, juventutis liberalium artium præceptis imbuendæ ſtudioſiſſimus (*d*). Ab hoc celebri Grammatico inſtitutus *Noſter*, poſtquam *Raymundo* FUGGERO, incomparabili bonarum artium Mecænati, innotuit, una cum illius filiis in Academiam *Ingolſtadienſem* (*) miſſus eſt: cuius Annales ad annum 1531. *Noſtri* mentionem faciunt his verbis: *Inter Inſcriptos erant ... quartus*, *Georgius* SELDIUS *clariſſimus poſtea Juriſconſultus*, *ac demum Imperatoris Ferdinandi Vice-Cancellarius.* Ibi annis non omnino duobus manſit; nam, quod plane præcocis ingenii eſſet, *Nicolao* EVERHARDO (*e*) celeberrimo in memorata Univerſitate Juris Profeſſori mature ad *Legum* nobile ſtudium adhibendus videbatur. Quare, cum laudati *Raymundi* FUGGERI Liberos, in *Italiam* pro optimarum

(*c*) Confer PANTALEONEM, & ADAMI.

(*d*) Huius laudes perſcripſi in *Alphabeto I.* præſentis *Bibliothecæ*, *p.* 139. *ſeqq.*

(*) PANTALEO ait: hoc *anno ætatis* Noſtri forte undecimo factum eſſe. At ſi anno 1516. in lucem editus fuit, ut idem PANTALEO tradidit: & annô 1531. *Ingolſtadium* venit, de quo *Annalium Ingolſtadienſis Academiæ* auctoritas dubitare nos vetat, *Noſter* non *undecim*, ſed *quindecim annorum fuit.*

(*e*) Multa in laudem huius doctiſſimi Viri congeſta habes in *Annal. Acad. Ingolſtad. T. I.*

rum artium ſubſidiis parandis proficiſcentes, rurſus comitandi licentiam feliciter obtinuiſſet, ita in ea regione ad *Juris* ſtudium inter reliqua (nam et *Hiſtoriæ* ſummo opere & *Mathematicis* & *Græcæ* linguæ, omnibusque ingenuis artibus et diſciplinis unice addictus erat) incubuit, ut vir maximus, atque orbis et ſæculi ſui ſingulare columen quoddam evaſerit.

Igitur, poſtquam brevi tempore *Bononiæ Romulum* AMUSÆUM audivit, in *Patavinum* veniens Gymnaſium *Lazari* BONAMICI diu diſcipulus fuit; uti contra *Melch.* ADAMUM, rem plane inverſim narrantem, nos docet, in hoc omni fide dignus, *Nicolaus* PAPADOPOLIUS: qui ipſe *Noſtrum* jure meritiſſimo inter claros eius Gymnaſii cives connumerans, juſtô (ut in Viris ex iſto ſcientiarum emporio ad magnam nominis claritatem profectis aſſolet) encomiô mactare non intermiſit in *Hiſtor. Gymnaſ. Patav. T. II. L. I. c. XIX.*

Abſoluto in *Italia* biennio, *Gallias* anno 1536. petiit, cum iisdem FUGGERI filiis litteris ulterius exornandus, ac *Biturigibus* tantundem temporis in ſtudiis ſumma cum diligentia conſumpſit. Iam tum *Noſter*, ferri ſe maxime ad ſcientiam politicam laborésque pragmaticos, haud dubio prodidit indicio; dum annô 1537. *Diſſertationem de Legatis* latino ſermone conſcripſit; quam *Viglio* ZUICHEMO *ab Aytta* (*f*) Viro et doctrinæ, & negotiorum publicorum, & dignitatum geſtarum laudibus celeberrimo, mittens, hoc reſponſi accipere meruit:

Ita me affecit, Seldi ornatiſſime! tuus iſte de Legatis Commentariolus, ut lectione eius ſatiari non potuerim. I, bone, quo virtus tua te vocat, i pede fauſto,

(*f*) V. PAPPENDRECHT *Analecta Belgica T. II. P. I.*

ſto, grandia laturus meritorum præmia. Nam quid aliud tibi, meum de ipſo judicium requirenti, potius reſpondeam? Cum præſens iſtud ſtudiorum tuorum ſpecimen ita mihi omnibus numeris placuerit, ut te etiam, quo ſimilia multa in poſterum elabores, cohortandum duxerim: quando tuâ etiam iſtâ exactâ curâ ita hoc opus abſolutum ſit, ut quod in melius mutare vel corrigere poſſim, nihil abs te relictum invenerim. Quid igitur, Seldi ornatiſſime! cum me magno abs te beneficio affectum cognoſcam, qui egregias iſtas ſtudiorum tuorum primitias mihi impertiveris, quid, inquam, iſta tua proepiplexi opus erat? Inter iſtas ſane moleſtas fori judiciique occupationes, quo ipſarum faſtidium levarem, obvenire mihi nihil gratius potuit. Gratulor vero Hageri (*) *noſtri manibus, qui, te tali ſuperſtite diſcipulo, feliciores mihi eſſe videntur. Nec ſcio, an te magis illo præceptore, an ille te diſcipulo, gaudere debuerit. Amicitiæ vero eius, quæ mihi cum illo interceſſit, non minimus fructus eſſe videtur tua erga me affectio: cui ſi viciſſim unquam reſpondere potero, ſenties, non te falſum omnino tua opinione, quam de me tibi feciſti. Cum vero jam inſtet id tempus, ut tibi ex ſcholis in forum propediem progrediendum ſit, tu ipſe cogita, ſi quid erit, in quo mea opera conſiliumve tibi prodeſſe queat.* FUGGERORUM *vero interea erga te favorem quacumque occaſione auctiorem facere non deſino. Vale 21. Septembris.* 1537.

Relicta *Gallia Noſter* denuo in *Italiam* ſe contulit, ubi clariſſimis Jureconſultis, quibus & *Ma-ria-*

(*) HAGERUS fuit Juris conſultus, & duorum FUGGERORUM (*Georgii* & *Ioannis Iacobi*) Præceptor, quo familiariter uſus *Viglius* ZUICHEMIS, & ad quem prolixiſſimam dedit Epiſtolam ſuper quadam Juris ſubtilitate. V. PAPPENDRECHT &c.

vianum SOCINUM adjunxit, evolvendis indefeſſam operam dedit: nec antequam alterum rurſus biennium ſtudiis conſumpſiſſet, doctorea laurea voluit ornari. Ornatus eſt autem illa in *Patavina Academia* (g).

Hac ratione factum, ut, cum excellenti ingegenio præditus eſſet, patrium repetens ſolum *prudentiam ætate maiorem*, *doctrinæ variæ & admirabilis copiam*, *linguarum plurimarum*, quibus etiam *Hiſpanicam* ſucceſſu temporis inter *Hiſpanos* in aula eleganter addiderat, *ſcientiam*, *omnis antiquitatis & Hiſtoriarum peritiam*, *denique eximiæ eloquentiæ facultatem*, *plurimaque virtutum ornamenta* ſecum attulerit (*h*).

In *Germaniam* reverſus nil prius habuit, quam ut theoriæ praxin adjungeret, partaque ſcientiarum præſidia per ipſam rerum experientiam magis excolens perpoliensque, ſeſe hoc modo ad promovendas Reipublicæ utilitates aptiorem efficeret. Quare *Spiram* ſe contulit, ſummo ſtudio, quæ in illo *Cameræ Imperialis* Iudicio uſitata ac neceſſaria eſſent, obſervaturus, & in illo auguſto dicaſterio *Cauſſarum Patronum*, aut (ſi mavis) *Advocatum* acturus (*i*) PAPADOPOLIUS etiam *Iudicem Cauſarum* ibi agitatarum facit, cui ſuccinit JOECHERN in *Gelehrten - Lexicon*; quibus an fidem adjungere debeam, neſcio?

Inde, dignis ab *Antonio* FUGGERO (ut Gentem hanc illuſtriſſimam, ſibi jam diu propitiam, expertus fuerat) encomiis *Henrico* ex *Comitibus Palatinis Rheni*, Epiſcopo *Friſingenſi* commendatus, ſtatim

(g) PAPADOPOLI in *Hiſtor Gymnaſ. Patav. T. II.*
(h) SCHARDIUS & ADAMI *ll. cc.*
(i) PANTALEO *l. c.*

tim in eius conſilium adſcitus eſt. Apud hunc cum magis magisque inclareſceret, reliquis *Bavariæ* Ducibus charus eſſe cœpit, & mox etiam a *Ludovico Bavariæ* Duce *Landishuti* Conſiliarius eſt renunciatus; qui idem Princeps Cancellarii ſui *Thomæ* RUDOLPHI, e celebri olim familia *Auguſtana* oriundi, filiam *Noſtro* deſponſavit (*k*); unde eius & facultates & exiſtimatio incrementi multum accepit.

Cum autem meritorum *Noſtri* fama latius indies latiusque diffunderetur, *Carolus V.* magnorum ingeniorum ſollertiſſimus æſtimator, Viri claritate commotus eum ſibi *a conſiliis* eſſe voluit. Unde SELDIUS, impetrata à *Bavariæ* Duce venia, Imperatoris ſervitiis anno 1546. ſeſe mancipavit, eiúsque gratiam tantam ſibi conciliavit, ut ex illo tempore in omnibus Imperii negotiis, opera et conſilio regundis, partem magnam habuerit. Ipſe cum Cæſare fuit, quando is Saxoniam ingreſſus, fœderatorum Principum exercitu apud *Mühlbergam* profligato, adverſus Electorem *Ioannem Fridericum*, quem captivum fecerat, mortis ſententiam dixit. Ipſe Cæſaris nomine peroravit, quando Landgravius *Haſſiæ Philippus* in captivitatem Cæſaris ſeſe dedidit. Tantam autem *Noſter* tum in his, tum aliis negotiis dexteritatem fidemque oſtendit, ut in gratiam *Caroli* ſeſe altius altiusque inſinuârit. Quare factum, ut *Ioanne* NAVIO, dum *Auguſtam* petit, indictis eò Comitiis interfuturus, repentina morte ſub initia anni 1547. ſublato, *Noſter* in defuncti locum ad imperialis *Vice - Cancellarii* dignitatem ab Imperatore promoveretur: maximis Imperii

(*k*) Idem, & *Paul.* á STETTEN *junior* in Libro: *Lebensbeſchreibungen zur Erweckung bürgerlicher Tugend. T. II. p.* 258.

perii rebus poſtea præficiendus (*l*). Hinc SELDIUS probe ſentiens, munus ſibi impoſitum (illis præſertim bellorum, diſcordiarum & tumultuum plenis temporibus) immenſæ molis eſſe, duos laterum ſocios ſibi & petiit & obtinuit abs Cæſare, videlicet *Ioannem* MARQUARTUM & *Henricum* HASIUM Doctores.

In iſta autem functione SELDIUS *Germaniæ* proceribus, plerisque Imperii Principibus atque maximis chriſtiani orbis Regibus, ob ſummam animi moderationem, judicii integritatem, patriæ amorem, admodum charus; et ſumme ſemper adamatus fuit. Nobilitas etiam *Germanica*, et ampliſſimus Literatorum ordo, eum in actionibus quibuscunque ſolum ferè obſervabant: et in eum graviſſimis et periculoſiſſimis temporibus ingruentibus, tanquam ad certum portum, quo confugerent; tanquam lumen, à quo illuſtrarentur; tanquam ſacram anchoram, qua quiete fruerentur, animum intendebant. Nec enim quenquam ſine ſalutari conſilio dimiſit; neminem afflictum non eſt conſolatus; adeo ut neminem quenquam ei infenſum fuiſſe, auditum ſit unquam: neminem etiam gravius odiſſe viſus eſt ipſe; nedum, ut unquam alicui mortalium ullo verbo detraxerit, inviderit, laceſſiveritque; ut ſumma ſemper in eo vitæ integritas, incredibilis prudentia, indefeſſus labor, ſtudium admirandum, iſti tam ſacro officio convenientiſſimè reſponderint (*m*).

Dum igitur eius operâ *Carolus* Imperator utitur; multis equidem laboribus res maximæ in univerſo

(*l*) PANTALEO *l. c.* ait, ſed male, ut videtur: *Noſtrum* primùm anno 1550. *Pro-Cancellarium* fuiſſe declaratum. Confer ADAMI *Vitas ICtorum. p.* 24.

(*m*) Ita verbotenus PANTALEO *l. c.*

Imperio inciderunt per decennium totum. Agebatur annus 1548. quo celeberrima *Auguſtæ* Comitia â *Carolo V.* acta ſunt. In his SELDIUS duo graviſſima negotia adminiſtravit. *Primo* in id laboris & ſtudii plurimum collocavit, ut Libellus ſeu Formula INTERIM in *Imperio* reciperetur & in uſum deduceretur. Fuſius hæc, præcipue quod ad Rempublicam *Auguſtanam* ſpectat, perſcripta habes in *Pauli â* STETTEN *ſenioris Chronica Auguſtana* vernaculè ſcripta, *T. I. p.* 421. & in *Pauli â* STETTEN *junioris* Libro: *Lebensbeſchreibungen zur Erweckung bürgerlicher Tugend*, *T. II. p.* 262. quos, ſi vis, conſules. *Alterum*, in quo SELDIUS deſudavit, negotium eò pertinuit, ut *Regimine tribunitio*, quod *Auguſtæ* per II. fere ſæcula viguit, ſublatô rerum ſumma maximè ad Optimates Patritiasque Gentes transferretur. Etenim *Carolus* Imperator, *Tribubus* quod *Smalcadico* fæderi acceſſiſſent, iratus, tum ob hoc, tum ob alia plura, quæ præter ordinem geſta fuerant, Reformationem hanc plane neceſſariam eſſe cenſebat. Labores autem in ea â *Noſtro* inſumptos reique geſtæ ſeriem accurate cognoſcere quisquis avet, adeat mox allegatos *Paulos a* STETTEN, & *Davidem* LANGENMANTELIUM in opere: *Hiſtorie des Regiments zu Augſpurg*. Ego, brevitatem ſectans, ſtrictim hæc narraſſe ſatis duco.

Nimirum eâ apud *Carolum*, dum is Imperii habenas rexit, gratiâ SELDIUS valuit noſter, ut Imperator ad conſtituendas orbis chriſtiani rationes plurimùm eum adhiberet; de rebus maximis conſilia cum eo quam ſæpiſſime conferret: labores in ſeram usque noctem cum eo partiretur; eumque in itineribus, quæ per late diffuſa regna creberrime obibat, ſecum usque duceret. Haud longo

go poſt tempore, quam Comitia *Auguſtana* finem acceperant, *Noſter* ad res *Cameræ imperialis* recognoſcendas à *Carolo* delegatus eſt; ſubin & mandatum accepit, ut unicum filium eius *Philippum*, ex *Hiſpania* venientem, per *Italiam* et *Germaniam* comitando, in *Belgium* deduceret, eam regionem in fidem ac clientelam recepturum: quod etiam pompâ ſolenniſſimâ factum. Tum id quoque in animo verſabat *Carolus*, ut eundem filium ſuum Imperio *Germanico* præficeret. Quod qua ratione effectum dari poſſet, poſtquam deliberaverat Cæſar, negotii perficiundi cura SELDIO demandata eſt: cuius tamen induſtriæ eventus non reſpondit, Principibus *Germaniæ* fratrem Cæſaris *Ferdinandum*, qui jam *Rex Romanorum* renunciatus fuerat, filio Cæſaris *Philippo* præferentibus; quod huius duram ac ſeveram, ut aliqui volunt, indolem averſarentur: illius contra in placido lenique ingenio multum ſpei reponerent (*n*).

Circa idem tempus SELDIUS in eo verſatus eſt feliciori plane conatu, ut Duces *Würtembergiæ*, *Ulricum* et *Chriſtophorum* in ditionem paternam: Comitem autem *Montis - Belligradi* (*Montbelliard*, *Mümpelgard*) *Georgium* in Cæſaris gratiam reduceret.

Interfuit deinde *Noſter* Comitiis Imperii *Auguſtæ* anno 1550. celebratis, una cum aliis à *Carolo* delegatus, ut inquirerent, utrum Libello INTERIM vigor ſuus debitaque obſervantia eſſet. Sed parum iſta profuerunt; quandoquidem *Mauritius* Dux *Saxoniæ*, priùs Cæſari fœdere junctus, annô 1552. ex improviſo bellum in *Proteſtantium* gratiam moliens, facta in *Tyrolin* irruptione, Cæſarem *Oenipонte* morantem, & SELDIUM cum illo de dimittendo ê cuſtodia *Ioanne Friderico Saxonico* (Huic

O 3 vitæ

(*n*) PANTALEO, ADAMI, *Paulus à* STETTEN *junior*, *ll. cc.*

vitæ veniam *Carolus* fecerat) agentem in fuga ſalutem quærere coegit. Profugum & ſollicitudinibus onuſtum Cæſarem SELDIUS, fidus per omnia comes, conſiliis juvare non deſtitit, multusque in eo fuit, ut *Paſſavienſis Tractatio* conficeretur. Sic bello finito cum Cæſare *Auguſtam* venit, cæſareâque auctoritate *Regimen tribunitium*, a *Mauritio Saxone* rurſus introductum, una cum *Hugone* Comite de *Monteforti* (*Montfort*) & *D. Haſio* condelegatis, altera intra parvum tempus vice abolevit. De Libello INTERIM nulla quæſtio habita (*o*).

Triennio poſt acta denuo *Auguſtæ* Comitia & *Pax* (ùt vocant) *Religionis* conſtituta anno 1555. in qua *Noſter* partem non exiguam habuit, utut abſens, & apud *Carolum*, qui poſt expeditionem bellicam contra *Gallorum* Regem infelici ſucceſſu ſuſceptam, in *Belgium* ſeceſſerat, manens. Ex eo tempore vix dum biennium abierat, cum rurſus *Noſter* ad publicum Imperii negotium adhibitus, & ad *Colloquium Religionis* anno 1557. *Wormatiæ* â *Carolo* Imperatore & *Ferdinando* Cæſare indictum (cùm *Ferdinandus* eidem, utut vellet, intereſſe non poſſet) una cum *Iulio* PFLUGIO epiſcopo *Naumburgenſi*, quà Commiſſarius & Iudex, ire juſſus eſt: ubi doctiſſimis quibusque, etiam adverſæ partis, valde fuit acceptus; id quod ex *Carmine latino in diſceſſum Seldii*, in MELANCHTONIS *Conſiliis latinis*, *T. II. p.* 314. extante, & fors ipſum MELANCHTONEM parentem habente luculenter patet. Dolendum de reliquo magnopere, etiam hoc *Colloquium*, pervicacia adverſariorum optima quæque eludente, optato eventu caruiſſe (*p*).

Hæc

(*o*) *Paulus* à STETTEN *ſenior*, item *junior ll. cc.*
(*p*) PANTALEO & *Paulus* à STETTEN *junior ll. cc.*

Hæc inter Carolus V. publicorum negotiorum affici tædiô: faſtidire regna, Imperium; vitam quietam et curarum immunem anhelare. Eo fine *Belgium* et *Hiſpaniarum* regnum in filium *Philippum* transtulerat: negotia Imperii, abſens utplurimum, fratri *Ferdinando* tradiderat, permiſeratque regenda. Reſtabat Imperium, cæſareáque poteſtas. Quare ſecunda vice per SELDIUM tentat, ſi *Philippum* filium in imperiale ſolium evehere poſſet; qua in occaſione etſi *Noſter* Imperii Ordinibus *Philippum*, cuius inter *Conſiliarios* adſcribi meruerat, longe alium, quàm vulgo habebatur, ſive ex vero, ſive nimio Cæſari obſequendi ſtudio depinxiſſet, tamen negotium exitum minime habuit. Sic altero quoque conatu in irritum cadente *Carolus Principem Aurangiæ* (*Orange*) & *Noſtrum* ad Electores, pro *Imperii* reſignatione (ut conſueto vocabulo utar) offerenda ablegavit. Ea res in Principum Germaniæ Conventu *Ratisbonenſi* anno 1557. cæpta: in *Francofurtenſi* ſequentis anni 1558. peracta eſt.

Hac ratione *Carolus* auguſtarum curarum omnium mole levatus vitam privatam, quam ambiverat, tranquillè duxit. SELDIUS à *Procancellariatûs* (Hunc *Ferdinandus*, fratri ſuccedens, ſuo ad id temporis Cancellario, Doctori *Ionæ*, concrediderat) dignitate, at illà paulo poſt reſumenda: minime tamen auctoritate, quam per Germanicum *Imperium* ſibi pepererat, excidit; namque eo ipſo anno 1558. cum *Ferdinandum* inter, & *Paulum IV.* de aſſumpto *Imperio* controverſia haud levis orta eſſet, *Noſter* ſcribendi contra Papam *Tractatus politici* mandatum à *Ferdinando* accepit: de quo inferius pluribus dicetur. Imo mox ſequenti anno 1559. ab eodem *Ferdinando*, qui Cancellarium ſuum, nominatum D. *Ionam*, morte ſibi hoc anno raptum

amiſerat, *Procancellariatum* denuo capeſſere juſſus eſt. In quo munere ita *Ferdinando*, ut antea *Carolo*, ſe probavit: tantamque novi Cæſaris fiduciam dexteritate ac fide ſua ſibi paravit, ut maximis rurſus negotiis adminiſtrandis præfectus fuerit: ut quorum cauſſæ in aula agitabantur, proſperum earundem exitum maxime SELDII patrocinio ſe conſecuturos confiderent. Ea ſpe *Otho* TRUCHSESSIUS Cardinalis & Epiſcopus *Auguſtanus* e: g: *Noſtro Iacobi* MALESPINÆ, *Aquilæ* & *Viani* Marchionis, oppidorum, quibus præerat, clientelam ſibi confirmari â *Ferdinando* petentis negotium, *Epiſtola* 156c. 10. Kal. Decembr. *Romæ* data, vehementer commendavit; uti habes in *Iul.* POGIANI *Epiſt. T. II. p.* 161.

Vixit *Noſter* tum maxime in *Auſtria* & in aula, in qua iterum immenſos labores exantlavit, in *ſecretum*, in *curiatum*, in *camerale*, in *ungaricum* conſilium adhibitus: Imperatorem peregre, & ad Comitia *Imperii* proficiſcentem ubique comitatus. Sic cum ipſo fuit, quando Senatus populusque *Auguſtanus*, annô 1559. homagium Cæſari dixerunt. Sic cum ipſo fuit, quando Comitia Imperii *Francofurti* anno 1562. celebravit: in quibus *Maximilianus*, filius eius, & electus & inauguratus eſt *Rex Romanorum*. Atque ex hoc ipſo negotio plurimum laudis *Noſtro* debetur. Ipſe namque arduo iſti operi in aulis Electorum, *Saxonici* præſertim, adjuvante D. KRAMMIO Legato eiusdem aulæ, initium: ipſe eidem in ſolenni Legatione, *Dreſdæ* una cum ſupremo regni *Bohemiæ* Cancellario D. *Ioachimo de* NEUHAUS obita, progreſſum: ipſe denique *Francofurti* (ut paulo ante dictum) finem, quem *Ferdinandus* in votis unice habuit, feliciſſimum dedit, conſcripta (ut moris eſt) *Capitulatione*. quæ

Roma-

Romanorum Imperatoris ac Regis, deinde & Electorum imperii ſuffragia cuncta tulit (q). Sic cum *Ferdinando* fuit, quando is *Oeniponte Ioann. Franciſc.* COMMENDONUM, *Præſidum Tridentini Concilii* nomine Legatum, ad colloquium admiſit, de quo vide *Iul* POGIANI *Epiſt. T. III. p.* 242. ubi etiam obſervantiæ SELDII erga Sedem Romanam documenta, et quantopere is morum Reformationem optârit, percipies p 242. 243. 245.

Iam vero et SELDIUS, etſi vir infra conſiſtentem ætatem eſſet, non annis quidem, at laboribus ſeneſcens, vitæ pertæſus publicæ, ex illa orbis luce, in qua hactenus cum laude maxima verſatus fuerat, ſeſe in tranquillum ſubducere portum. ſibique vivere, animo deſtinârat. Quare multis precibus apud *Ferdinandum* Imperatorem contendit, ut â *Procancellariatûs* officio decedendi ſibi licentia daretur: quæ etiam ei, agente Principis gratiâ, ad diem 20. *Maii* anni 1563. definita fuit. At ſubin, aggraveſcentibus Cæſaris negotiis detentus, in aula remanſit usque ad finem menſis *Iunii* anni ſequentis 1564. quo cum uxore (caruit enim Liberis) in *Bavariam*, ad arces ſuas, et libros, quos non uno in loco habuit plurimos, reverſus eſt, ut paulatim ſibi quietem, et litterarium, diu optatum, otium pararet. Ibi tum reficiens arcem *Neuhoven*, ab *Alberto Bavariæ* Duce ſibi donatam, ſtatuit in poſterum *Lucubrationes*, quas eruditiſſimas reliquit, in *eadem*, et *Monachii* perpolire atque exornare.

Sed interea *Viennæ* obit *Ferdinandus* Imperator; qui, paucis diebus, ante mortem, eius præſentiam ſummo deſiderio exoptârat Hunc enim identidem ad ſe vocans, non aliter, quam *Pater Seld!* ſolitus fuit appellare: id quod et â *Maxi-*

O c *milia-*

(q) PANTALEO & *Paulus â* STETTEN *junior ll. cc.*

miliano Cæſare, et *Alberto Bavariæ* Duce (qui Principum erat in eum affectus) fertur factum. Verum SELDIUS tunc locorum intervallo non exiguo disjunctus, minime potuit accerſiri.

Ocium ergo jam SELDIUS ſperans, apud *Maximilianum II.* patri in imperio ſuffectum, qui denuo evocârat, ſollicite ivit ſe excuſatum; ſed per litteras admonitionibus *Philippi Hiſpaniarum* Regis et *Alberti Bavariæ* Ducis, evictus, redit in *Auſtriam:* iterumque, non quidem ùt Vice-Cancellarius, attamen ut primorum Conſiliariorum unus, graviſſimis rebus Imperii et aliorum regnorum, fideliſſimis conſultationibus, inſtar certi oraculi, adhibetur (*r*). Eo tempore inter alia â *Maximiliano II.* cum *D.* GUGLERO *Norimbergenſi*, & Cancellario *Landishutano* deputatus fuit, ut varias controverſias Senatum patriæ urbis *Auguſtæ* inter, & *Othonem* Epiſcopum Capitulúmque cathedralis Eccleſiæ exortas amica compoſitione finiret; quod negotium etſi haud ſucceſſerit, tamen operam, â SELDIO in eo collocatam, 600. florenis aureis renumerandam Senatus cenſuit. (*s*).

Sic dum in aula conſumit menſes circiter ſex; et jam plurima recte conſtituenda procurat; et in majori, quam unquam antea honore eſt; ut qui à tertio iſto incredibiliter amaretur Imperatore; anno poſt Chriſti nativitatem *milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto*, die *viceſima ſexta Maii*, cum eſſet extra urbem *Viennenſem* in quoddam prædium ad *Maximilianum* Imperatorem evocatus, in reditu eodem die, infelici admodum fato, ex citatorum equorum curſu, cum ruituri currûs inevitabile periculum impenderet, prius deprompto ex manica pre-

(*r*) PANTALEO *l. c.*
(*s*) *Paulus â* STETTEN *ſenior l. c.*

precationum libello, animum ad Deum convertit, ac cum collega *Ioanne Henrico* ZASIO, magni ZASII filio, Cæſareo *Vicecancellario*, è curru deſiliit; et illiſis ad ſaxum quoddam temporibus, eadem adhuc hora exſpiravit. Mors eius tam inexſpectata, tam luctuoſa, quam plurimis hominibus ſummum attulit dolorem; longe maximum vero ipſi *Maximiliano* Auguſto; qui ſe vitam *Noſtri* (ſi fieri poſſet) facile ducentis florenorum millibus redempturum proteſtatus eſt, ſtatimque eius caput ex convenienti materia plaſtice fundi præcepit, ut eius vera effigies in *Epitaphio* à ſe conficiendo poſteritati ſervaretur: quod an factum ſit poſtea, eſt, cur dubitem; cum *Epitaphium*, mox â me afferendum, abs hæredibus *Noſtri* poſitum fuiſſe, apertis verbis moneamur. ZASIUS eodem curru vectus, periculoſe quidem et ipſe cecidit, ſed Dei beneficio ſervatus eſt, ut haberet Reſpublica, cuius ſucceſſione SELDII, Viri optimi ac doctiſſimi, deſiderium leniretur (*t*).

Corpus *Noſtri Viennam* advectum, & ingenti confluentis populi multitudine, qualem in Principum exſequiis vix videas, ſtipatum in Eccleſia *PP. Ordinis Minorum* tumulô conditum fuit; quò etiam corpus uxoris eius, poſt trimeſtre maritum moriendo ſecutæ, illatum eſt, addita hac *Epigraphe* (*v*).

D. O. M.

(*t*) PANTALEO & ADAMI Triſtem *Noſtri* interitum paulo ſuſius deſcribit *Paulus á* STETTEN *junior.*, *l. c.* quem (ſi lubet) conſules.

(*v* Exhibet illud ſæpius â me citatus Perilluſtris *Paulus á* STETTEN *junior l. c.* abs *Michaele* DENYS ſibi communicatum: qui idem clariſſimus Auctor in Libro: *Wiens Buchdrucker - Geſchichte*, *p.* 684. illud â LOCHERO in *Spec. Academ.* *p.* 432. tranſcriptum fuiſſe, teſtatur.

D. O. M.
GEORGIO SIGISMUNDO SELDIO
J. V. D.
IMPP. CAROLI V. ET FERDINANDI I.
VICE - CANCELLARIO:
MAXIMILIANI QUOQUE II.
ET PHILIPPI II. HISPANIARUM REGIS
CONSILIARIO INTIMO:
NON TAM SUORUM,
QUAM OMNIUM FERE IMPERII PROCERUM
AC STATUUM LUCTU,
FATO QUODAM HEU! NIMIS ACERBO,
REIPUBLICÆ NEGOTIIS
INTEMPESTIVE EREPTO:
NEC NON
URSULÆ RUDOLPHINÆ
MARITUM MOX MORIENDO SUBSECUTÆ
HÆRED. MOESTISS.
P. C.

Hic vitæ curſus, hi labores politici, hic exitus SELDII fuit, cuius encomia, â doctis illorum & ſubſequentium temporum Viris relicta hoc loco quin attexam, temperare mihi nequeo, ut inde magnitudo *Noſtri* ac dignitas clarius eluceſcat.

Ioannes CRATO, Archiater Cæſareus, in obitum *Noſtri* ſequentia cecinit:

Selde! tuo caſu cecidit Reſpublica; tecum
Ne jaceat tumulo morte perempta, precor.

Simon SCHARDIUS (*x*) *de Noſtro* ait: *Carolus V. eum in honore ac pretio habitum ad gubernationis ampliſſimæ atque occupatiſſimæ ſumma & difficillima negotia abhibuit. Adhæc cum acceſſiſſet ætas grandior; uſus rerum atque exercitatio; maturitas exculti, perpoli-*

(*x*) In *Script. Rer. Germ. T. IV. p.* 42. Editionis *anni* 1673.

politique judicii; documenta induſtriæ, ſollertiæ, ſapientiæ, juſtitiæ, moderationis, integritatis, conſtantiæ, fidei, candoris, humanitatis; in eam venit apud Imperatorem Ferdinandum opinionem & admirationem, ut de SELDII *conſilio atque ſententia ille in Imperio ſuſceperit atque adminiſtrarit pleraque ex illis, quibus Germaniæ, poſt difficilia & longa bella, ex perturbatiſſimo rerum ſtatu reddita eſt atque reſtituta ſalutaris tranquillitas. E rebus vero humanis Ferdinando erepto, non minori in exiſtimatione atque auctoritate apud Maximilianum Imperatorem fuit.. Vir Neſtoreis annis & omnium bonorum prædicatione digniſſimus.... Ioachimus* CAMERARIUS in *Orat. in Mauritium Elect. Saxon.* teſtatur (y): *fuiſſe in ipſo vivente dignitatis amplitudinem; honorum ſplendorem; virtutis, ſapientiæque præſtantiam; fidem; gravitatem; integritatem; optimorum artium ſtudium; antiquitatis omnis certam et enucleatam cognitionem; incorruptam probitatem. Hoc Viro ad difficultates illo tempore removendas, ad diſtracta reconcinnanda, ad ſanandas laborantes partes perquam feliciter uſum eſſe adjutore & auctore Mauritium Ducem, atque ita uſum eſſe, ut nihil ille prorſus emolumenti (quod ſcimus, a compluribus nequaquam negligi) privati ex publicis actionibus decerpendo ſibi quæreret, ſed ultro oblata præmia conſtantiſſime repudiaret...* Idem CAMERARIUS etiam in *Epiſtolis* ſuis multoties honorifice de *Noſtro* meminit. *Henricus* PANTALEO (z) & *Melch.* ADAMI (a) ſequentibus laudes *Seldii* prædicârunt: *Fuit homo erga omnes benignus; nullo modo ob ullam eruditionem aut divitias elatus; beneficus in agnoſcendis officiis: unde bene meritis et non indig-*

(y) V. MENCKENII *Script. Rer. Germ. T. II. p.* 1345.
(z) In *Proſopograph. T. III.*
(a) In *Vitis ICtorum, p.* 77.

dignis (quippe Comitis ſacro - palatini *privilegiis anno nativitatis Chriſti* milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto â Carolo V. *ornatus*) *inſignia et arma regaliter contulit* : *liberalis fuit etiam in excipiendis*, *liberâ à Cæſaribus ſibi apparatâ menſâ*, *viris nobilibus et doctis. Ipſe quidem invitatus*, *ad neminem ferè (nec principem*, *nec magnatem) auſus fuit ideo venire*, *ne cum uni ſatisfaceret*, *reliqui idem à ſe poſtulare poſſent*, *atque ita conviviationum nunquam eſſet finis. Fuit etiam admodum temperans in victu*, *quum quidem multis temporibus prandia vel intermiſerit omnino*, *vel parciora ſumpſerit*, *ut ad res per totum diem expediendas tanto eſſet alacrior*, *expeditiorque* ; *pro ſe tamen crudiora ſalſamenta mire amavit. Muſica vehementer*, *et reliquis Geometricis*, *et dimetiendi atque delineandi quoque ſtudiis delectabatur. Teſtudine autem pulſanda longe celeberrimus artifex*, *et principibus miraculo fuit. Salibus inter ſuos et optimates*, *ſibi familiares*, *cum ſumma gravitate et modeſtia*, *ex incredibili antiquitatis et Hiſtoriarum peritia*, *affluebat. Unde etiam ſolus Cæſaris* Ferdinandi *animum*, *triſtibus curis ſæpius defatigatum*, *gravi et dulci ſua oratione*, *appoſitis exemplis ornata*, *ceu præſentiſſimo remedio ſubinde recreavit.*

Fuit etiam gratus et carus Carolo V. *Auguſto*, *quod ex hac narratiuncula in proclivi cuivis eſt colligere. In poſtremo ex* Germania *diſceſſu* Carolus Vliſſingæ *ventos navigationi idoneos expectans*, *in multam usque noctem cum* SELDIO , *fratris tunc* Ferdinandi *Legato*, *eſt collocutus. Poſtea* SELDIO *abitum petente*, *cum ex familia*, *in atrio partim dilapſa*, *partim dormiente*, *nullus appareret*, Carolus *ipſe lychnum* SELDIO, *quamvis recuſanti*, *prætulit* : *eique*, *per gradus deducto* : Hoc tibi monumentum,

inquit,

inquit, Cæſaris illius Caroli habeto, SELDI! tot exercitibus et excubiis quondam ſtipati, quem nunc ſolum, et à familia etiam deſertum vides, et cui tu tot annos ſerviiſti, is nunc tibi etiam ſerviit, et lumen prætulit. *Dixit etiam in poſtremis illis congreſſibus* SELDIO: ſe, in hac mutatione ſuæ fortunæ, agnoſcere potentiam Dei; cui nequaquam velit repugnare. Hæc de *Noſtro* PANTALEO & ADAMI.

Similiter *Noſtri* memoriam non ſine laude egere THUANUS in *Hiſtoriar. T. I.* ZWINGERUS in *Theatro Vitæ humanæ. Io. Chriſtoph* WENDLERUS in *Diſſert. II. de Merit. Reipubl. Auguſt. in Rem litter. p.* 48. KOENIGIUS in *Biblioth. vet. & nov.* FABRICIUS in *Hiſtorie der Gelehrtheit, T. III. p.* 271. GUNDLING in *Hiſtorie der Gelehrtheit p.* 4657. In *Noſtri* laudes fuſe etiam excurrit PEUCERUS, de quo inferius ſermo redibit, et *Andr.* RAPICIUS *ICtus. Tergeſtinus* in *Nuncupatoria* ad *Orationem de Morte Caroli V.* At hos omnes brevitatis gratiâ præteriens, duo duntaxat teſtimonia ſubdere ſatis habeo: quorum primum *Conſpectus Hiſtoriæ Univerſitatis Viennenſis* offert, ubi legere eſt: *Tantam tum Aulicorum, tum Civium Viennenſium animis de Noſtro exiſtimationem inſediſſe, ut majorem* SELDIO *Virum intra ſua ſe moenia nullum habuiſſe profeſſi ſint.* Alterum idque multo magnificentiſſimum, exhibet *Georg.* EDERUS in *Catalogo Rectorum & illuſtrium Virorum Archigymnaſii Viennenſis, p.* 18. ubi, poſtquam quendam *Ioannem Seld, Decretorum Doctorem*, commemoravit, adjicit: *Eius nominis, & familiæ fortaſſis eiusdem*, Mæcenatem & Patronum *hæc Academia* maximum *nacta eſt Georg. Sigiſm.* SELD *I. C. Auguſtanum … Virum pietate gravem, & prudentia inſignem, ſummum atque celeberrimum totius Germaniæ Oratorem.* Et

Et quoniam tum in hoc EDERI teſtimonio, tum ſuperius in *Vita* ſæpius memoria doctrinæ, qua *Noſter* multis antecelluit, acta eſt; jam tempus et occaſio ipſa, illius litteraria merita pandere, vel potius repetere, jubent. Vidimus de *ſtudiis* illius, fineque honorifico, quo illa conſummavit Vidimus de varia, et magna *eruditione*, deque *linguarum* cognitione plurima, quam ſibi is peperit Vidimus de *affectu* erga doctos: de *ſtudio* in litteras, et Academiam Viennenſem (Atque utinam EDERUS enucleatius nobis tradidiſſet, quibûs modîs *Noſter* de Archigymnaſio *Viennenſi* bene meritus fuerit!) Vidimus de numeroſa eius *Bibliotheca*, deque erudita *Diſſertatione de Legatis* (*b* quam adhuc in ſtudiis agens elucubravit. Quare ad reliqua eius *Scripta* tum *edita*, tum *inedita* enarranda progredi lubet.

Scripſit SELDIUS permulta, et doctiſſimè ſcripſit: parabatque, otium a laboribus publicis nactus (ut audivimus) eadem emittere in lucem: ſed in negotiorum politicorum pelagus denuo retruſus, mox etiam repentina morte vivìs ereptus, fratri ſuo HEGENMILLERO, quem hæredem habuit, reliquit publicanda. Aſt hunc quoque negotiorum multitudo, & Conſiliarii cæſarei munus *ſingulari ſollertiæ & integritatis laude geſtum*: poſtea etiam *Procancellariatûs* ſub *Rudolpho II.* dignitas præpedivêre, ne fraterni ingenii foetus foras educeret. Attamen hoc ipſum non obſtitit, quin nonnulla prodirent in vulgus, reliquis amiſſis, & in hanc usque diem deperditis. Opera autem *Noſtri* hæc ſunt.

I. *Conſilia*, eaque *multa & graviſſima* teſte PANTALEONE *l. c.* Horum aliqua, typis excuſa, circum-

(*b*) An hæc poſtea typis prodierit, dicere non habeo: certe illis dignam fuiſſe, perſuadet ZUICHEMI ſupra allatum præconium.

cumferri monet *Paulus à* STETTEN *junior*, *l. c. p.* 279. improbans eorundem ſtylum; quod plurima *latino* ſermone exponant: et *Auctorum* citationibûs ſcateant.

II. *Repertorium Juris*, quod *quaſi prorſus novum confecit.*

III. *Genealogiæ maximarum Familiarum*, quas, *utpote ex profeſſo etiam ſui temporis hiſtorias illuſtrans, in ampliſſimis quaſi arboribus exſtruxit.*

IV. *Res geſtæ D. Caroli V.* quas *acri judicio & perfectiſſimo ordine collegit.*

V. *De Origine et Succeſſione Regnorum & Familiarum*; de quo Opere PANTALEO *l. c.* ſic ait: *In omnibus denique iis ſtudiis de Origine ac Succeſſione Regnorum atque Familiarum & alia quadam rariora, a nemine facile animadverſa, ipſe prudentiſſime obſervavit.* Hoc Opus *Noſter*, qua erat doctis gratificandi promptitudine, *Caſparo* PEUCERO, *Chronicon Carionis*, a *Philippo Melanchtone* ſuppleti, ulterius continuare meditanti humaniſſime communicavit, utendumque permiſit: quod officii genus PEUCERUS, non ſine multis *Noſtri* encomiis, gratus agnovit.

VI. *Bedenken an Kayſer Ferdinand, wie des Pabſts Pauli IV. unbilligem Anmaſſen wider Ihro Kayſerliche Majeſtät Wahl durch die Churfürſten des heiligen Römiſchen Reichs, ohne des Pabſts Conſens geſchehen, zu begegnen ſey?* in 4°. *Frankfurt.* 161.. Ita teſtatur *Mart.* LIPENIUS in *Biblioth. philoſoph. pag.* 349. & *C. G.* JOECHER in *Gelehrten - Lexicon*, in eo hallucinati, quod pro *Paulo IV.* ponant *Pium V.* Recuſum fuit anno 1618. teſte ADAMI *l. c. pag.* 77. Confer STRUVII *Biblioth. jurid. c.* 11. §. 21. Conſcripſit hànc *Lucubrationem* SELDIUS annô 1558. jubente *Fer-*

dinando Imperatore. Conſcribendæ autem cauſſam dedit *Tranſlatio Imperii Romani* in *Ferdinandum* à *Carolo V.* inſcio Pontifice *Paulo IV.* facta, atque ab hoc ipſum â Papa improbata: de quo videri poterit CIACONIUS in *Vitis Pontificum*, *T. III. p.* 812. 816. Excutitur autem in iſta *Lucubratione* quæſtio: *Utrum Cæſar, abdicaturus ſe Imperii onere, id in manus Romani Pontificis reſignare debeat?* De reliquo errat *Chriſtian. Gottlieb.* JOECHER in *Gelehrten-Lexicon*, PAPADOPOLIUS, & cum ipſis, quotquot ex hoc unico Scripto plura, diverſis propoſita titulis, faciunt. Id ſatis docent verba *Melchior.* ADAMI dicentis: *Anno* 1618. *prodiit* SELDII *Diſcurſus, ex MSS^tis. collatis, de Cæſaris & Romani Pontificis poteſtate, in quo controverſia diſcutitur: An Cæſar, abdicaturus ſe imperii onere &c. &c.*

SEMBLER (*Rupertus*)

Rupertus SEMBLER patriâ *Salisburgenſis* fuit, prænobilibus ibi anno MDCCIX. die 8. Maii parentibus prognatus. *Auguſtæ* vero in monaſterio *SS. Udalrici & Afræ* juvenis Regulam *S. Benedicti* eſt amplexus.

Poſito ſacræ vitæ tyrocinio, inter domeſticos parietes ſtudiis theologicis unius anni ſpatio vacavit: quô elapſô, quod ingenii magnitudine & diligentiæ laude ſemper excelluerit, â Superioribus patriam urbem reviſere, & in communi illo doctrinarum domicilio ac publico litterarum Muſæo theologicum curriculum emetiri juſſus eſt: quô abſolutô, cum in *Theologia* juxta ac *Jurisprudentia ſacra examinatus*, et *approbatus* fuiſſet,

facer-

ſacerdotii dehinc honorem capeſſivit anno MDCCXXXII.

E patria domum reveſtus haud diu delituit; etenim *Salisburgum* revocatus, ibi primo litteras humaniores, ſubin etiam Philoſophiam docuit, *Artium liberalium & Philoſophiæ Doctor*: creatisque pluribus eius Facultatis Magiſtris domum redux, varia monaſterii ſui officia ſollertiſſime adminiſtravit.

At patria eum denuo recipere expetiit, receptumque cathedræ theologicæ præfecit, *SS. Theologiæ Doctorem.* In eo munere ſumma cum laude plurium annorum ſpatio verſatus, etiam ad Sodales parthenios ſacro de ſuggeſtu dixit, inter *Conſiliarios eccleſiaſticos* RR$^{mi.}$ Principis et Archiepiſcopi pro more adlectus.

Tandem *Auguſtam* reverſus, cum *Petrus Maria Popp*, Vir de diſciplina monaſtica & re litteraria optime meritus, inferioris *Liezhemii* (Præpoſitura eſt ad cænobium *San - Udalricanum* attinens) Præpoſitus vitam cum morte commutâſſet, in illa dignitate *Noſter* defunſto ſucceſſit, ſimul *Status provincialis* Ducatûs *Palatino - Neoburgici* factus.

Tenuit autem Præpoſituram annis duodecim, ſtructisque variis ædificiis demum ex hydrope pie in Domino deceſſit anno MDCCLXXVIII. ætatis LXIX. Profeſſionis XLIX. ſacerdotii XLVI. relictis ſequentibus ingenii & doctrinæ ſuæ monimentis:

I. *Diſſertationes* doctiſſimæ *de SS. Trinitatis Myſterio.* in 4$^{to.}$ *Salisburgi.* 1760. in quibus *epitomen fecit ſapientiæ alienæ, ſummam ſuæ.*

II. *Officia Sodalis Mariani in allocutionibus partheniis declarata.* in 8$^{o.}$ *Ibidem.* 1764. Libellus eſt

 ele-

eleganti ſtylo conſcriptus, miræ pietatis ſenſus referens.

Hæc ex *Litteris encyclicis mortualibus*, quas *Rotulam* vocare ſolent. Confer, ſi lubet, *G. C.* HAMBERGER *Gelehrtes Teutſchland. Edit. III, p.* 1116.

TREFLERUS (*Wolfgangus*)

Patriâ *Auguſtanus*, monaſterii *S. Iacobi* in *Monte ſpecioſo*, *Moguntiæ*, Profeſſus, claruit ſub initia *XVI.* ſæculi, fuitque membrum *Societatis litterariæ Rhenanæ*, quam ea ætate *Ioannes Camerarius* DALBURGIUS *Philippi* Palatini primùm Cancellarius, tum *Wormatienſis* Epiſcopus, litterarum & litteratorum fautor cum primis laudandus, atque ſcientiarum in Germania reſtitutor (*a*) acerrimus, condiderat; cuiusque Director primarius doctiſſimus Abbas TRITHEMIUS extitit (*b*).

Vel hoc unum, haud ſpernenda doctrinæ ſubſidia *Noſtro* adfuiſſe, ſatis (puto) comprobat: tum etiam apertiùs amicitia confirmat, quam *Noſtro* mox laudatus TRITHEMIUS habuit: & quam data ad eundem anno 1514. *Epiſtola* (*c*) luculenter prodidit.

Annô 1507. in monaſterio *Spanheimenſi nonnullas ob cauſſas commorans*, *obedientia cogente*, *rerum temporalium ſubſtantiam eius cœnobii*, *jam novo Abbate creato*, *pro viribus complurium dierum*

(*a*) Vide BURCKARDUM de linguæ latinæ in Germania *Fatis. T. II. p.* 263.

(*b*) Ita teſtatur *Hiſtoria litteraria Ord. S. Bened. T. I. p.* 184. ubi reliqua eius *Sodalitatis* membra, ex *Ordine S. Benedicti* adlecta, nominantur.

(*c*) V TRITHEMII *Opp. ſpiritual.* à BUSÆO *Moguntiæ* edita, *p.* 977.

rum ſpatio adminiſtravit : ita tamen, ut, quibus à rerum temporalium cura vacare licuit, horis rei litterariæ pro more ſuo ſollicite inſudaret : ſtudiaque, quibus ſub ſole dulcius nihil judicavit, aut nullo aut modico tempore ſeponeret. Quam ob rem *rei familiaris gubernatione interdiu perfunctus*, tenebris ſe cœlo inducentibus ad litteras converſus: oblatàque ultro *Bibliothecæ Spanheimenſis* luſtrandæ, probéque excutiendæ occaſione ſuaviſſima tam ſtrenue uſus eſt; ut noctes integras in illo Muſarum ſacrario tranſigeret inſomnis, *a latinis ad græcos, a græcis ad hebraicos codices diſcurrens.*

Ea diligentia factum, ut *Chronicon Chriſtiani epiſcopi*, quod, ſub nomine *Conradi epiſcopi*, ſucceſſu temporis HELVICHIUS, & poſt eum *G. C.* IOANNIS in *Rer. Moguntin. T. II. p.* 92. typis vulgavere, a ſe forte fortuna repertum, & deſcriptum *Wolfgango de* SOLMS, Eccleſiæ *Moguntinenſis* Canonico, muneri miſerit; quò gratum de beneficiis tum abs dicto *Wolfgango*, tum eiusdem patruo, itidem *Moguntinenſis* Eccleſiæ Canonico & Cuſtode, *Ruperto de* SOLMS, tunc jam fatîs ſuîs perfuncto, acceptis animum teſtaretur (*d*).

Complures annos Bibliothecarium egit ſui Aſceterii, eúmque induſtrioſiſſimum, uti dicenda comprobabunt. Obiit anno 1521. die 26. Julii (*e*).

Litteraria *Noſtri* monumenta, typis *edita*, quæ repperi, ſequentia ſunt:

I. *Epiſtola prolixa de Bibliotheca Spanheimenſi ad Wolfgangum de* SOLMS *&c. data anno* 1508.

12.

(*d*) Conſule *Hiſtoriam litterariam Ord S. Bened. T. I. p.* 492. *ſeqq.*

(*e*) Vide *Georg. Chriſt.* IOANNIS *Rer. Mogunt. T. II. p.* 827.

12. *Kalend. Auguſti.* In hac *Noſter* multis TRITHEMIUM laudat, & ab impacto *magiæ* crimine vindicat: tum plura lectu minime injucunda de Bibliotheca *Spanheimenſi* affert: denique in laudes *Wolfgangi*, & *Ruperti de* SOLMS &c. excurrit. *Epiſtolam* iſtam prius ineditam, integram refert *Hiſtoria litteraria Ord. S. Bened. T. I. p.* 492.

II. *Epiſtola prolixa, minimeque inerudita de Bibliotheca ſui monaſterii ad S. Iacobum in Monte ſpecioſo, Moguntiæ, data ad Iacobum, eius cœnobii Abbatem, anno* 1513. 6. *Calend. Iulii.* Debemus hanc *Epiſtolam RR*mo. D. *Stephano Alexandro* WURDTWEINIO Epiſcopo *Heliopolenſi*, Suffraganeo *Wormatienſi*, qui eam integram *Bibliothecæ* ſuæ *Moguntinæ*, *p.* 14. inſeruit. In illa auctor nonnullorum monachorum in excolendis litteris deſidiam carpit, fataque Bibliothecæ hiſtorica narratione exponit.

Inedita à *Noſtro* extant, teſte *Hiſtoria litteraria Ord. S. Benedicti a Magnoaldo* ZIEGELBAUER & *Oliverio* LEGIPONTIO vulgata, *Tom. I. p.* 490. 612. & *Tom. IV. p.* 511. 527. 556. 570.

III. *Index Bibliothecæ S. Iacobi, Moguntiæ. Exactiſſimum* eſſe, monet citata *Hiſtoria Ord. S. Bened.* et adhuc in ea Bibliotheca ſervari.

IV. *Libri II. de Scriptoribus eccleſiaſticis.* Hos TRITHEMIO uſui fuiſſe, monuit *Oliverius* LEGIPONTIUS in *Vita* TREFLERI, à ſe memoriæ *Wolfgangi* noſtri, doctiſſimi optimique Viri, æternandæ ergò conſcriptæ, ſed non vulgatæ.

V. *Apologia Ioannis Trithemii.*

VI. *Liber I. de Viris illuſtribus ſui monaſterii.*

VII. *Chronicon Monaſterii ſui.*

VIII. *Orationes funebres IV. in laudem RR*mi. *D. Hermanni Abbatis S. Iacobi &c.*

Hæc

Hæc de *Wolfgango* TREFLERO, qui certe *Auguſtanus* eſt. Extitit autem, in *Ordine S. Benedicti*, non multo poſt ea tempora, alius quoque TREFLERUS, *Florianus* nomine, *Benedictoburani* in *Bavaria* ſuperiore monaſterii alumnus, haud infimæ doctrinæ Vir: quem *Auguſtanum* fuiſſe ſuſpicor; quod ætas, nomenque gentilitium belle adeo conveniant. Verùm cùm patria eius in albo Monachorum eius aſceterii omiſſa ſit, atque ob id ipſum nihil certi ſtatui queat, haud diutius in eius laudibus hærendum mihi, ſed Lectores, de illo plura ſcire cupientes, ad MEICHELBECKII *Chronicon Benedictoburanum*, *P. I. p.* 249. præcipue verò ad *Hiſtoriam litterariam Ord. S. Benedicti. Tom. I. p.* 612. *Tom. III. p.* 353. & *Tom. IV. p.* 160. 637. 710. remittendos eſſe judico.

Errata notabiliora.

Pag.	Lin.	Lege.
12.	8.	*D. XXVI.*
16.	18.	GUALTHERI
—	32.	*Salthen.*
18.	4.	BETULEIUS
30.	20.	*p.* 182.
—	21.	1513.
44.	31.	*Seſſionem*
70.	25.	viginti
—	30.	currit
78.	5.	BARTHOLINUS
80.	33.	*alſit*
102.	5.	innuimus
116.	30.	*Nummos*
160.	36.	collaudat

151418

Google

BIBLIOTHECA
AUGUSTANA,
COMPLECTENS
NOTITIAS VARIAS
DE VITA ET SCRIPTIS
ERUDITORUM,
QUOS
AVGVSTA VINDELICA
ORBI LITTERATO
VEL DEDIT VEL ALUIT.

Congeſſit FRANCISCUS ANTONIUS VEITH
Auguſtanus, Bibliopola.

Alphabetum VI.



AUGUSTÆ VINDELICÆ.
SUMPTIBUS AUCTORIS.
MDCCLXXXX.

P R Æ F A T I O.

Pauca ſunt, quæ te, Lector! moneam — Præſentis Alphabeti *partem maximam occupat* David HOESCHELIUS; *cuius ſumma ſemper in orbe litterato exiſtimatio ac fama fuit. Hac commotus non ſolum* Vitam *eius ac* Scripta *fuſe deſcribenda, ſed et* Epiſtolas *eius XVII. hactenus anecdotas, adjiciendas eſſe cenſui. In iſta vero Narratione uti aliquot Eruditorum* Auguſtanorum *mentio infertur, de quibus plura dicere habeo; ita eos in* Mantiſſam, *ceu cumulum quendam, conjeci. Sunt autem Philippus* Hainhoferus, *Vir multis nominibus illuſtris: Marcus* Henningus, *Genealogus ac Poëta: Georgius, & Hieronymus* Laubii: *Raymundus* Mindererus: *Ioannes Ulricus* Rumlerus, *Quatuor - Viri medica arte percelebres.*

Poſt Mantiſſam *hanc, ago de* Conrado KIRCHERO *&* Georgio MAYR, *græce hebraicéque doctiſſimis: item de* Ioanne MOIBANO *Medico: de* Henrico ROTH *linguæ ac doctrinæ* Brachmanorum *callentiſſimo: denique de* Clemente SENDERO *Hiſtoriographo diligentiſſimo. Taceo Scriptores alios minoris ordinis, qui* hinc

hinc inde occurrunt, et in ſequenti Elencho *a me* nominantur.

In fine habes Supplementa *ad* I. II. III. IV. V. Alphabetum; *nam, cùm ab anno* 1785. *quó* Bibliotheca *hæc* Auguſtana *edi à me primum coepta eſt, per quinquennii ſpatium multa detexerim, quæ me antea vel fugerant, vel poſtea emerſerunt in lucem: eà, in unum coacta, tibi proponere volui, addito inſuper* Indice univerſali *copioſiſſimo in omnia* ſex Volumina, *quæ hactenus prodivere foras, et quibus ferme* CC. Scriptores *complexus ſum.*

Vale, Lector! et laboribus meis fave. Scribebam Auguſtæ Vindelicæ. Calendis Februarii, anni MDCCLXXXX.

No-

Nomina eorum,

Qui hoc *Alphabeto VI.* continentur.

Obſerva, Lector! eos Scriptores, qui *peculiari Paragrapho* laudantur, litteris majuſculis: eos vero, qui duntaxat in tranſitu & per modum brevis *Notæ* memorantur, litteris minuſculis exprimi.

	Pag.
AMBERGER (Paulus) -	1
Brenggerus (Io. Georg.) *Medicus.* -	122
Caſtellus (Ioannes) *Medicus.* -	117
Cneulinus (Tobias) *Medicus.* -	116
HAINHOFERUS (Philippus) *Patritius Auguſtanus.*	99
HENNINGUS (Marcus) *Genealogus.* -	104
Höchſtetterus (Joſephus) -	120
Höchſtetterus (Philippus) *Medicus.* -	119
Höchſtetterus (Ioannes Philippus) *Medicus.*	119
HOESCHELIUS (David) *Rector Gymnaſii San - Annæani.* - -	3
KIRCHERUS (Conradus) *Philologus.* -	130
LAUBIUS (Georgius) *Medicus.* -	107
LAUBIUS (Hieronymus) *Medicus.* -	111
MAYR (Georgius) *Soc. Jeſu.* -	133
MINDERERUS (Raymundus) *Medicus.* -	114
MOIBANUS (Ioannes) *Medicus.* -	147
NADLERUS (Ioannes) - -	2
ROTH (Henricus) *Soc. Jeſu.* -	157
RUMLERUS (Ioannes Ulricus) *Medicus.*	127
SENDERUS (Clemens) *Cœnobita San - Udalricanus.*	116
Widemannus (Carolus) *Medicus.* -	116
Willerus (Georgius) *Bibliopola.* -	84

Pag.

Pag.	Lin.	Menda	Emenda.
10.	17.	SCHCENKIUM	SCHENCKIUM
22.	32.	*Noſtro*	*Noſtri*
61	13.	*T. IV.*	*T. VI.*
73.	8.	ZAPPIO	ZAPFIO
111.	3.	KOENING	KOENIG
166.	10.	ab anno 1300.	ab anno 1315.
168.	25.	in *Hiſtoria*	STETTEN in *Hiſtoria.*

AMBER-

AMBERGER (*Paulus*)

Auguſtanus, municipis ſui *Ioannis* NADLERI, qui *Diſſertationem I. de Meritis Reipublicæ Auguſtanæ in Rem litterariam*, anno 1713. menſe *Aprili*, ſub *Io. Chriſtoph.* WENDLERO, *Jenenſis* Academiæ Profeſſore publicârat, laudabile exemplum æmulatus, anno memorato, menſe *Octobri*, quà *Philoſophiæ* & *Theologiæ Studioſuſ*.

Diſſertationem IIdam. de eodem argumento. Jenæ in 4to. edidit, in qua de celebribus *Auguſtanis Theologis*, *Juriſconſultis*, *Medicis*, *Philologis*, *Hiſtoricis*, *Artificibus & illorum inventionibus* breviter tractat, dedicans doctum laborem ſuum Patronis ſuis, maxime *Io. Thomæ à* RAUNER *&c. mæcenati munificentiſſimo et ſtudiorum ſuorum promotori benigniſſimo*, ſequenti elogio â Profeſſore ſuo WENDLERO ob id decoratus: *Nondum biennii ſpatium in Academia hac expleviſti*; *neque tamen contemnendos doctrinæ*, *quam per hoc tempus collegiſti*, *fructus edis. Quando enim in* Diſſertatione *hac doctorum* Auguſtanorum *& merita & ſcripta recenſes*, *nobile ſatis argumentum*, *antea à nemine tractatum*, *explicas*, *tuæque patriæ jamdudum partam & celebratam ab exteris gloriam non ſolum tueris*, *ſed & teipſum civesque tuos*, *ut majorum inſiſtant veſtigiis*, *excitas &c. &c.* Hæc de AMBERGERO.

NADLERUS autem *Diſſertationem* ſuam, in qua *de Bibliothecis Auguſtanis*, præſertim *publica eiusque Protectoribus & Præfectis* agit, quatuor *Scholarchis*, Paulo *à Stetten*, Chriſtoph. Sigiſm. *Ammano*, Io. Iac. *Beyero*, & Leonh. Frider. *Voit à Berg*, ſtudiorum ſuorum patronis, in ſpecimen ingenii & profectuum academicorum conſecravit. Ad *Noſtri* laudem *Io. Chriſtoph.* WENDLERUS ſcribere non dubitavit, quæ ſequuntur: *Neſcit diu latere virtus, ſed erumpit ſtrenue, Deóque non ſolum auctori ſuo, ſed et hominibus ſe commendat. Exemplo tuo comprobas hoc doctiſſime* Nadlere! *qui jam à primo tuo in Academiam ingreſſu, quanta in te virtus lateat, probaſti; dum celeberrimorum, in hac Academia docentium, Virorum ſcholas frequentare ſtudioſiſſime conſuevisti. Namque per integrum* quatuor annorum *ſpatium, quæ ſtudiis tuis proficua eſſe credebas, è* Salanis *noſtris fontibus hauſiſti, nec parum profeciſti Virorum, fama per litterarum orbem eminentium,* BUDDEI, DANZII, STRUVII, SYRBII, *excellentiſſimorum Profeſſorum inſtitutione, exemplis & conſiliis: quorum* prælectionibus theologicis, philologicis, rabbinicis, hiſtoricis, & philoſophicis *frequens adfuiſti. Iniquus in te ſim, niſi diligentiam indefeſſam, quam & in* meis ſcholis, *non ſine exquiſita voluptate mea, hoc anno adhibuiſti, hoc loco publice collaudem. Conatu nunc laude digno in publicum prodis, ingenii tui liberalis vires periclitaturus; quo inſtituto, quam gnaviter contendas ad præclara, abunde teſtaris. Merito tibi ob hoc eruditionis ſpecimen ex animo gratulor, gratulor patriæ &c &c.*

HOESCHE-

HOESCHELIUS (*David*)

Davidem HOESCHELIUM, Virum benemerentiſſimum, *Philologum* cum primis celebrem debito encomio ornaturus valde ipſa dicendorum copia laboro. Utcunque ſit, dabo operam, ut, quæ de illo occurrunt, omnia compendiô dem, atque intra amatæ brevitatis limites ita cogam; ut nec nimis redundet oratio: nec turpiter deficiat.

Agebatur annus â reparata per Chriſtum ſalute MDLVI. cùm *Auguſta Vindelica* III. Idus Aprilis (*a*) *Davidem* HOESCHELIUM mundo dedit, litteratæ Reipublicæ ſydus ſingulare futurum, & avitam patriæ urbis gloriam mire amplificaturum. Avus *Noſtro*, *Petrus*: Pater itidem, *Petrus* fuit: ingenium autem nobile, capax, acre; cuius mature haud dubia documenta dedit.

Felici admodum ſorte HOESCHELII ortus in illa incidit tempora, quibus civitas patria & excellentibus didaſcalis viriſque doctis, & generoſis litterarum moecenatibus abundabat; de quibus *Salomo* FRENZELIUS *Vratislavienſis* (*b*) non inepte cecinit:

Non vero ſatis eſt, multos diſcrimine nullo (*c*).
Accumulare libros: doctis eſt inſuper omnis
Urbs ornanda Viris, quibus hæc Reſpublica felix
Affluit — — — — —
— — — — — —
Præterea egregiis fora, templa, ſcholasque magiſtris

 In-

(*a*) Vide Epitaphium *Noſtri*, infra apponendum.
(*b*) In *Adumbratione Auguſtæ Vindelicæ*, quam rariſſimam eſſe affirmat *Iac.* BRUCKERUS in *Miſcellaneis Hiſtoriæ philoſ. crit. litter. p.* 447.
(*c*) Intellige *Bibliothecam publicam.*

Inſtruit, & pubem ſtudia ad graviora coërcet;
Educens terris, magno & Plantaria cœlo.
Hinc eſt doctorum tam pulchra corona Virorum,
Tot docti Proceres, hinc doctus & ipſe Senatus.

de quibus ipſe HOESCHELIUS monuit: *illuſtris Senatus Auguſtani curam totam in eo fuiſſe, ut magna gererent bonarum litterarum cauſſâ* (d): Et rurſus: *In qua Urbe Muſæ & Gratiæ domicilium nactæ videntur, quod ii gubernacula teneant, qui ab ineunte ætate litteris omnibus dediti hoc laborum genus & probant, & adjuvare geſtiunt illos, qui omnem in eodem operam ponunt*(e). Atque (ut exemplis agam) quis eſt, qui ignoret, quantum *Fuggeri*, *Velſeri*, *Oeſterreicheri*, *Paleri*, *Erhardi*, *Ehemi*, *Stetteni*, *Peutingeri*, *Hainzelii*, *Rehlingeri*, pluresque alii clari Cives *Auguſtani* illis temporibus bonarum litterarum cauſſâ & cupiverint & fecerint. Inter didaſcalos autem Gymnaſii *San-Annæani* commemorare mihi licet illuſtres Viros *Matthiam* SCHENCKIUM, *Hieronymum* WOLFIUM, *Simonem* FABRICIUM (*) *Nicolaum*que REUSNERUM.

Hôc modô res litteraria & ſcholaſtica *Auguſtæ* conſtituta fuit; cùm *Noſter*, in memoratum Gymnaſium miſſus, ad diſcendas optimas artes incumbere cæpit maxime ſub *Hieronymo* WOLFIO, Viro de græca litteratura plurimum merito. Incubuit autem ita, ut WOLFIUS (*f*) ſequens illi teſtimonium, certe perhonorificum, tribuere minime

(*d*) In *Dedicatione* ad *Opuſcula Philonis.*

(*e*) In *Dedicatione* ad *Photii Bibliothecam.*

(*) De FABRICIO vide *Alphabetum III. Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ. p.* 10.

(*f*) In *Litteris commendatitiis* ad *Gregor.* BERSMANNUM 1578. 5. Junii datis, ſcilicet poſt *Orationem græcam* à *Noſtro* habitam *Lavingæ*, de qua vide in *Catal. Opp. Noſtri*, *No. I.*

nime gravatus ſit: *Auditores habeo paucos, eosque magna ex parte ſtupidos .... ſed tamen interdum inter ſpinas roſa una atque altera naſcitur; quo in numero, exiguo quidem, eſt etiam* David Hœſchelius, *quem tuæ humanitati probari gaudeo, meoque etiam nomine commendatiorem eſſe cupio*: ut *Georgius* REMUS, qui commilito *Noſtri* et ſtudiorum ſocius fuit ac præcipuus amicus, ad *Io.* MEURSIUM (g) hæc anno 1607. 6. Id. Sextil. ſcribere non dubitârit: *Notus et charus eſt mihi* Hœſchelius *ab annis XXXV. plus minus; cum quidem anno MDLXXV. condiſcipuli ſub Hieronymo* Wolfio *eſſemus: ille primum, ego imum obtinuiſſem locum. Admodum autem adoleſcens tum eram; ille ætate me antecedebat, atque exemplo induſtriæ prælucebat: adeo ut D.* Wolfius *hunc* Hœſchelium *cum ob eruditionem, tum ob mores compoſitos &* Καλλιγραφίαν *in deliciis haberet.*

Cui mirum poſthæc videatur, hac diſcentis induſtria, hac docentis pia affectione ſuavique impulſu effectum fuiſſe, ut (quod *Iac.* BRUCKERUS (h) bene obſervavit) *magnum Hœſchelii ingenium, a Viro tanto formatum, ſtupendos in omni doctrinarum genere, præſertim vero in græcis litteris, quas apud diſcipulos maxime urgebat Wolfius, progreſſus fecerit? ut in iſto adoleſcente, ſponte ad ſumma currente, Wolfiana dexteritas, quæ in pueris inſtituendis parem haud habuerat, feliciſſimos fructus protulerit? Inde certe magna eruditionis copia, quæ poſtea in Noſtro eluxit: inde lectio antiquorum Scriptorum magna ac copioſa, quam orbis litteratus obſtupuit: inde exquiſitum de vetuſtis Scriptoribus judicium,*

(g) Vide *Librorum rariorum Collectionem novam. Halæ*, 1709. *in* 8o. *Faſcic. III. p.* 562.

(h) Vide *eundem, l. c. p.* 448.

dicium, quod in egregiis ſuis ad græcos Auctores annotationibus paſſim oſtendit: inde iſocrateus dictionis nitor, quem attico lepôre in Epiſtolis ſuis græcis (i) multoties exhibuit.

Optabilibus adeo circumſtantiis acceſſit prolixus mæcenatum favor, *Matthæi* præcipue VELSERI, cuius patrocinio ac liberalitate ſtudia ſibi ſua olim continuare licuiſſe grato animo et agnovit & profeſſus eſt in *Dedicatione* ad *Io. Damaſceni Orat. in Transfigurat. Domini*, anno 1588. excuſam. Itaque e ſchola *Auguſtana* in *Lavinganum*, quod tum Comes Palatinus *Wolfgangus* condiderat, Gymnaſium academicum miſſus, ibi *Nicolaum* (*k*) REUSNERUM ſupra memoratum, & *Martinum* (*l*) RULANDUM, Medicinæ Doctorem, ambos præter alias etiam græcæ linguæ ſcientiâ præſtantes Viros audivit: quorum inſtitutionibus ita ingenium excoluit, ut anno 1577. die 1. Januarii, ante ſuum ex memorato Gymnaſio diſceſſum, *Orationem* græcam *de Lapſu generis humani & ejusdem Reſtitutione*, eámque ſatis prolixam, publice recitaverit: *qua non fruſtra a ſe lectos* (*m*) *Scriptores in hac lingua*

(*i*) Harum plures *Maximo* MARGUNIO ſcripſit; de quibus vide *Catalog. Opp. Noſtri* ſubſequentem pluribus in locis.

(*k*) De *Nicolao* REUSNERO videri poterit ADAMUS in *Vitis ICtorum*, & FREHERUS in *Theatro Eruditorum*. Docuit is aliquantiſper *Auguſtæ*, unde in *Lavinganam* ſcholam 1566. translatus eſt.

(*l*) *Mart.* RULANDI merita legere eſt apud *Van* LINDEN *de Scriptor. medic.* WITTE in *Diar. biograph.* & TEISSIERIUM. Eum honorem magiſtro olim ſuo habuit HOESCHELIUS, ut *Synonymiam* ejus refectam, emendatam, auctam *Auguſtæ* pluries typis vulgârit: de qua vide in *Catalog. Opp. Noſtri*, *No. VI.*

(*m*) Ita ſentit *Iac.* BRUCKERUS, *l. c. p.* 449.

gua optimos, nec inanem in ſe fideliſſimorum præceptorum induſtriam fuiſſe plane comprobavit; ita enim atticas Veneres in hac ſcriptiuncula expreſſit juvenis 20. *annorum, ut vel ex hoc ungue futurum leonem facile fuerit colligere.*

Lavingâ in Academiam *Lipſienſem* migravit *Noſter*, à *Nicolao* REUSNERO, *Gregorio* BERSMANNO (*n*) multifariæ doctrinæ Viro, eleganti latino carmine hoc commendatus:

Commendo tibi, Gregori *diſerte!*
Davidem *juvenem pium ac modeſtum*,
Et græce ſimul, & ſimul latine
Doctum, quem patria erudivit alma
Auguſta *hactenus &* Lavinga *docta.*

Ubi jam totus ἐλλινίζων *omnes curas ſuas in eo poſuit Noſter, ut libros græcos ubique perquireret, optimorum Auctorum lectione animi divitias augeret, collatis Codicibus MSS^tis. judicium firmaret: in doctorum Virorum ſeſe amicitiam inſinuaret tempore ſuccedente commercio litterario, perquam fructuoſo, confirmandam: ſicque et ſtudii theologici, cui dicatus erat, & artis criticæ atque antiquitatis rationes intime pernoſceret* (*o*). Unde factum, ut in memorata Academia *Artium & Philoſophiæ Magiſtri* titulo honoribúsque fuerit exornatus; de quo vide infra, in *Catalog. Opp. Noſtri N°. III. IV.* Quod ſi fidem adhibere libet *Philippo Iacobo* CROPHIO (*p*), non *Lipſienſem* ſolum, ſed alias inſuper Academias quadriennii ſpatiô perluſtravit *Hoeſchelius*. In ex-

(*n*) BERSMANNI laudes habes apud ADAMUM FREHERUM, HENDREICH in *Pandect. Branden.b.* GLADDIUM *de Script. eccl.*

(*o*. Hæc de *Noſtro* teſtatur *Iac.* BRUCKERUS, *l. c.* & CROPHIUS in *Hiſtoria* vernacula *Gymnaſii San-Annæani, Auguſtæ.*

(*p*) *Librô mox laudatô*, p. 178.

teras quoque Univerſitates abiviſſe *Noſtrum*, nonnulli Scriptorum tradiderunt (*q*); ſed hoc inter fabulas deputat *Iac.* BRUCKERUS (*r*) dicens: *Iſta ſine dubio debentur* CLARMUNDO, *qui* (*neſcio*) *qua paraphraſi hæc ex* SPIZELII Templo honoris *exſculpſit: quorum nihil probari poteſt. Etenim anno* 1577. *adhuc in Gymnaſio verſatur: anno* 1578. *in Academiam abit: anno* 1581. *jam inter ſcholæ patriæ didaſcalos accenſetur, adeoque triennium* (haud dubie quadriennium) *in Academia tantum exegiſſe merito creditur: inprimis cùm ei, parciori penu parentum inſtructo, ex publica beneficentia Senatus Auguſtani, utpote* Stipendiato, *quos vocant, et aliorum patronorum vivendum fuerit. Nec quidquam eorum meminit Noſter in Epiſtolis ad viros doctiſſimos paſſim exaratis, aliàs ad id digitum intenſurus, ſi eos coram conveniſſet.*

Interea dum HOESCHELIUS optimis ſcientiis ſtrenuam operam navat, ingeniúmque varia doctrina expolire impigre ſtudet, forte accidit, ut in patrio Gymnaſio *Claſſis V.* (Claſſi *ſupremæ*, aut ſi mavis, *ſextæ* tum *Simon* FABRICIUS, de quo ſuprà mentio incidit, præerat) vacaret. Quare WOLFIUS, *qui ludo, ſuæ curæ commiſſo, de Viris verè doctis ſollicite providebat, dotesque Noſtri probe cognitas habebat*, multus in eo fuit, ut huic HOESCHELIUS *Claſſi* ante alios præficeretur. Et profecto iſta WOLFII graviſſima commendatio, quam, poſt eius fata, *Georgius Heniſchius* ſua plurimum auctoritate fulciebat, tantum valuit, ut anno MDLXXXI.

(*q*) Perſonatus CLARMUNDUS, & *Lexicon hiſtoricum* vernaculum.

(*r*) *Loco* ſæpius *citato.*

LXXXI. die 23. Martii â patribus patriæ memorata *Claſſis* HOESCHELII curæ concredita fuerit (*s*).

Hac ratione *Auguſtam* revocatus *Noſter*, *in munere ſuo fideliter obeundo omnem induſtriam poſuit, haud indignam ſua eruditione ſpartam ſcholaſticam eſſe ratus, ſed exemplo præceptoris ſui, magni* WOLFII, *& ſucceſſoris Georgii* HENISCHII, *cum Primario ſcholæ* FABRICIO *in id maxime incumbens, ut eruditionis viâ, quam ipſe feliciſſimis avibus ingreſſus fuerat, eâdem et juventutem ſibi creditam duceret, & in primis ad Auctorum optimorum lectionem, veramque chreſtomathiam perduceret. Id quod tanta dexteritate, fide, humanitate, morumque ſuavitate præſtitit, ut Viri doctiſſimi* (e: g: *Palerus, Occo, Laubius, Windius*) *filios illi ſuos educandos committerent lubenter; quam civium ſuorum in ſe benevolentiam, deque ſua docendi ratione præclaram exiſtimationem & publica confeſſione gratus agnovit, & fideliſſima inſtitutione, cuius ſpecimina paſſim extant, demereri allaboravit* (*t*) Neque voce ſolum, atque orali inſtitutione formare adoleſcentûm ingenia ſtuduit HOESCHELIUS; ſed etiam librîs typo vulgatîs deditam litteris juventutem adjuvandam, eiusque ſtudiis velificandum ſibi cenſuit idem. Hanc in *Noſtro* voluntatem certiſſime comprobant *Nomenclator trilinguis*, & *Martini* RULANDI *Synonymia*: quorum hanc, a ſe paſſim correctam atque locupletatam, anno 1589: illum anno 1593. publici

(*s*) BRUCKERUS *l. c. p.* 450. CROPHIUS *l. c. p.* 101. etſi in ſibimet contradicat *p.* 179. ubi hoc annô 1580. factum dicit.

(*t*) Ita CROPHIUS *l. c.* & BRUCKERUS *l. c.* provocans ad *Dedicationem Opuſcul. Gregorii Nyſſeni*, & ad *Dedicationem Andronici Rhodii*: quoad *ſpecimina* autem monens: *ſibi illa paſſim viſa eſſe.*

lici juris fecit, ut eò majus, quò durabilius præſtitum pubi ſcholaſticæ beneficium eſſet; de quo vide infra in *Catalog. Opp. Noſtri*, *N°. VI. & XII.* Certe hoc *Noſtri* inſtitutum plane ſibi laudandum cenſuit CASAUBONUS, *quod exinde juventus plurimum adjuvaretur*; etſi ſimul eundem hortatus ſit, ut ad ſeriora ſe reverteret.

Laudabilibus hisce in juventutem meritis, hac adminiſtrandi muneris ſui ſollertia ad majora viam ſibi ſtravit HOESCHELIUS, effecitque feliciter, ut, *Simone* FABRICIO ſcholæ *Primario* anno MDXCIII. ſupremis fatis functo, concordibus Scholarcharum votis ipſe *Gymnaſii San-Annæani Rector* conſtitueretur; cùm priùs ſe de *Calviniſmi* (quoad articulum *de Cœna*) ſuſpicione purgaſſet. Quo loco obſervandum eſt, quod *Ia*. BRUCKERUS apte monet: FABRICIUM, *& præceſſorem eius* SCHCENKIUM, Primarios *vocatos fuiſſe*; *quia illis* WOLFIUS *ephorus præfectus fuerat*: *poſt huius vero obitum*, *omiſſâ ephori ſpartâ*, Rectoris *titulum ac dignitatem in* HOESCHELIUM *collata eſſe*: ephoriam *autem ſeparatam eſſe deſiviſſe*, *poſtquam* HENISCHIUS *rude*, *uti diu exoptaverat*, *donatus fuit.* Sed ad *Noſtrum* revertor.

In gravi *Rectoris* munere obeundo morem antiquum ſervavit: eundemque, quem priùs, ſeſe præſtitit HOESCHELIUS: quin imo, ampliorem nactus provinciam, ampliora cumulare merita, ampliusque de patria ac litteraria Republica mereri ſategit. Ad id vero quam maxime contendit, ut poſt divinas Scripturas &, quæ ex iſtis hauriri debet, pietatem juventuti ſcholaſticæ iter ad optimarum artium diſciplinas, præcipue græcas latinasque litteras, quam fieri poſſet, expeditiſſimum faceret. Iſta *Noſtri* dexteritas atque induſtria in cauſſa fuit, ut

ut non tantum primariæ dignitatis Cives *Auguſtani* (quod ſuperius monui) filios ſuos eius inſtitutioni committerent, ſed et e variis *Germaniæ*, *Italiæ*, *Belgii*que civitatibus plurimi juvenes, HOESCHELII gratiâ, Auguſtam advenerint, eius præceptiones avidîs auribûs imbibituri, eóque duce ad perfectam linguæ græcæ cognitionem graſſaturi. Quod ipſum ab his eò commodius fieri potuit, quòd, cùm novum & ſplendidum illo tempore Gymnaſii ædificium, veteri ruinam minitante, excitaretur, ædes *Rectoris* HOESCHELII ita adaptatæ fuerint, ut peculiaribus conclavibus peregrini diſcipuli in contubernium convictúmque *Noſtri* recipi, ſicque amatis ſtudiis vacare opportunius quirent. Inclaruit itaque magnopere ſub *Rectore* tanto feliciſſimum Gymnaſium, diſcipulosque eò venientes patriæ, imo orbi litterato reddidit, ùt omni artium cultura expolitos, ita præcipue græcè doctiſſimos (*u*). Hæc de HOESCHELII meritis ſcholaſticis.

Iam ad graviora deveniendum mihi eſt. Memini, in *Alphabeto* K. meæ *Bibliothecæ Auguſtanæ*, *p.* 11. monuiſſe: id curæ *Xyſto* BETULEIO abs patrio Senatu fuiſſe impoſitum, ut ille, ex monaſteriorum *Auguſtæ* mutatæ Religionis occaſione deſertorum Bibliothecis, libris in unum locum congeſtis *publicam quandam Bibliothecam* excitaret: idque abs BETULEIO ita præſtitum fuiſſe, ut iſte apparatus non ſpernendis incrementis auctus ſit. Nova ſubin, eáque admodum magnifica ad hunc litterarium theſaurum acceſſio facta eſt annô 1544. quô *Senatus Auguſtanus* (fors eodem BETULEIO pro eo, quem fovit, erga græcas litteras amore: pro-

(*u*) Hæc iisdem fere verbis BRUCKERUS, cui conſentiunt FREHERUS & CROPHIUS.

proque ea, quam habuit, linguæ huius peritia certe maxima, ſuadente (*) atque urgente) abs *Antonio Eparcho*, Episcopo *Corcyrenſi* Codices manuſcriptos græcos per Philippum *Waltherum*, *Venetiis*, pretio *octingentorum florenorum auri* coëmit (*x*). Poſt BETULEIUM huic *Bibliothecæ* præfuit *Hieronymus* WOLFIUS, poſt WOLFIUM *Georgius* HENISCHIUS, Viri doctiſſimi, qui illam propriis ingenii ſui fætibus, iisque eruditiſſimis, locupletare minimè neglexerunt (*y*).

Ad hoc autem Muſarum ſacrarium primus *Noſtro* acceſſus vel ante annum 1587. vel certe anno 1587. conceſſus: et horum *Codicum* (puta *græcorum*) *utendorum copia Senatûs Auguſtani liberalitate facta eſt*; quod gratiæ genus, ſibi collatum, mox grato animo publice profiteri voluit in *Dedicatione* ad *Homilias quasdam ſacras &c.* annô 1587. â ſe editas, de quibus vide in *Catalog. Opp. Noſtri*, *No. II.* Egregiè vero uſus eſt hac *Senatûs* benevolentia *Noſter*, tum ad ſui nominis gloriam privatamque utilitatem, tum ad univerſæ Reipublicæ litterariæ emolumentum; quandoquidem horis, quas a docendi munere habuit vacuas, in id ſtrenuè incubuit, ut ineditos græcos Scriptores plures deſcriberet, deſcriptos Adnotationibus, Lectionibus variantibus, aliisque modis apte ornaret, et ſic ornatos typi ope in publicum educeret.

Hac

(*) Hoc ſuaſu WOLFII factum affirmat CROPHIUS *l. c.* ſed ei fidem non habeo; cum WOLFIUS primùm poſt *Auguſtam* venerit, quàm iſtud contigit.

(*x*) V. *Pauli à* STETTEN *Chronick von Augſpurg. T. I. p.* 374.

(*y*) V. WENDLERI *Diſſert. I. de Merit. Reipubl. Auguſt. p.* 43 - 46.

Hac ratione cùm pulcherrimæ HOESCHELII dotes in dies magis magiſque clareſcerent, permoti Patres patriæ ipſam Bibliothecam curæ eius committendam eſſe judicârunt. Quo id maxime tempore contigerit, incertum eſt, variantibus inter ſe Auctoribus, qui res *Noſtri* perſcripſerunt. *Iacobus* BRUCKERUS (z) hanc ſpartam mature poſt WOLFII obitum (Obiit is anno 1580.) HOESCHELIO traditam fuiſſe, inde colligit, quod annô 1589. ESPRINCARDO Bibliothecam monſtraverit. At HOESCHELIUS facere iſtud, exoratus à *Georgio* HENISCHIO, qui Bibliothecæ tum præfectus erat, et fors praxeos clinicæ negotiis, aut ætatis ingraveſcentis incommodis impeditus fuerat, potuit. Ad de PLACIUM in *Theatro Anonymorum* nº. 1046. ex COLOMESIO affirmare: *Eſprincardum* primum anno 1598. *Auguſtam* tranſiviſſe, Bibliothecamque inſpexiſſe: qui anni numerus ſi ſtet, nec inter ſphalmata vel ſcriptoris, vel typographi accenſeri poterit, tota argumenti *Bruckeriani* vis corruit. Quare *Philippo Iacobo* CROPHIO (a) fidem adjungere malim, affirmanti: *Noſtrum* anno 1593. quô *Rectoratum* capeſſivit, ſimul et HENISCHIO adjunctum fuiſſe, & *Bibliothecæ* curam adminiſtrationémque ſuſcepiſſe. Hanc dignitatem *Noſtrò* abrogare voluit WENDLERUS (b) dicens: *probari non poſſe, quod is nomen iſtud publica auctoritate geſſerit.* Sed contra *Iac.* BRUCKERUS infert: „ *Noſtrum* in *Actis ſcholaſticis* expreſſis verbis *Bibliothecarium* dici, et, „ quod re vera is fuerit, vel ex uno *Catalogo MSS.* „ *Codicum Bibliothecæ*, à *Noſtro* confecto, evinci „ poſſe:

(z) Loco citato, pag. 453.
(a) Itidem *loco citato*, p. 180. 181.]
(b) In *Diſſertat. I. de Merit. Reip. Auguſt.* p. 47.

„ poſſe : Recte itaque à *Colomeſio*, *Baylio*, *Spize-*
„ *lio* Bibliothecarium nominari “.

Certe maximo litterati orbis commodo accidit, ut iſtnd munus *Noſtro* conferretur ; qui hac ratione campum ampliſſimum nactus ſibi videbatur, in quo, pro ſingulari ſua eruditione, ſollertia. dexteritate, vagari impigre atque exſpatiari quam latiſſime poſſet ; adeo ut *in eo munere obeundo an vel fide et dexteritate candidiorem ; vel eruditionis litterariæ, præſertim Pelaſgæ, divitiis inſtructiorem, vel inſerviendi voluntate promptiorem celeberrima iſta Bibliotheca nanciſci unquam potuerit, merito dubites ? Cum enim apud* Ioannem & Marcum Velſeros, Chriſtophorum & Quirinum Rehlingeros, Octavianum Secundum Fuggerum, Io. Iacobum Remboldum, *ſummis tum Duumviratûs honoribus functos aliosque plures gratiâ plurimum valeret, facile impetravit*, Marco, *quem dixi*, *maxime* Velſero *tunc Conſule*, *dein Septemviro*, *denique Duumviro*, *Viro artis criticæ & philologicæ eruditionis per id ætatis facile principe*, *opitulante*, *ut optimis libris theſaurus ille librarius augeretur. Hinc tanta optimorum & rariſſimorum Operum copia: hinc tanta librorum græcorum præſtantiſſimorum*, *ex* Aldina, Stephaniana, Iuntina, Plantiniana *officinis profectorum vis*, *quâ ad aliarum invidiam Bibliotheca patria etiamnum ſuperbit. Nec dubium, quin* Hœſchelii *quoque hortatu factum ſit*, *ut* Marcus Velſerus, *triennio ante Noſtrum fatis functus, ampliſſimam Bibliothecam ſuam poſtremis voluntatis ſuæ tabulis publicæ Bibliothecæ inferri* (*quod etiam ſub Noſtro factum eſt*) *juſſerit* (*c*) : de quo videas velim præſentis *Bibliothecæ Auguſtanæ Alphabetum II. p.* 200. ubi WENDLERI

(*c*) Hæc ex BRUCKERO et CROPHIO *ll. cc.* deſumpſi.

LERI de hac *Velſeriana* Bibliotheca præclarum elogium verbatim expoſui.

Triplici autem maxime modo de Bibliotheca ſibi concredita bene mereri conatus eſt HOESCHELIUS: videlicet dum *Catalogum græcorum Codicum* in ea extantium confecit et publicavit: dum Viris litteratis ex ea variis modis ſuppetias rogatus, imo ultro (*) ac ſponte, tulit: dum ipſemet ex illa plurima inedita opera eruditione mira, inſolita diligentia produxit in lucem.

Ut de *Catalogo græcorum Codicum* primò agam — Abierant anni circiter *viginti*, ex quo Vir quidam eruditus (*d*) *græca* Bibliothecæ patriæ *cimelia* â ſe deſcripta orbi litterato communicârat ſequenti titulo: *Catalogus græcorum librorum manuſcriptorum Auguſtanæ Bibliothecæ: quem ea Reſpublica ideo edendum curavit, ut eos vel viris doctis interpretandos, vel diligentibus typographis* (*e*) *conferendos*,

(*) In huius rei confirmationem unus teſtis ſufficit CASAUBONUS, in *Epiſtola ad Noſtrum XXVIta.* ſcribens: *Allatum mihi eſt, habere te, Hoeſcheli doctiſſime!* Athenæi Epitomen MSStam. *Eò ſtatim adjeci Epiſtolæ jam ſcriptæ preces meas, ut eius libri uſum mihi ... concederes ... Sperabam ſane, quæ tua humanitas eſt, non denegaturum hoc te mihi, præſertim rogatum ... At ecce! opinione mea falſus ſum, tu enim petitionem meam non exſpectaſti: ſed ultro librum .. utendum miſiſti. O benignitatem obviam atque prolixam!*

(*d*) *Iac.* BRUCKERUS *Hieronymum* WOLFIUM fuiſſe, putat; quod is illo tempore Bibliothecæ curam habuerat. Ceterum hunc *Catalogum* pauciſſimis viſum eſſe, nec niſi duabus plagulis conſtare, idem BRUCKERUS affirmat: uti et ſolos librorum titulos breviſſime indicari.

(*e*) Mutârat ergo *Senatus Auguſtanus* ſententiam ſuam; nam cum prius *Senatus Baſileenſis* nonnullos iſtorum Codicum petiviſſet, â *Ioanne Oporino* deſcribendos, repulſam tulit. V. *Pauli à* STETTEN *Chronick von Augſpurg*, p. 374.

dos, *modo de iis ſartis tectis ſuo tempore reſtituendis caveant*, *ad augenda rei litterariæ commoda communicaret. in* 4to. *Auguſtæ Vindel. Ex officina Michael. Mangeri.* 1575. Hanc propenſam Erud..is obſecundandi voluntatem conſiliumque vere nobile proſequens Senatus *Auguſtanus*, cùm, mox memoratus, *indiculus* ſive hiulcus eſſet ſive inveniri amplius haud poſſet, auctore maxime *Marco* VELSERO, in mandatis HOESCHELIO dedit, ut novum horum *Codicum Catalogum* conficeret: quem is juſſa exſequens poſtquam publicavit, non hiſtoricè ſolum, ſed criticè etiam elaboratum (*f*), ita placuit Eruditis, ut honorificentiſſimis eum judiciis paſſim exornarint: quæ quo minus hôc locô fuſius proponam, temperare mihi plane nequeo. Ab *Antonio* POSSEVINO (*g*) inter præſtantiſſimarum Bibliothecarum *Indices* accenſetur. COLOMESIUS (*h*) affirmat: *Nous n' avons point de Catalogue des Manuſcripts plus docte*, *ni mieux digéré*, *que celui-ci. Auſſi a-t-il été dreſſé par David Hoeſchelius*, *ce celebre Bibliothecaire d' Augsbourg*, *où les Savans paſſent jamais*, *ſans rendre hommage a la Bibliotheque et a celui*, *qui en avoit la direction* (*i*). BAYLIUS (*k*) inquit: *Le Catalogue des Manuſcripts grecs de cette Bibliotheque compoſé de Hoeſchelius & publié l' an*

(*f*) Vide inferius in *Catalog. Opp. Noſtri*, *No. XVII.*

(g) In *Appendice ad Apparatum ſacrum.*

(*h*) In *Bibliotheque choiſie.*

(i) Iſta latinè ſic reddi poſſunt: *Non habemus Catalogum MSStorum hôc aut doctiorem*, *aut digeſtum meliùs. Confecit autem illum David Hoeſchelius celebris ille Bibliothecarius urbis Auguſtæ*, *quam Eruditi non tranſeunt*, *quin Bibliothecæ*, *et illi*, *qui huic præeſt*, *homagium profiteantur &c. &c.*

(k) In *Dictionnaire hiſtor. & crit.*

an 1595 *eſt de main de maitre* (*l*). *Io. Alb.* FABRICIUS (*m*) hunc *Catalogum* veteri illo anni 1575. *longè meliorem locupletioremque* appellat. *Antonius* REISERUS in *Præfat. ad Catal.* teſtatur : *Indicem hunc non tantùm copiâ præſtare, ſed et quoad methodum et formam non paucis gaudere prærogativis &c. Adrianus* BAILLETUS (*n*) poſtquam ſuperius allata COLOMESII verba adduxerat, eundem in ſequentia verba addentem inducit: *Et qu' effectivement Dav. Hoeſchelius étoit de plus propres du monde pour gouverner une bibliotheque* (*o*). Hæc de *Catalogo.*

Quid jam de HOESCHELII erga Litteratos voluntate, pronóque eorum incœpta adjuvandi ſtudio, certe maximo, dicam? Videtur mihi ille ê Bibliotheca ſibi credita, veluti e quadam ſpecula, benevolentiæ, aſſiduitatis et doctrinæ ſuæ radios per totum orbem ſparſiſſe. Aliis Litteratorum Codices manuſcriptos utendos transmiſit. Alios Lectionum variantium, ex iisdem Codicibus multa diligentia excerptarum, compotes fecit. Aliis denique, tranſmiſſis doctìs obſervationibûs ſuîs, lucem prætulit, eorúmque dubia diſſolvit. Liceret mihi, Lector! in confirmationem dictorum, nubem teſtium provocare; ſin minus hoc in alium locum ſervarem, quô amicos *Noſtri* longiori ſerie nominabo. Iſtud inpræſentiarum monuiſſe ſufficiat, nullum fere eius ætatis exſtitiſſe litteratum Virum: qui

(*l*) Latinè : *Catalogus MSStorum. græcorum huius Bibliothecæ ab Hoeſchelio compoſitus, editusque in lucem anno* 1595. *partus eſt magiſtri in arte*, ùt aiunt.
(*m*) In *Biblioth. græc. T. XIII. p.* 533.
(*n*) In *Iugemens des Savans*, T. *II. P. I. p.* 214.
(*o*) Latinè : *Et quod revera Hoeſchelius omnium aptiſſimus fuerit, qui Bibliothecam regeret.*

qui non aut per litteras aut coram HOESCHELIUM convenerit: non eius ſententiam exquiſiverit: non eius opem flagitandam ſibi duxerit.

Iſtîs erga doctos officiîs non contentus HOESCHELIUS, ſuarum maxime partium eſſe cenſuit, ut ipſemet ad venerabiles illas antiquitatis reliquias excutiendas, ſuâque operâ publicandas aggrederetur: quod ipſum favente is Minervâ, feliciſſiméque perfecit. *Hinc tot veterum Græcorum Scripta, è carcerum et pulveris ſquallore producta. Hinc tot emendationes Auctorum græcorum, accurato judicio multaque criſi factæ. Hinc tot eius doctiſſimæ Adnotationes, in quibus nihil ſuperflui eſſe recte* COLOMESIUS *monuit, & quibus tot Fragmenta anecdota è manuſcriptis deſumpta apte interſeruit;* uti teſtatum reliquit *Iac.* BRUCKERUS: & ſubſequens *Catalogus Operum Noſtri* tum evidentiſſimè, tum copioſiſſimè demonſtrat. Præſtitit autem hæc omnia HOESCHELIUS *pro ſingulari, quæ ipſi inerat,* εὐστοχίᾳ (p) *et* ἀγχινοίᾳ (q) *quibus adjutus locis deſperatis medicinam ſæpiſſime attulit. Præſtitit pro vaſtiſſima græcorum Scriptorum lectione, quâ exercitatiſſimus* παραλληλισμοὺς (r) *Veterum plerumque in margine adnotavit* (s). Præſtitit deinde ſumma quoque fide, quam *Fronto* DUCÆUS, *Jeſuita* doctiſſimus, in *Notis ad Homilias S. Chryſoſtomi* prædicans, ait: *Licet noſtræ Communionis non ſit, bona tamen fide textum exhibuit*; adeo ut HOESCHELIO laus ea maneat propria: quod tum eccleſiaſticæ, tum profanæ

(p) Ac ſi dicas: *dexteritas in conjecturando.*

(q) Sonat idem, atque *ingenii acumen.*

(r) Puta: *ubi Veteres ſecum mutuo conſentiunt, aut verbo ac dictionibus ſibi mutuo reſpondent.*

(s) Hæc BRUCKERUS *l. c. p.* 459.

ſanæ Reipublicæ commodo maximo ex Bibliothecæ *Auguſtanæ* penetralibus et *Scripturæ libros*, & *Patres*, & *Philoſophos*, & *Hiſtoricos* ſacros ac civiles, & *Grammaticos*, aliaque vel primùm eduxerit in lucem, vel ſaltem emendatiora & redintegrata, addito textu originario, vulgârit.

Quemadmodum *Noſter* ſategit, ut Libri, a ſe edendi, quam emaculatiſſimi, modisque omnibus perfecti exirent; ita haud ſegnius ſtuduit, ut iidem quam nitidiſſimi, nec ſine externa ſpecie ac venuſtate quadam, in publicam lucem emergerent. In eum finem hortator extitit *Marco* VELSERO, ut *Typographiam ad inſigne Pinûs* conderet, tum ab hoc celeberrimo Muſageta, dum opes ei ac vita manſerunt, tum aliis magnis Viris per viginti, et quod excurrit, annos multis impenſis ſuſtentatam, *ex qua, elegantiſſimis typis græcis atque latinis, operam commodantibus egregiis typographis Ioanne Prætorio, Davide Franckio, Chryſoſtomo Dabertzhofero*, vel *Daberio* (Hoc ſe nonnunquam nomine vocavit) & *Michaele Mangero præſtantiſſimæ lucubrationes non* HOESCHELII *duntaxat, ſed aliorum quoque doctorum virorum mundiſſimo habitu, chartâque pulchra, ſolida*, albicante *prodiverunt*: quæ editiones omnes *rarioribus*, nonnullæ *rariſſimis* libris accenſeri ſolent, nec *Hoeſcheliano* ſolum nomini, ſed etiam urbi *Auguſtæ* perennaturam gloriam jure meritiſſimo conferunt. Eſſet, cur hôc loco pauliſper vagarer, pluribúsque de iſta *Typographia* tractarem; niſi hoc ante me alii, nec indocte, præſtitiſſent: uti *Io. Georg.* SCHELHORNIUS *ſenior* (t), dein & *junior* (u), *Iac.*

B 2

(t) In Libro: *Ergözlichkeiten. IX. St.*

(u) *Beyträge zur Erläuterung der Geſchichte. IV. St. p.* 177. *ſeqq.*

Iac. BRUCKERUS (*x*), atque *Georg. Guil.* ZAPFIUS (*y*) quorum *Obſervationes* non probare non poſſum; unum ſi demas, nimirum quod huius *Typographiæ* originem anno 1594. illigent: quam in annum ſequentem (1595) rejiciendam eſſe cenſeo, nec male (ut puto) in ſubſequenti *Catalogo Operum Noſtri*, *N*[is.] *XV. & XVI.* evinco. Sed ad *Noſtrum* revertatur oratio.

Ut melius capias, Lector benevole! quomodo ad id doctrinæ faſtigium, ad tantam eruditionis famam pertigerit HOESCHELIUS, ſcias velim, id duabus maxime rebus effectum eſſe: videlicet propenſo Optimatum favore, et dulci litteratorum Virorum amicitia. Inter fautores ac patronos *Noſtri* nominandi mihi ſunt Matthæus, et Marcus *Velſeri* (*z*): Antonius *Fuggerus* (*a*): Wolfgangus *Palerus* Patritius Auguſtanus (*b*): Ioannes Georgius, Daniel, Ioannes Iacobus, & Jeremias *Oeſterreicheri* (*c*): Nicolaus, & Sigiſmundus *à Burghauſen* Equites Sileſiaci (*d*): Ioannes *Græmus* Comes in Montrois (*e*): Albertus *à Stetten* (*f*): Bonaventura *Bödeccerus*, Elcoviæ Dominus, Conſiliarius Cæſareus (*g*): Caſparus & Melchior *Erhardi* Cives Auguſtani (*h*): Carolus *Rehlingerus* (*i*): Io. Matthæus *Wacke-*

(*x*) In *Miſcellaneis Hiſtor. philoſ. crit. litter. p.* 455.

(*y*) In *Buchdrucker-Geſchichte von Augſpurg. T. I. ſub finem.* Confer etiam, ſi lubet, quæ ego monui in *Alphabeto II. Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ*, p. 198.

(*z*) De Matthæo *Velſero* vide infra in *Catalogo Opp. Noſtri*, *N. I. IV.* De *Marco* non attinet pluribus dicere; quis enim eſt, qui neſciat, eum HOESCHELIO quam impenſiſſime faviſſe?

(*a*) V. *Ibidem*, *N. VI.* (*b*) V. *Ibidem*, *N. XI.*
(*c*) V. *Ibidem*, *N. XII.* (*d*) V. *Ibidem*, *N. XX.*
(*e*) V. *Ibidem*, *N. XXIV.* (*f*) V. *Ibidem*, *N. XXV.*
(g) V. *Ibidem*, *N. XXIX.* (*h*) V. *Ibidem. N. XXXIII.*
(*i*) V. *Ibidem*, *N. XXXVII.*

Wackerus à Wackenfels Eques, & Conſiliarius cæſareus (*k*): Andreas *Bohemus* vel *Behem* ſenior (*l*): *Senatus* univerſus tum *Auguſtanus* (*m*), tum *Norimbergenſis* (*n*).

Amici autem *Noſtro* fuere plurimi, iique doctrinæ laude per illa tempora florentiſſimi. Horum e numero ſunt Georgius *Laubius* perdoctus Medicus Auguſtanus (*o*): Theodorus *Canterus* Juriſconſultus (*p*): Joachimus, & Philippus *Camerarii*, filii Joachimi Camerarii ſenioris (*q*): Adolphus *Occo III.* editis libris percelebris Medicus Auguſtanus (*r*): Iacobus *Monavius* Juriſconſultus (*s*): Hieronymus *Commelinus* doctus Typographus (*t*): Franciſcus *Raphelengius* itidem eruditus Impreſſor librorum (*u*): Io. Georgius *Herwartus* ab Hohenburg maximi nominis Vir (*x*): Conradus *Ritterſhuſius* (*y*): Thomas *Segethus* Scotus (*z*): Io. Georgius *de Werdenſtein* Canonicus cathedralis (*a*): Gregorius *Berſmannus* (*b*): Marquardus *Freherus* (*c*): Robertus *Thomſon* Anglus (*d*): *Duackerus* (*e*):

 Lau-

(*k*) V. *Ibidem*, *N. XXXIV.*
(*l*) V. *Ibidem*, *N. XXXVI.*
(*m*) V. *Ibidem*, *N. II. III. XXIX. XXXIX.*
(*n*) V. *Ibidem*, *N. XXXVIII.*
(*o*) V. *Ibidem*, *N. V. XIV.* (*p*) V. *Ibidem*, *N. XVI.*
(*q*) V. *Ibidem*, *N. XIII.* (*r*) V. *Ibidem*, *N. XIV.*
(*s*) V. *Ibidem*, *N. XV.* (*t*) V. *Ibidem*, *N. XVII.*
(*u*) V. *Ibidem*, *N. XXI.* (*x*) V. *Ibidem*, *N. XXVIII.*
(*y*) V. *Ibidem*, *N. XXXI.*
(*z*) V. *Ibidem*, *N. XXIX.* & in *Epiſtolis Noſtri* inferius dandis.
(*a*) V. *Ibidem*, *N. XXX.*
(*b*) De hoc in *Vita ſuperiùs* dictum, pag. 7.
(*c*) Vide in *Catalogo Opp. Noſtri*, *N. XXXII.*
(*d*) V. *Ibidem*, *N. XXXIV.*
(*e*) V. *Ibidem*, *N. XXXV.*

Laurentius *Rhodomanus* (*f*): Ioannes *Meurſius* (*g*): Fridericus *Sylburgius* (*h*): Henricus *Savilius* (*i*): Wolfgangus *Seberus* (*k*): Henricus *Stephanus* (*l*): Ioannes *Kirchmannus* (*m*): Fronto *Ducæus* (*n*): Daniel *Heinſius* (*o*): Theodorus *Zvingerus* Medicus Baſileenſis (*p*): Ioannes *Caſelius* (*q*): Iacobus *Schegkius* (*r*): Juſtus *Lipſius* (*s*): Bonaventura *Vulcanius*: Paulus *Merula*: Ioannes *Livineius*: Tobias *Adami*: Janus *Gruterus*: Godefridus *Iungermannus*: Elias *Putſchius*: Ioannes *Weitzius*: Henricus *Wottonius* (*t*): Georgius *Heniſchius*: *Van de Myle*: Conradus KIRCHERUS, de quo peculiari paragrapho inferius agam: Petrus *Pantinus*: aliique innumeri, omnes in omni doctrinæ genere excellentiſſimi Viri. His adjungendi veniunt nonnulli, qui arctioris, imo arctiſſimæ amicitiæ vinculis *Noſtro* cohæſerunt, uti Andreas *Schottus*, Jeſuita cumprimis doctus: *Iſaacus Caſaubonus*, cuius plusquam *quinquaginta* Epiſtolas ad *Noſtrum* etiamnum habemus, in queis multa *Noſtrum* docuit, et viciſſim â *Noſtro* doceri petivit; in quibus omnia ferme docta ſua conſilia cum *Noſtro* contulit, atque

(*f*) V. *Ibidem*, *N. XXXVII.*

(*g*) Vide *infra*, ubi de *Epiſtolis Noſtri* ago.

(*h*) Vide in *Catalogo litterariorum laborum Noſtri*, *qui alienis Operibus acceſſerunt*, *n.* 1.

(*i*) V. *Ibidem*, *n.* 2. (*k*) V. *Ibidem*, *n.* 4.

(*l*) V. *Ibidem*, *n.* 5. (*m*) Vide *infra*, ubi de *Epiſtolis Noſtri* ago.

(*n*) Vide infra in *Catalogo Operum â Noſtro promiſſorum*, *n.* 1. (*o*) V. *Ibidem*, *n.* 4.

(*p*) Vide in *Epiſtolis Noſtro ad Remum*, *infrâ* exhibendis, *N. VI.* (*q*) V. *Ibidem*, *N. VI.*

(*r*) Ita teſtatur *Noſter* in *Notis* ad *Horapollinis Hieroglyphica* â ſe edita.

(*s*) V. Juſti *Lipſii Opp. Tom. III. p.* 364.

(*t*) V. *Bruckerum l. c. p.* 458. & *Crophium l. c. p.* 184.

que communicavit. Ioſephus *Scaliger*: Georgius *Remus* Patritius Auguſtanus, Jurisconſultus & Conſiliarius Norimbergenſis Reipublicæ, quem inter intimiores *Noſtri* amicos annumerandum eſſe, ſi alia deeſſent omnia, vel ſolæ XVI. *Epiſtolæ* â me *inferiùs* exhibendæ commonſtrant: Marcus denique *Velſerus*, ſtudiorum *Noſtri*, et eorum, quæ præſtitit, incentor, dux & adjutor ſummus: qui annua quoque penſione HOESCHELIUM donavit, notante GUNDLINGIO in *Hiſtorie der Gelehrtheit. p.* 1483. Nec intra ſolius *Latii* limites hærendum, ſed in *Græciam* quoque excurrendum mihi eſt, ubi *Noſter* Maximum *Margunium* doctiſſimum Epiſcopum *Cytherenſem*, et, huius haud dubie interventu ſibi conciliatos, Conſtantinum *Lucarim* & Leontium *Euſtratium* longe amiciſſimos habuit (*u*).

Ab his omnibus, uti poſterorum etiam temporum Eruditis, HOESCHELIUS et habitus eſt maximi, et honorificentiſſimis teſtimoniis ornatus: quæ ſi hôc locô paulo fuſius expoſuero, et Lectoribus meis pergratam, et famæ *Hoeſchelianæ* peraccomodam me rem facturum exiſtimo. A CASAUBONO Noſter *græcarum litterarum peritiſſimus*, *& Vir judicii recti* vocatur. SCALIGERUS, *de Photio* â *Noſtro* edito loquens, hoc ei elogium ſcripſit: *Tam egregium Scriptum non alio editore dignum erat, quam te; qui, tot bonorum auctorum editione, et eruditionem tuam & propenſum in litteras animum teſtari volueris.* Caſpar SCIOPPIUS (*x*) teſtatur: *eum abiturientes ex Germania Græcas litteras reprehendiſſe.* Conſtantinus LUCARIS, & Leontius EUSTRATIUS hoc *Noſtrum* encomio mactant: *græcas litteras ex Græcia*

(*u*) Hæc affatim teſtata habes, Lector! in *Catalogo Opp. Noſtri* brevi ſecuturo.

(*x*) In Libro: *de Arte critica*, *p.* 19.

cia exultantes in Hoeſchelio Auguſtæ domicilium eſſe nactas. Elogia, quæ in *Noſtrum* contulit *Marguius*, cum ſint quamplurima, ſtudioſè prætereo. In Libro: *Clariſſimorum litteris, ingenio, fama Virorum Effigies. Auguſtæ. fol.* 1612. (ubi et *Noſtri* viſitur, exhibens Virum gravem, honeſti et recti amantem, probum, moderatum) appellatur *magni illius Hieronymi Wolfii olim diſcipulus, nunc tanto magiſtro, liceat dicere, nulla celebritatis parte inferior.* Io. Alb. FABRICIUS (*y*) de *Noſtro* ait: *Poſt Camerarium neminem novi, qui inter Germanos tantum græcas litteras amplificaverit, atque in lucem protractis variis præclaris monumentis, eorumque collectionibus tam bene fuerit de elegantioribus ſtudiis promeritus, quem Dav. Hoeſchelius.* Henricus SAVILIUS (*z*) *non ſolum doctum ſed et acutum Virum* appellat. *Noſtri* ſequentibus etiam Adrianus BAILLETUS(*a*) meminit: *Multas editiones Auctorum Græcorum curavit: multas Notas, Lectionésque variantes addidit; ſed an multa traduxerit, neſcio. Ego novi Verſionem* Hieroglyphicorum Horapollinis, Homeliarum S. Chryſoſtomi adverſus Judæos, *Vitæ S. Antonii* ab *Athanaſio* ſcriptæ. Juſtus LIPSIUS vocat eundem *Virum eruditum et induſtrium.* Daniel HUETIUS affirmat: *præclarum quoque* Interpretando *ſibi paravit nomen David Hoeſchelius, quo quum nemo eruendis Antiquorum Scriptis felicius incubuerit, tum in iis latine quandoque reponendis vix ulli primas conceſſit. Quod ſi ſententias non aliquando com-*

(*y*) In *Biblioth. græc. T. XIII. p.* 532.

(*z*) In *Præfat. ad Notas*, Tomo V. *Chryſoſtomi* præfixas.

(*a*) In *Jugemens des Savans. T. II. P. III. p.* 409. Errat autem ibi *Bailletus*, inquiens: primam tantum *Homiliam in Judæos* excuſam fuiſſe.

compleret de ſuo (*quæ aliàs eius eſt in rependendis verbis diligentia*) *ceterorum luminibus obſtrueret.* KOENIGIUS Noſtrum *celebrem Philologum* nominat, addens: *Edidit Siracidem cum Notis; complures græcos Auctores* (*Procopium, Photium &c.*) *protraxit in lucem, adeoque de re litteraria optime meritus eſt.* INDEX *Librorum expurgandorum Madritanus anni* 1667. tale *Noſtro* teſtimonium tribuit, ut ſatis pateat, eum ſingulari in ſcribendo moderatione uſum eſſe. Eſt autem ſequens: *Hoeſchelius, Lutheranus licet, varia edidit veterum Auctorum græcorum Opuſcula cum Scholiis, in quibus vix occurrit, quod offendat: exceptis Epiſtolis dedicatoriis, quæ plerumque ſunt ad hæreticos.* SPIZELIUS ſequenti encomio, certe maximo, ornat: *Fuit, atque eſſe nunquam deſinet in doctorum memoria luci- diſſimum non Germaniæ ſolum, ſed et totius Europæ ſidus, quod ſummi paſſim viri magnifecerunt & admirati ſunt. Omnes Davidem Hoeſchelium ſuſpexerunt, eiusque certatim ambierunt amicitiam et familiaritatem. Hunc græcarum litterarum phoſphorum; hunc ruenti Græciæ divinitus ſuſcitatum tibicinem; hunc veterum librorum reſtitutorem,*

Lateri propior quo nemo Minervæ,

Gratior aut Phœbi, Pieridumve cliens fuerit,

crebro ſalutârunt; hunc immortali laude digniſſimum eſſe judicarunt, eoquod egregium de Republica litteraria bene merendi animum nunquam depoſuiſſet (*b*). Idemque SPIZELIUS (*c*) adjungere non dubitavit: *Præcipuum induſtriæ ſuæ curriculum* Hœſchelius *usque ad extremum vitæ ſpiritum in erudienda exercendaque in bonis litteris juventute* Auguſtana *conficiebat, non ignorans, quanta vis in prima illa inſtitu-*

(*b*) Hæc ex POPE-BLOUNTII *Cenſura*, *p.* 632.

(*c*) In *Templo honoris reſerato*, *p.* 329.

ſtitutione ad reliquum vitæ curſum ineſſet ; tamque apte et eleganter hoc faciebat , ut nihil aptius : nam in iis ſcriptionibus , in quibus adoleſcentes exercebat , nil niſi grave , eruditum , fructuoſum continebatur , et ex Græcis cumprimis auctoribus , quos interpretabatur , ſententias , ad mores componendos idoneas , eligebat , fuſiusque explicabat ; quinimo in munere ſcholaſtico annos ſex et triginta ita exegerat , ut tum diſcipulis ſuis , tum aliis exemplum eſſet probitatis , modeſtiæ , humanitatis , virtutumque omnium. Sinceram Hœſchelii *pietatem tum domi , tum foris , gratamque gravitatem , et erga ſingulos humanitatem ac benevolentiam nemo complecti oratione poſſet , etiamſi vellet. Et quam præclare quamque feliciter demandatæ ſibi functioni ſatisfecerit , plurimi teſtari poſſunt Viri eruditi , qui e variis* Germaniæ , Italiæ , Belgii*que civitatibus* Hœſchelii *gratia* Auguſtam *ſe contulerunt , quibus Viri huius inſtitutione uti , inque lingua græca proficere curæ et cordi fuit. Vere de illo dici poteſt , quod :*

Mille foro dedit juvenes , bis mille miniſtrorum
Adjecit numero , purpureæque togæ.

Cum inſuper celebratiſſimæ Bibliothecæ Auguſtanæ *adminiſtratio ipſi eſſet demandata , omni virium niſu eius procuravit incrementum ; nec ulli parcens labori , libros excuſos pariter ac manuſcriptos , maxime græcos , melioris item notæ Authores , ac librorum editiones conquiſivit ; ſicque Bibliothecam* Auguſtanam , *veluti publicum aliquod ærarium , inſtruxit ad omnium promiſcue indigentiam ſublevandam. Et cum rariſſimorum* Codicum MSS. Græcorum, *magno ære ab* Antonio Eparcho *Epiſcopo* Corcyrenſi *coëmptorum copiam eſſet conſecutus , maximam curam adhibuit , ne theſaurus iſte librarius in arcanis Bibliothecæ huius receſſibus , veluti in perpetuo quodam cuſtodire-*

ſtodiretur carcere; ſed in publicam etiam lucem, magno cum totius Reipublicæ litterariæ bono et commodo, prodiret.

Nihil itaque famæ *Hoeſchelianæ* officient, puto, quæ adverſus eum in *Scaligerianis ſecundis, p.* 112. minus honorifica legere eſt: *Hoeſchelius Lutherien, mais docte; Si Velſer ne le ſoûtenoit, on l' auroit deja chaſſé: Il eſt bien pedan, mais bon homme: Hoeſchelius en ſon Procope a fait imprimer des fragmens de mes lettres, et de celles de Caſaubon: Hoeſchelius non eſt magnus Græcus, ſed diligentiſſimus.* Hucusque *Scaligeriana.* Latinè: *Hoeſchelius Lutheranus, ſed doctus: Niſi eum Velſerus tueretur, jam expulſus fuiſſet: Putide litteratus eſt, attamen vir bonus: In Procopio ſuo fragmenta litterarum mearum & Caſauboni imprimi fecit &c. &c.* Nihil hæc, inquam, officient famæ *Noſtri*: ſed enim *Scaligeri* ipſius, qui parùm ſibi conſtare, inde aperte dignoſcitur; præſertim cùm, præter ſuperiùs allegatum encomium, etiam ſequens in *Epiſt.* 389. HOESCHELIO ſcripſerit: *Quantum et hoc præſens, et futura ſæcula tot bonis Auctoribus, quos edidiſti, demerearis, ſcriberem tibi; niſi ſcirem, te hoc non facturum: niſi intelligeres, quantum eò ipſò litteras juves, quæ per negligentiam quotidie pereunt.*

Sed encomiorum ſatis — Plura adhuc quisquis ſibi cupit, adeat MAGIRUM in *Eponym. crit.* BOECLERUM in *Bibliograph. crit.* IO. FABRICIUM in *Hiſtor. Biblioth. ſuæ.* NICERONII *Memoires pour ſervir à l' Hiſtoire des Hommes illuſtres &c. T. XXVIII.*

Nil miror poſthæc, tali Viro, qualis HOESCHELIUS fuit, ab aliis quoque Rebuspublicis honores decretos fuiſſe. Sic *Baſilea* eum ſibi petivit, uti CROPHIUS diſerte teſtatur: Sic & *Norimberga* ſuum eſſe voluit, docendæ, *Altdorfina* in Academia, mor-

moralis doctrinæ muneri præficiendum (*d*). Sed neutrâ harum vocationum (ſive nolente *Noſtro*, ſive aliis id præpedientibus) exitum ſortiente *Auguſtæ* reſtitit HOESCHELIUS, ubi anno 1614. ſummum amicum & patronum ſuum *Marcum* VELSERUM, morte ſibi ereptum, luxit: quo caſu uti *Muſæ inſanabile vulnus acceperant*, ita & HOESCHELII vena, ſatis hactenus fæcunda, exaruit. Supervixit is quidem triennium, cuius ſpatiô adjuvandæ juventuti & amicis colendis, æque ac in omni vita, ſtuduit (*e*). Interim vel tunc litterarum curam haud adeo ſepoſuit, ut de vulgandis nonnullis plane ultra non cogitaret. Etenim ex *Epiſtola XV.* inferius danda diſcimus, eum anno 1616. *Proverbia Salomonis* ad modum *Eccleſiaſtici* â ſe emiſſi, publicare ſecum conſtituiſſe: ſed hoc propoſitum, interveniente *Noſtri* morte, præpeditum fuiſſe merito dolemus.

Fuit autem *Davidi* noſtro annus â reparata per divinum Redemptorem ſalute MDCXVII. vitæ huius mortalis poſtremus; quo ipſo ad diem XIII. Calend. Novembris humano conſortio valedixit. Etſi vero inter homines eſſe deſierit HOESCHELIUS, tamen merita eius & laus manent, manebuntque, quamdiu Reſpublica litterata ſtabit, et ſuus bonis litteris ſtudiisque gravioribus honor erit.

Mortalitatis vero ſuæ probe ſibi conſcius *Noſter*, & horæ feralis oppido memor, vivus ſibi monumentum jam anno 1606. legerat ſequenti epigraphe:

S. D. S.

(*d*) V. CROPHIUM, *l. c. p.* 186. & BRUCKERUM, *l. c. p.* 458. Ex his concludes, quàm adductorum *Scaligeri* verborum fides vacillet?

(*e*) Conſule, ſi lubet, Epiſtolas *Noſtri* infrà exhibendas, *N. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII.*

OMNIS. CARO. FOENUM

DOMINUS. LUX. MEA. EST

S. D. S.
DAVID. HOESCHELIUS. A
ANNAEI. GYMNASII
PRIMARIUS
SPE. MINIME. DUBIA
LAETAE. RESURRECTIONIS
ET
GLORIAE. SECUTURAE
SUIS
JULIANAE. HUBERAE
CONIUG. AMANTISS
AC
LIBRORUM. OSSIBUS
HUNC. QUIETIS. LOCUM
AN. CHR. MDCVI. ELEGIT

DN. EDUCET. ME. IN. LUCEM

MEMENTO. EXTREMA

C. I. R. S
DAVID. HOESCHELIUS
AUGUSTANUS
PETRI. F. PETRI. N
GYMNASII. AD. D. ANNAE
RECTOR
EIUSQ. CONJUX
JULIANA
HIERONYMI. HUBERI. F
MATTHAEI. N
SIBI. AC. LIBERIS
SPE. CERTA
BEATAE. REPARATION
AN. GRATIAE. MDCVI
M. H. FF. CC

Cum

Cum autem mortuum *Ioann. Baptiſta*, & *Ioann. Fridericus* ê gente *Hainzelia*, litteris & litteratis ornandis nata, ſepulchro patrio inferri (quod honoris genus prius *Betuleio* & *Wolfio* exhibuerant) juſſiſſent, hoc ei Epitaphium poſuere (*f*):

DAVIDEM. HOESCHEL. AUGUSTANUM
PELASGAE. LITTERATURAE
ANTESIGNANUM
XYSTO. BETUL. ET. HIERON. WOLFIO
IOAN. BAPT. ET. IOAN. FRID
HAINZELII
FRATRES. E. VI. SUPERSTIT
IN PATERNO. MON
L. M. IUNGENDUM. CC
NASCITUR. III. ID. APRIL. A. MDLVI
OB. XIII. KAL. IXBR. AN. CHR. MDCXVII
SCHOLAE. ANNEAE. PRAEFUIT
ANN. XXXVI

Reliquum eſt, ut de rebus *Noſtri* privatis ſeu domeſticis pauca dicam. Annô 1581. die 24. Maii connubium iniit, uti CRUSIUS in *Annal. Suevic. Dod. III. p.* 777. disertè teſtatur, cum virgine *Regina Gunthlerina.* Hac (ut credibile eſt) brevî fatis defuncta, uxorem alteram duxit (quod audivimus) *Julianam*, Hieronymi *Huberi*, filiam, ex qua filios ſuſcepiſſe *Noſtrum* inde liquet, quod unum horum Iſaaco *Caſaubono*, amico ſuo præcipuo, commendârit, *Genevæ* collocandum: et quod *Caſaubonus* in *Epiſtola anni* 1602. hunc ſuum amicum de morte unius filiorum conſolari non omiſit. *M. Danielem* HOESCHELIUM inter didaſcalos ſcholæ *Annæanæ* ad annum 1611. lego. *Paulus* patri ſuper-

(*f*) V. PRASCHII *Epitaph. Auguſt. P. I. p.* 180. 218. 219.

ſuperſtes *Michaelem* genuit, quem M*agiſterii* honores Lipſiæ capeſſentem *Benedictus* CARPZOVIUS hisce affatus eſt:

Exoritur novus ergo ſacris ex oſſibus ultor
Hœſcheliæ *gentis, ſtirpemque inſtaurat avitam,*
Ac cineres animat magni, inſpiratque Davidis;
Quem dudum æternis extremo ſolis ab ortu
Vexit ad Heſperium nunquam moritura cubile
Gloria quadrigis: &, *quantum ſuſtulit urbes*
Magnificas inter caput alta Colonia *gentis*
Rhætorum, Vindone *ſuo perfuſa* Lycoque,
Tantum ipſe in doctis, longo quos ordine multos
Egregie fœcunda dedit, caput extulit: et ſe
Non mage Welſeris, atque iſto, jactitat illa.

& qui *Michael* anno 1569. in Gymnaſio *Annæanæ* docere cœpit, fatisque annò 1706. conceſſit (*g*).

Sed jam ad enumeranda Opera *Noſtri*, pergendum mihi eſt: quod eò libentiùs facio, quò in illis, per Bibliothecas indagandis, æquiorî fortunâ uſus ſum præ cunctis, qui de *Noſtro* ante mé ſcripſêre, Auctoribus: cùm ferme omnia HOESCHELII meletemata (pauca ſolum ſi demas; quod monere non prætermitto) meis oculis perluſtrârim, manibusque meis tractaverim: ex quo ad te, Lector benevole! duplex commodum redit; videlicet ut & tutò fidere queas iis, quæ affirmo: & ut accipias *Catalogum* hunc â ſphalmatis, quæ in priores irrepſerant, multis expurgatum, juxta ac multîs, quibus iidem deficiunt, rebûs auctum, atque illuſtratum quam optime. Primo itaque exhibeo *Catalogum Operum Noſtri typis ſeparatim procuſorum.* Hunc ſequitur *Index Operum Noſtri, qui alienis operibus acceſſêre, aut ſaltem accedere debuiſſent.* Succedit *Elenchus Epiſtolarum* â Ne-

(*g*) V. CROPHIUM *l. c. p.* 101. 103. 195.

à Noſtro extantium. Finem facit *Indiculus Operum à Noſtro promiſſorum vel meditatorum.*

Opera *Noſtri* typis ſeparatim excuſa ſunt ſequentia

1577.

I. *Oratio græca de humani generis lapſu eiusdemque reſtitutione, recitata ſub initium anni* 1577. *publice in celeberrima Schola Laugingana, auctore Davide Hoeſchelio Auguſtano. Lavingæ. in* 4to. *Folia ſeu Pagellæ* 8.

Dedicatio græco-latina ad Matthæum *Welſerum*, Chriſtophorumque *Baumgartnerum* Septemviros, & Carolum *Hoſium* Senatorem dirigitur, ut ſpecimen ſtudiorum, præcipue in *græcis* litteris, alumnus ederet (*a*). Extat in Bibliotheca publica *Auguſtana.*

(*a*) Ita teſtatur Iac. *Bruckerus* in *Miſcellaneis Hiſtoriæ philoſoph. crit. litterar. p.* 460.

1587.

II. ὁμιλίαι θεοφόρων τινῶν Πατέρων: *Homiliæ quædam ſacræ Baſilii M. Gregorii Nyſſeni, Nazianzeni, Ioannis Chryſoſtomi, Cyri, Germani in præcipuas anni ferias; cum Fragmento Cyrilli Alexandrini. Studio & opera Davidis Hoeſchelii A. e libris calamo exaratis partim emendatiores, partim nunc primum editæ, cum eiusdem Notatiunculis, rerum item ac verborum Indice. Auguſtæ. Typis Michael. Mangeri. Græce.* in 8°. *Alphabetum I. Pagellæ* 120.

Dedicatio *prior* ad Ant. Chriſtoph. *Rehlingerum* & Ioann. *Velſerum* Duumviros, Conſules, & Senatum data eſt à *Noſtro*, inter alia dicente: *Has* (Homilias) *vobis, Viri magnifici! inſcribere volui; quod veſtra liberalitate veterum illorum MSS. Codicum* (Bibliothecæ publicæ) *utendorum copia mihi facta*

eſt. . . . Sequuntur *Teſtimonia Veterum de Baſilio &c.* Carmen græcum προτρεπτικὸν *Fabricii* (haud dubie *Simonis*) de quo egi in *Alphabeto III. Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ*, *p.* 10. aliaque latina Gregorii *Bersmanni*, Georgii *Remi*, Ioannis *Maioris* (ſive Mair) Auguſtani, Georgii (*a*) *Moeſchi* A.

Homiliis S. Io. Chryſoſtomi &c. Dedicationem *ſecundam* præfixit *Noſter* ad Hieronymum *Waltherum* IC. Io. Henr. *Linckium*, Conradum *Helum*, Georg. *Vitellium*, Scholæ curam non minimam gerentes, addens: *Verſus Nazianzeni* ἀπόῤῥητες *cum ſtudioſis adoleſcentibus communicabo, modo illos alicunde ſupplere poſſim. Quadringenti enim et octoginta e Codice Auguſtano fideliſſime cum paraphraſi à me tranſcripti Verſus, minima eorum pars videntur, qui deſiderantur* (*b*).

Confer *I. A. Fabricium*, *Tom. XIII. p.* 534.

(*a*) De *Moeſcho* inferius paucula annotabo, inter *Epiſtol. Noſtri. N. XIII.*
(*b*) De his *Verſibus* vide inferius *ad annum* 1591.

1587.

III. *Philonis Judæi Opuſcula tria* 1. *Quare quorundam in ſacris litteris mutata ſint nomina ?* 2. *De formatione Evæ ex Adami latere & de utriusque lapſu.* 3. *Somniorum Joſephi, Pharaonis, pincernæque ac piſtoris allegorica Expoſitio, græce nunc primum edita ſtudio & opera Davidis Hoeſchelii A. M. eiusdemque notatiunculis alicubi illuſtrata. Ex Bibliotheca Auguſtana. Francofurti, apud Io. Wechel. in* 8°. *Folia ſeu Pagellæ* 143.

Dicatum Opus Antonio Chriſtophoro *Rehlingero*, & Ioanni *Welſero*, Duumviris, *Conſulibusque* ac *Senatui* Reipublicæ *Auguſtanæ* abs *Hoeſchelio*, *Artium Magiſtro* (Sic ego duas illas litteras *A. M.*

interpretor) *ad D. Annam præceptore claſſico.* In ea dedicatione *Philonis* eruditionem laudat *Noſter*, & cum *Petro* Apoſtolo collocutum eſſe putat, totumque *Philonem* ſuo nitori reſtituere promittit. Textui in margine adjecit loca Scripturæ, in calce *Notas* complures, quibus partim, quæ ipſe Auctor alibi traderet, vel eadem, vel dilucidius: partim Patrum teſtimonia nonnulla ex MSS. inſeruit; et *Philonis* quoque errores detexit. Nominat vero ſe *tyronem* & in hanc arenam modo *deſcendentem* (*a*).

Hic *Noſtri* labor poſtea recuſus, cum aliis *Philonis* Operibus, eſt *Genevæ.* 1613. *Antverpiæ.* 1614. *Pariſiis.* 1640. item *Francofurti.* 1691. & in ſplendida ac rara editione *Thomæ* MANGEY, *T. I. p.* 66. 620. Confer, ſi lubet, I. A. *Fabricii Biblioth. græc. T. III. p.* 106. 109. 118. & *Catalogum Biblioth. Bünav. T. I. p.* 159.

(*a*) Propter emendationem quandam in *Notis* allatam plagii *Noſtrum* accuſat *Petrus Faber*, præcipitanter, notante Iac. THOMASIO *de plag. litter.* §. 497. *p.* 208. uti obſervavit BRUCKERUS *l. c.*

1588.

IV. *S. Ioannis Damaſceni Presbyteri Oratio græco-latina in Transfigurationem Domini & Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, ad MSS. Codicis Auguſtani fidem emendata et integritati reſtituta. Acceſſit Appendix complurium locorum Philonis, Baſilii M. Nazianzeni, Athenæi, et aliorum Auctorum, qui partim corriguntur, partim redintegrantur. Opera Davidis Hoeſchelii A. M. Auguſtæ. Typis Michaelis Mangeri, in* 8°. *Pagellæ* 68.

In Dedicatione ad Matthæum *Velſerum* (*a*) Ædilem & Scholarcham, *Noſter* ait: *Hunc litterarium laborem .. tuæ Amplitudini potiſſimum inſcripſi.*

(*a*) De Matthæo *Velſero* egi in *Alphabeto II. Biblioth. Auguſt. p.* 228.

ſi... quod non olim tantum eius patrocinio & liberalitate ſtudia continuare mihi licuerit, ſed et nuper, beneficio novo (quo illo, neſcio) *quam mei provehendi cupida eſſet, eadem A. T. abunde ſatis declararit...* In margine, & in fine occurrunt Notationes *Noſtri.*

Hunc Libellum diligenter recenſuit I. A. *Fabricius* in *Bibl. græc. V. XIII. p.* 541.

1589.

V. Γάμικα Παραγγέλματα καὶ ἔτι ἄλλα ἔπη: *Præcepta conjugalia & alia quædam Carmina in honorem Nuptiarum Cl. & D. Viri D. Georgii* LAUBII (*a*) *Medici Auguſtani... celebrandarum VII. Idus Julii.* 1589. *Auguſtæ. Edita a Davide Hoeſchelio Auguſtano M. in* 4to. *Pagellæ* 12. *Græce & Latine.*

Dicavit *Noſter* memorato *Sponſo*, *obſervantiæ & grati in eundem, bene de ſe meritum, animi ergo.* Ait inter alia: *verſus Veterum ſe in honorem nuptiarum excudendos curare, quam verſus ſuo Marte ſcribere maluiſſe.* Sunt autem Carmina iſta: *Pſalmus CXXVIII. Græco metro expreſſus*, quem *Noſter* totidem verſibus latinis reddidit: *Gregorii Nazianzeni Præcepta conjugalia ad Olympiadem*: Eiusdem de *Providentia*, de *Tolerantia*, de *Paupertate philoſophante* Verſus: *Supplicationesque* duæ *ad Chriſtum.* Omnia (præter illa *Præcepta conjugalia*) hactenus anecdota.

(*a*) Huius *quondam nec infelicis, nec ineruditi apud Auguſtanos Medici* Vitam habes infra in *Mantiſſa.*

1589.

VI. *Synonymia latino-græca D. Martini* RULANDI, *in duas partes conjunctas diſtincta: olim ab illo congeri cœpta, nunc paſſim emendata, et magna tam vocum quam phraſium acceſſione locupletata, opera David. Hoeſchelii. in* 8°.

Præcedit duplex Dedicatio; *prior*, ut parti primæ; poſterior, ut parti ſecundæ initium faciat; ambæ ad unum eundemque D. Antonium *Fuggerum* Comitem Kirchbergæ & Weiſſenhorni &c. qua *Noſter* tum Gentis *Fuggeriadæ* in litteras et litteratos merita univerſim, tum ſingillatim *Antonii* extollit, eiúsque munificentiam, qua oblata ſibi a *Noſtro* Opuſcula *quam liberaliſſimè remuneratus eſt*, laudat. *Prior* Dedicatio data eſt 7. Idus Auguſti, 1589. *poſterior* pridie Calend. Martii, 1590. Hinc colligo, his annis *Synonyma* iſta, *Hoeſchelii* curis aucta atque *innovata*, exiviſſe. NICERONIUS certe *l. c.* recenſet Editionem *Auguſtanam*, in 8°. anni 1590, dein *Genevenſes* anni 1612. 1618. & 1646. *Iac.* BRUCKERUS *l. c. p.* 470. memorat editiones *Auguſtanas*, anni 1607. 1612. *Lipenius* in *Bibl. philoſoph. p.* 614. adducit *Genevenſem*, anni 1613. *Colonienſem*, anni 1650. Ego vidi editionem anni 1594. Typis *Mich. Mangeri*, & aliam anni 1618. ex typographia Iacobi *Stoer*, in 8°. vulgatam, à NICERONIO ſuperiùs indicatam. Item editionem *Colonienſem* anni 1624. lego apud *Theophil.* GEORGI in *Bücher-Lexicon.*

Teſte *Thoma* HYDE, in *Catalogo Biblioth. Bodlejanæ*, *Noſter* hiſce *Synonymis* addidit *Ignatii Scaphophylacis magnæ Eccleſiæ*, *Alphabetum morale*; ſed nec *Bruckerus*, nec *ego* in exemplaribus, à nobis viſis, illud reperire potuimus.

1591.

VII. *Oratio S. Gregorii Nyſſeni, de Filii & Spiritûs ſancti Deitate. E Codice MSS*to. *Reipublicæ Auguſtanæ nitori atque integritati reſtituta, ſtudio & opera Davidis Hoeſchelii A. Augustæ Vindelicorum, excudebat Michael Manger.* 8°. *Pagellæ* 16.

Nun-

Nuncupavit Io. Georg. *Hermanno* adoleſcenti, *quem et ingenuis artibus deditum*, & *pietati inprimis ſtudere* ſciebat: *in quo*, addit, *recte mi Io. Georgi! tam avi tibi* ὁμώνυμε *p. m.* (*cuius amicitiam magnus ille Deſiderius Eraſmus*, *Olympia Fulvia Morata*, & *alii docti* (*a*) *coluerunt*) *quam optimi doctiſſimique parentis tui D. Hieronymi*, *de me quoque bene meriti*, *veſtigia ſequeris*. In margine apparent Lectiones variantes. In fine additur *Catalogus Opp Nyſſeni*, iis aſteriſcô notatis, quæ excudit Mich. *Mangerus*. Sed hic *Catalogus* non tam plenus et perfectus eſt, ac ille, quem anno 1593. *Gregorii Nyſſeni Opuſculis* ſubjecit.

Confer I. A. *Fabricium T. VIII. p.* 157.

(*a*) Hos inter fuit & Viglius *Zuichemus* ab Aytta, cuius plures *Epiſtolas* ad Georg. *Hermannum* videſis in PAPPENDRECHTI *Analect. Belgic.* Confer SCHELHORNII *Amœnit. hiſt. eccleſ. T. I. p.* 700.

1591.

VIII. *S. Gregorii Nazianzeni, Theologi*, *Arcana ſeu de Principiis Verſus CCCCXXCII. cum paraphraſi græca* :*Eiusdem Carmen contra Apollinarium. Item de Poëmatis a ſe editis*, & *quædam alia Græca nunc primum edita. Lugduni Batavorum* 1591. *in* 8°. *item* 1598. (*a*)

(*a*) Ita *Iac.* BRUCKERUS *l. c.* provocans ad *I. A.* FABRICII *Biblioth. Græc. T. XIII. p.* 543. & *P. I.* CROPHIUS in *Hiſtoria Gymnaſii San-Annæani*, *Auguſtæ*, vernacula *p.* 197. De editione anni 1598. teſtatur etiam NICERONIUS *l. c.* Mihi, etſi ſollicite inquirenti, hunc librum videre haud datum.

1591

IX. *S. Gregorii Nazianzeni Definitiones*. Eſſet hoc loco de iſtis dicendum; ſed quia *primam* editi onem anno memorato factam videre mihi non

contigit, de editione *ſecunda* ad annum 1599. *infra*, *N. XXVII.* eò prolixius agam. NICERONIUS *l. c.* titulum huius editionis ſic effert: *S. Gregorii Nazianzeni Definitiones Rerum ſimplices Verſibus jambicis* CCLXVII. *cum latina proſaria verſione & notis. Anonymi Definitiones ordine alphabetico, ex Codice Bibliothecæ Palatinæ. Heidelbergæ.* 1591. *in* 8°.

1592.

X. *Maximi Margunii Epiſcopi Cytherenſis* (*a*) *Poemata aliquot ſacra, græce nunc primum publicata ſtudio & opera Davidis Hoeſchelii A. M. E Bibliotheca Reipublicæ Auguſtanæ. in* 8°. *Lugduni Batavorum. Ex Officina Plantiniana. Apud Franciſcum Raphelengium. Græcè. Pagellæ* 12.

Poemata hæc cuncta verſibus hexametris ac pentametris ſcripta, meràque diſticha ſunt. Hinc BRUCKERUS, cui Opuſculum iſtud oculis uſurpare non licuit, aut ſaltem minus accuratè obſervatum fuit, *l. c. p.* 463. toto cœlo errat, dicens, hæc poëmata à *Rittershuſio* poſtea, anno 1601. latinis verſibus reddita, ac græco-latine vulgata eſſe; nam, quæ *Rittershuſius* edidit, vere meréque *Anacreontica* MARGUNII ſunt, & opus omnino diverſum, de quo vide *infra*, *N. XXXI.*

(*a*) De hoc Viro, anno 1574. ad cathedram *Cytherorum* in *Cypro* inſula evecto, eiusque Scriptis videri poterit *l. A. Fabricius in Bibl. græc. T. X. p.* 538. & ipſe ex dictis corrigendus.

1593.

XI. *D. Gregorii Nyſſeni Opuſcula quinque.* 1o. *De Profeſſione chriſtiana.* 2o. *De Perfectione, & qualem Chriſtianum eſſe deceat.* 3o. *Anagogica vitæ Moſis enarratio.* 4o. *Contra Apollinarium.* 5o. *De Fide. Græce nunc primum edita ſtudio & opera Davi-*

Davidis Hoeſchelii Auguſtani. Lugduni Batavor. Ex officina Plantiniana. in 8°. *Pag.* 96.

Dicavit Wolphgango *Palero*, Patritio Auguſtano, litterarum ac litteratorum Patrono. Dedicationi ſuccedunt *Epiſtolæ binæ* Max. *Margunii*, una ad *ſacræ Philoſophiæ Studioſos*, altera ad *Hoeſchelium*. Sequuntur Opuſcula *tria* priora *S. Gregorii*, quorum *tertium* antecedit rurſus *Epiſtola* Max. *Margunii* ad *Hoeſchelium.*

Opuſcula reliqua, videlicet *quartum* & *quintum*, nuncupavit *Noſter* Georgio *Remo*, tum adhuc *Guilielmo* Comiti *Widano* à Conſiliis, amico veteri & pyladeo, inter alia dicens: *Quæ tibi nuncupata juris publici ubi voles facere, non deerit... D. Thomas* CANTERUS, *ad quem perferenda illa curare poteris....* Subjicitur denuo Epiſtola Max. *Margunii* ad *Hoeſchelium*, cui ſuccedunt memorata duo Opuſcula.

Uſus eſt autem *Noſter* ad hæc edenda Codice *Auguſtano*, & alio *Margunii.* Addidit omnibus *Notas* ſuas, & ad calcem *Catalogum Opp. Nyſſeni*, ex *Auguſtana*, *Margunii*, & *ſua privata* collectum, quem inde recudi fecit *I. A.* FABRICIUS in *Bibl. græc. V. XIII. p.* 538.

1593.

XII. *Nomenclator, ſive Index vocum trilinguis, in quem eæ fere dictiones ſecundùm generum ſeriem conjectæ ſunt, quæ in præceptis Grammaticæ occurrunt, indicata ſimul earundem declinatione. Auguſtæ Vindel. in* 8°.

Dedicavit *Io. Georgio*, *Danieli*, *Io. Iacobo*, & *Ieremiæ Oeſterreicheris* commenſalibus olim ſuis, ac patronis: *quorum munificentiæ ſe plurimum debere, præter alios multos, fatetur: quippe qui ſibi,*

vix facta fratris ſui Georgii *in Academiis ſtudiorum cauſſâ commorantis mentione, illico mæcenatis manum porrexiſſent.*

In *Præfatione* ait, *ſe, quod cives Auguſtani conquererentur, trahi in ſcholis filios, hoc opus, Georgii* Heniſchii *conſilio, ſuſcepiſſe: uti vero hoc libro* Nominum *genera &c. oſtendiſſet, ita ſe aliô* Verba *comprehenſurum*; quod an præſtiterit, valde dubito.

1594.

XIII. *D. Ioannis Chryſoſtomi, Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, Oratio in diem natalem Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, edita nunc primùm ſtudio & opera Davidis Hoeſchelii Auguſtani, ex Bibliotheca Auguſtana. in* 8°. *Auguſtæ Vindel. Typis Mich. Mangeri. Græce. Pag.* 15.

Sacravit *Ioachimo*, & *Philippo* CAMERARIIS; huic, Conſiliario: illi, Archiatro *Norimbergenſibus*; ut *bene de ſe merendi cupidiſſimis gratum animum declararet.* Unica eſt *Oratio*; ob quod corrigendus I. A. *Fabricius*, plures eſſe innuens in *Bibl. græc. T. VII. p.* 653. 654.

1594.

XIV. *Andronici Rhodii, Philoſophi peripatetici, Libellus* περὶ παθῶν, *id eſt: De animi Affectionibus: Et Anonymus de virtutibus & vitiis; editi opera Davidis Hoeſchelii Auguſtani. Auguſtæ Vindel. Typis Michaelis Mangeri. in* 8°. *Græce. Pag.* 24.

In *Dedicatoria* ad Adolphum *Occonem* ἐκ τριγονίας ἰατρὸν, Marcum *Windium* compatrem ſuum, & Georgium *Laubium*, Medicos Auguſtanos, *Noſter* inquit: *Non diſſimilis argumenti Libellus Andronici Rhodii in bibliothecis hactenus latuit: cuius apographum ab eximie reverendo & doctiſſimo viro D. Max.* Margunio .. *ut primum accepi, cum noſtro Chalcogra-*

grapho, ut exprimeret, egi. Commodum vero accidit, ut amicus meus Fridericus Sylburgius *de hoc meo propoſito certior factus, eiusdem Auctoris exemplum manuſcriptum ex Hiſpania ab Andrea* Schotto *ſibi miſſum mecum communicaret. Collatis itaque inter ſe diverſis antigraphis operam dedi, ut ille quam integerrime ederetur.* Libello (*a*) præcedit Epiſtola *Margunii* ad *Marcum Papadulum.*

Verſionem latinam *Paraphraſi Nicomacheorum Ariſtotelis* adjunxit HEINSIUS. Confer I. A. *Fabricii Biblioth. græc. T. II. p.* 151.

(*a*) *Tam pauca exemplaria impreſſa eſſe*, monet *Meurſium* in Epiſtola anno 1614 exarata HOESCHELIUS, *ut haud ſciat, ullåne (quæ bibliopolæ eſt negligentia) Francofurtum venerint?* Confer etiam Epiſtolas *Noſtri* ad *Kirchmannum.*

1594 (*).

(*) Hic annus certo certiùs in mendo cubat.

XV. *Gennadius Scholarius Patriarcha Conſtantinopolitanus de Prædeſtinatione à Davide Hoeſchelio Aug. nunc primum editus. Auguſtæ Vindel. ad inſigne pinus. Cum privilegio cæſareo perpetuo.* in 4to. *Græcè. Pag.* 17.

Dicavit *Noſter* hoc meletema *Monavio* (*a*) ſequenti inſcriptione: *Have. Iacobe. Monavi. Ampliſſime. Nobiliſſime. Bene. Tibi. Bene. Tuis. David. Hoeſchelius. Virtutum. Tuarum. Admirator. Earum. Ergo. Amoris. Et. Obſervantiæ. Ergo. Erodito. Te. Mnemoſyno. Merentem. Merito. Mactum. Voluit.* Sequitur Opus, quod *Epiſtola* græca Maximi *Margunii* ad *Noſtrum*, die 18. Julii, anni αφϟί data clauditur; in qua *Margunius* (Ut mox latinis vocibus utar) ſequentia ſcribit: *Mittitur tibi viciſſim à nobis*

(*a*) De *Monavio* Vratiſlavienſi, docto ICto. videſis ADAMI *Vitas* ICtorum.

vix facta fratris ſui Georgii *in Academiis ſtudiorum cauſſâ commorantis mentione*, *illico mæcenatis manum porrexiſſent.*

In *Præfatione* ait, *ſe*, *quod cives Auguſtani conquererentur*, *trahi in ſcholis filios*, *hoc opus*, *Georgii* Heniſchii *conſilio*, *ſuſcepiſſe*: *uti vero hoc libro* Nominum *genera &c. oſtendiſſet*, *ita ſe aliô* Verba *comprehenſurum*; quod an præſtiterit, valde dubito.

1594.

XIII. *D. Ioannis Chryſoſtomi*, *Archiepiſcopi Conſtantinopolitani*, *Oratio in diem natalem Servatoris noſtri Ieſu Chriſti*, *edita nunc primùm ſtudio & opera Davidis Hoeſchelii Auguſtani*, *ex Bibliotheca Auguſtana. in* 8°. *Auguſtæ Vindel. Typis Mich. Mangeri. Græce. Pag.* 15.

Sacravit *Ioachimo*, & *Philippo* CAMERARIIS; huic, Conſiliario: illi, Archiatro *Norimbergenſibus*; ut *bene de ſe merendi cupidiſſimis gratum animum declararet.* Unica eſt *Oratio*; ob quod corrigendus I. A. *Fabricius*, plures eſſe innuens in *Bibl. græc. T. VII. p.* 653. 654.

1594.

XIV. *Andronici Rhod[illegible] [illegible]ii peripate[illegible] Libellus* περὶ παθῶν, *id[illegible] [illegible]i Affection[illegible] Et Anonymus de vir[illegible] [illegible]is*; *editi op[illegible] vidis Hoeſchelii* [illegible] *[illegible]uguſtæ Vind[illegible] Michaelis M[illegible] Græce. Pag.* 24.

In *De[illegible]* [illegible]dolphum *Occon[illegible]* ἰατρόν. Ma[illegible] [illegible]*ium* comm[illegible] orgium *L*[illegible] [illegible]edic[illegible] quit: *N*[illegible] *Rhodii i*[illegible] *phum ab*[illegible] Margun[illegible]

i-

u-

is,

len-

imus

imus,

adere,

curaris

Concilio-

imum edi-

ibo. . . .

laſii Cyziceni

et *Elias* EHIN-

ol. & *Concilior.*

rum addidit. V.

c. p. 187.

Gregorii Nazianzeni

mata aliquot. S. Gre-

de quibus vide ſupra ad

rimus in typographeo *ad*

maioris moduli excuſus fue-

es Libri: uti *Catalogus Græ-*

us Hieroglyphica; Camariotæ

æ Oratio; & antea memora-

ſunt.

1595.

bis aliquod munuſculum, parvum illud, ſi tuis comparetur, quibus nos jugiter locupletas: At ſi doni voluntatem, non dignitatem ſpectes, citò illud, etſi parvum, magnum videbitur. Eſt præterea magnum, ſi argumenti, quod pertractat, dignitatem attenderis; agit namque de Prædeſtinatione, *quæſtione in materia theologica plurimum neceſſaria. Accipe igitur benigne et, ſi volueris, maiorem ei operam impende, tradens imprimendum chalcographis....*

Annus impreſſionis in *Titulo*, præter regulam conſuetam, ſic exprimitur: MDVIC. quod denotare videtur annum 1594. Sed vereor ego, ne mendum typographicum irrepſerit; nam 1°. Libellus excuſus eſt litteris græcis maioris moduli, quales eſt videre in ſequenti *Synopſi VII. Conciliorum, anni* 1595. quam, *novi hìc typi primitias*, aperte vocat *Hoeſchelius* (Vide mox ſubjiciendum *N. XVI.*) 2°. Maxime vero obſtat numerus anni, Epiſtolæ *Marguniana* adſcriptus: quem haud alium, ac annum *nonageſimum quintum*, interpretari poſſe exiſtimo. Quod ſi hoc ſtat, rectéque ego ſentio (uti mecum doctiores ſentiunt) *Gennadius*, quem primùm, annô 1595. medio, *Hoeſchelius* dono accepit, anno 1594. imprimi omnino non potuit. Hinc corrigendi ſunt *Iac.* BRUCKERUS, *I. G.* SCHELHORNIUS *junior*, quorum alter in *Miſcellan. Hiſt. crit. philoſ. litter. p.* 464. alter in *Beyträge zur Erläuterung der Geſchichte &c. IV. Stück, p.* 186. hunc *Gennadium* & (quod conſequens eſſet) typographiæ *ad inſigne pinûs* initia ad annum 1594. referunt. Neque nos horum, utut doctorum, Virorum commovere auctoritas debet, aliter ut ſentiamus; nam *prior* Opus ipſum non inſpexiſſe: *alter* Epiſtolam *Margunii* minus accurate excuſſiſſe videtur.

Con-

Confer, ſi lubet, *I. A. Fabricii Biblioth. græc. T. X. p.* 372. Vide G. G. ZAPFII *Buchdrucker-Geſchichte von Augſpurg. T. I. p.* 180. quem & ipſum ex præmiſſis corrige quoad originem *typographiæ ad inſigne pinûs*: quam anno 1594. cœpiſſe, ex hoc *Gennadio* probari non poteſt.

1595.

XVI. *Synopſis ſeptem SS. Conciliorum œcumenicorum. Græce. Ex Codice MSS^to. Bibliothecæ Auguſtanæ. Auguſtæ Vindel.* in 4to. *Ad inſigne pinûs. Cum privilegio Cæſaris. Pag.* 9.

Dedicavit *Noſter Theodoro* CANTERO *Ultrajectenſi* Conſuli monens: *Quum, Vir ampliſſime! primus iſthic per litteras mecum amicitiam inieris: primus, iſtic viciniæ, libellos quosdam meos regio charactere, non absque ſumptu aliquo tuo, imprimendos curaris* (*a*); novi hîc typi græci primitias (*b*), *Conciliorum generalium ſynopſin, græce nunc primum editam, tuo etiam nomini potiſſimum inſcribo....*

Hoc *Noſtri* Opus COMMELINUS *Gelaſii Cyziceni Actis Concilii Nicæni I.* ſubjunxit: et *Elias* EHINGERUS ad calcem *Canonum Apoſtol. & Concilior.* in 4to. 1614. *Wittebergæ* excuſorum addidit. V. *I. G.* SCHELHORNIUM *juniorem l. c. p.* 187.

(*a*) Libelli hi videntur eſſe: *S. Gregorii Nazianzeni Arcana. Maximi Margunii Poemata aliquot. S. Gregorii Nyſſeni Opuscula quinque*, de quibus vide *ſupra* ad annos 1591. 1592. 1593.

(*b*) Ecce! quinam Liber primus in typographeo *ad inſigne pinûs* litterîs græcîs maioris moduli excuſus fuerit, quibus et mox ſequentes Libri: uti *Catalogus Græcorum Codicum; Horapollinis Hieroglyphica; Camariotæ Synopſis Rhetoricæ; Cabaſilæ Oratio*; & antea memoratus *Gennadius* ipſe excuſi ſunt.

1595.

XVII. *Catalogus græcorum Codicum, qui ſunt in Bibliotheca Reipublicæ Auguſtanæ Vindelicæ, quadruplo quam antea auctior. Auguſtæ Vindel. ad inſigne pinûs.* in 4to. *Cum Privilegio cæſareo perpetuo. Pagellæ* 32.

Initium Operis facit Inſcriptio ſequens: Quisquis Reipublicæ litterariæ faves, ſive Lector! ſive Typographe! horum omnium Codicum, ſive interpretandi, ſive conferendi, ſive edendi, ita tibi futura copia eſt: ſi de iis incolumibus reſtituendis caveris. In *Dedicatione*, quâ hanc lucubrationem *Hieronymo* COMMELINO *typographo*, eique perdocto, *in propenſæ voluntatis mnemoſynon* offert, monet *Hoeſchelius*, quæ ſequuntur. *Theſauri ſub terra defoſſi nullum eſſe fructum, Ptolomæus ille Philadelphus olim dixit.... Hoc certe conſilio novum Bibliothecæ Auguſtanæ indicem à me confieri voluiſſe... Marcum* (*a*) Velſerum.. *ipſe mihi perſuadeo, ut &c. &c.* Confer, ſi lubet, MORHOFII *Polyhiſt. T. I. p.* 57. 58.

In ipſo *Catalogo* accurate notata initia opuſculorum et inſcriptiones: in margine indicata, quæ edita ſint, quove loco, editore & typographo. BAILLETUS aſſerit: *Catalogum* hunc anno 1605. fuiſſe recuſum: in quo alios Viros doctos, uti *Conringium, Labbæum, Wendlerum, Caveum* ſecutus eſt. Sed *Iac. Bruckerus* horum auctoritates omnes

(*a*) Non ſolum juſſu *Velſeri* prodiit hic CATALOGUS, ſed etiam ære, uti diſcimus ex *Epiſt. Noſtri* ad *Kirchmannum* Dubius autem hæreo, utrum vox: *æs*, hôc locô potius *ſumptus*, an vero *characteres* denotet?

omnes reprobat, dicens: hanc editionem eorum nemini viſam eſſe, & *Auguſtanis* plane ignorari.

Exemplar huius *Catalogi*, annô 1595. procuſi, poſſidet *G. G.* ZAPFIUS autographis *Hoeſchelii* obſervationibus auctum & emendatum.

Tanti fecit hunc *Noſtri* Catalogum *Bernardus de* MONTFAUCON, ut illum *Bibliothecæ Bibliothecarum Manuſcriptorum novæ* inferendum duxerit; etſi integrum non expreſſerit. Fuſe etiam de eodem *Catalogo* agit CLEMENT in *Biblioth. curieuſ. &c. Tom. VI.* Confer *G. G.* ZAPFII *Buckdrucker-Geſchichte von Augſpurg. T. I. p.* 181. Reliqua in laudem huius *Catalogi* habes *ſuperius*, *pag.* 16.

1595.

XVIII. *Hieroglyphica Horapollinis, à Davide Hoeſchelio fide Codicis Auguſtani MSS. correcta, ſuppleta, illuſtrata. Auguſtæ Vindel. ad inſigne pinûs. Cum Privilegio cæſareo perpetuo. in* 4to. *Alphabetum I. Pag.* 26

In nuncupatoria ad *Marc.* VELSERUM iſta occurrunt memoratu digna: *Tibi, Vir ampliſſime! cur hos libellos inſcribam, multæ me cauſſæ impellunt. Te enim auctore ac hortatore laborem hunc ſuscepi: tuo ſolius beneficio typis adeo elegantibus myſtica hæc* ποιημάτια (*a*) *prodeunt. Et quemadmodum olim Bernardinus* Trebatius *Vicentinus, primus horum* ἱερογλυφικῶν *interpres Conrado* Peutingero *IC. primo reliquiarum antiquitatis in urbe noſtra indagatori ſuam lucubrationem nuncupavit: ita tibi earundem* παλαιοτήτων, *quas vocant, inſtauratori atque interpreti, & primo, Annalium Auguſtanorum ſcriptori, eundem* Horapollinem *a me recognitum jure dicandum duxi patriæ noſtræ ocello, per quem litteras hîc renaſci*

(*a*) Confer *Epiſt. Noſtri* ad *Kirchmannum.*

naſci vere dixerim.... Succedit nuncupatoriæ *Epiſtola* græca *Maximi* MARGUNII, *Noſtro* longè amiciſſimi, *ad Philoſophiæ Studioſos*. Sequitur Opus ipſum cum verſione Bernardini *Trebatii*, non Io. *Merceri*, uti in averſa titulo pagina dicitur (*b*) : *Merceri* verò Notas ſuis junxit *Hoeſchelius*. Opus claudit *Epiſtola* græca memorati *Maximi* MARGUNII ad *Hoeſchelium*. Juvat aſſuere, quæ *A.* SCHOTTUS M. VELSERO de hoc Libro ſcripſit : *Interpretor quotidie de ſuperiore loco* Hieroglyphica.... *Laborem mihi valde minuit David* (Hœſchelius) *notis additis* ; *digitum enim ad fontes intendit*... Vide *G. G.* ZAPF *Bruchdrucker-Geſchichte von Augſpurg. T. I. p.* 183.

Doctos hos *Noſtri* labores *Io. Piſev*, ſed latine duntaxat, accedere *Io. Pierii Valeriani Hieroglyphicis* a ſe editis juſſit : eosdem in ſuas areolas derivavit *Cornelius de* PAUW, *Horapollinem* anno 1727. *Trajecti ad Rhenum*, in 4*to.* denuo vulgans.

Confer *Io. A. Fabricium*, *T. I. p.* 90. & *Catalog. Biblioth. Bunav. T. I. p.* 58. 59. MORHOFII *Polyhiſt.* qui editionem *Auguſtanam* anni 1605. in 4*to.* adſtruit : quod & NICERONIUS *l. c.* facit.

Præ-

(*b*) Ita affirmat BRUCKERUS *l. c.* ſed ei contradicit *I. G.* SCHELHORNIUS *junior*, *l. c. p.* 189. monens : ſe contuliſſe *Textum latinum* cum *Verſione* TREBATII *Baſileenſi* anni 1518. & diſcrimen adeo magnum detexiſſe, ut affirmare non dubitet, meliorem *Merceri* verſionem abs *Hoeſchelio* datam fuiſſe. Rem optime extricat NICERONIUS *l. c.* dum dicit : *Fallitur* BAILLÉTUS, *in Iugemens des Savans no.* 905. *aſſerens*, *Verſionem latinam*, *huic editioni additam*, Hœſchelii *eſſe*. *Fallitur ſimiliter* LABBÆUS *in Mantiſſa antiquariæ ſuppellectilis affirmans*, *eam Ioannis* Merceri *eſſe* ; *nam eſt Bernardini* Trebatii *Vicentini*, *ſed abs* Hœſchelio *recognita*.

Prædiƈtus *G. G.* ZAPFIUS etiam huius Opellæ exemplar, autographis *Hoeſchelii* Notulis interſtinƈtum, poſſedit. Tum has, tum præcedenti *No. XVII.* indicatas *Notulas* anecdotas juris publici facere, mecum inſtitueram primitus; ſed, cùm maximam partem *græcæ* eſſent, animi ſententiam mutavi: quod *græca* multis noſtræ ætatis hominibus parum placitura arbitrabar, utpote quibus jam ſordere vel *latina* cœperunt, haud advertentibus, ſublatô principum linguarum ſtudiô, veram ſolidamque doƈtrinam omnem brevi tempore interituram eſſe.

1595.

XIX. *Synopſis Rhetoricæ Matthæi Camariotæ a Dav. Hoeſchelio edita. Auguſtæ Vindel. ad inſigne pinus. Cum privileg. cæſar. perpetuo. in 4to. Pag.* 12.

Dicavit *Noſter* Georgio *Mæſcho* Auguſtano, Collegæ ſuo, φιλέλληνι (*a*): quod *non ſolum ſecum in hac lingua auditor Hieronymi Wolfii fuiſſet, ſed ne nunc quidem illius ſtudium aſpernaretur* ... Dedicationem excipit Epiſtola *Margunii* græca, qui *Noſtro* hoc Opuſculum miſerat. In fine occurrit rurſus alia Epiſtola diƈti *Margunii.*

Aliam editionem, mihi haud viſam, anni 1597. in 4to. memorat *Iac.* BRUCKERUS *l. c.* hoc titulo: *Matthæi Camariotæ* συνοπτικὴ παράδοσις τῆς Ρητορικῆς: *Compendium Rhetoricæ, editum curâ D. Hoeſchelii Aug. Vind.*

Recudi fecit Io. *Schefferus, Hamburgi* in 8o. 1675. Vide *Fabricii Bibl. græc. T. IV. p.* 475. item *Lambecium* in *Comment. de Biblioth. Vindobonenſi, T. VII. p.* 385. *n. A.* ubi corrigit *Hoeſchelium*, qui Opus hoc *Matthæo Camariotæ*, ſola *Margunii* conjeƈtu-

(*a*) Interpretare: *Amator græcæ linguæ.*

jectura nixus, adſcribit; etſi, ſecundùm Codicem ipſum *Marguṅianum*, incerto auctori (ἀδήλῳ) tribuatur. Addit, *Camariotæ Compendium Rhetoricæ* quod MSStum. in memorata Bibliotheca extat, diverſum omnino eſſe ab eo, quod *Noſter* vulgavit. Confer *I. G.* SCHELHORNIUM *juniorem*, & *G. G.* ZAPFIUM *ll. cc.*

1595.

XX. *Nicolai Cabaſilæ Oratio contra Foeneratores à Davide Hoeſchelio edita. Auguſtæ Vindel. ad inſigne pinûs. Cum Privilegio cæſareo perpetuo. in* 4to. *Pag.* 12. *græcè.*

Nobiliſſ. & Ampliſſ. Viris Nicolao & Sigiſmundo à BURGHAUSEN, *in Stolz, Equitibus Sileſiacis, hanc Orationem, ſtudii perpetui monimentum, lib. mer.* dedicavit *Noſter*. In fine adjecit binas *Margunii* Epiſtolas græcas, â quo hanc *Orationem* acceperat, etſi *non integram.*

Confer I. A. *Fabricii Bibl. græc.* T. *V.* in *Nilis*, *p.* 73. 74. in *Notis.* & *G. G.* ZAPFII *Buchdrucker-Geſchichte &c. T. I. p.* 185.

1597.

XXI. *Lamprias de Scriptis Plutarchi Chæronenſis, et græce et latine nunc primum editus. Auguſtæ Vindel. ad inſigne pinûs. Excudebat Ioannes Prætorius. in* 4to. *Pagellæ.* 12.

Dicavit *Noſter* Franciſco *Raphelengio* typographo, dicens: *Mitto ad te*, Raphelengi *præſtantiſſime! librorum* Plutarchi *Catalogum typis expreſſum, quem antiquitatis ſcrutator diligentiſſimus, Andreas* Schottus, *hùc tranſiens nobis reliquerat calamo exaratum &c.* Ineditos *Plutarchi* libellos, additîs aſtericîs, ab editis ſollicite diſtinxit *Hoeſchelius.*

Acce-

Digitized by Google

Acceſſit hic *Noſtri* labor *Operibus Plutarchi*, græce et latine, *Francoſurti* 1599. duobus in *folio* voluminibus excuſis. Eundem recudi fecit *I. A.* FABRICIUS in *Biblioth. græc. Vol. III. p.* 333. ob id corrigendus, quod, *Hoeſchelium* hunc *Catalogum* ê (neſcio) qua Bibliotheca Italiæ accepiſſe, perperam moneat: uti bene obſervavit *Iac.* BRUCKERUS in *Miſcell. Hiſt. philoſ. crit. litter. p.* 465. ubi etiam *p.* 471. perſonatum CLARMUNDUM in *Vitis Eruditorum*, vernaculè ſcriptis, aſſerentem: *Abs Hoeſchelio Plutarchum editum fuiſſe*, redarguit, eumque *Lampriam de Scriptis Plutarchi* cum ipſo *Plutarcho* miſcuiſſe, affirmat.

Confer, ſi lubet *G. G.* ZAPFIUM *l. c. p.* 189.

1597.

XXII. *Hermetis Triſmegiſti Iatromathematica ad Ammonem Ægyptium, a Dav. Hoeſchelio Aug. græce et latine edita, fide MSS. Codicis emendata, ſuppleta, cum Notis. in* 8°. *Auguſtæ Vindel. typis* Mich. Mangeri. *Pag.* 32.

Dicavit *Noſter* ſequenti inſcriptione: *Ornatiſſimo Viro Ioanni Bartholomæo Rollenbuzio T. Pharmacopoeio Auguſtano Medicinam aſtrologicam ter maximi Sacerdotis, Philoſophi, Regis David Hoeſchelius Aug. Amoris ergo Donum.* In fine addita eſt *Ioann. Stadii* Interpretatio liberior.

Confer, ſi vis, *I. A. Fabricii Bibl. græc. T. I. p.* 59. & *Iac. Bruckerum l. c. p.* 465.

1597.

XXIII. *Baſilii Seleuciæ Epiſcopi Homilia de Infantibus ab Herode occiſis, a Dav. Hoeſchelio Auguſtano, fide libri calamo exarati redintegrata & e-*

mendata. Auguſtæ Vindel. ad inſigne pinûs. Io. Prætorius excudebat. in 8o Pagellæ 12. *græcè* (*a*).

Titulum Dedicatio excipit ſequens: *Galliæ Ocello Iſaaco Caſaubono Homiliam Baſilii Seleucienſis Epiſcopi*: De Infanticidio Herodis, *a ſe interpolatam fide Codicis MSti. David Hoeſchelius Auguſtanus, Mompeſſulum profecturo, voti ergò D. D.* In fine pauculas *Notas* adjecit *Noſter.*

Prodivit rurſus ſeparatim hæc *Homilia* (unà cum altera eiusdem argumenti, Auctore anonymo) additis *verſione* Georgii *Remi*, *eiusdem*que et *Noſtri Notis*, *in* 4*to. Heidelbergæ.* 1598 (*b*).

(*a*) Vide *G. G.* ZAPFIUM *l. c.* qui Opus iſtud in Bibliotheca monaſterii *Weingartenſis* exſtare monet: unde illud commodatò accepi.

(*b*) De hac editione *ſecunda* teſtatur *I. A.* FABRICIUS in *Biblioth. græc. T. VIII. p.* 133.

1599.

XXIV. *Appiani Sophiſtæ Illyrica, quorum hactenus non niſi Fragmentum extabat, è Codd. MSS. Reipublicæ Auguſtanæ à Davide Hoeſchelio Auguſt. græce nunc primum edita. in* 4*to. Auguſtæ Vindel. ad inſigne pinûs. Cum Privilegio cæſareo perpetuo. Pag.* 9.

Dicavit *Noſter* Ioanni *Græmo* Comiti *de Montrois*, *Scotorum* nobiliſſimo, dicens inter alia: *Hanc Hiſtoriam, Comes illuſtris! tuo nomini dicare volui; quum ex horum ſis numero, qui utrumque ſunt experti: & varia hominum diverſis in locis ingenia, & linguas tam veteres illas elegantes ac cultas, quam novitias et vulgares appellari ſolitas didicerunt. Eodem me ſingularis tua humanitas impulit ac ſummum benevolentiæ ſtudium, quô me, antea ignotum tibi, hic complecti non es dedignatus. . . .*

Confer I. A. *Fabricii Biblioth. græc. T. III. p.* 397. unde diſces, hoc *Noſtri* labore (ſi quis poſt

poſt Alexandr. *Tollium* (*a*) *Appianum* vulgare cogit:t) editionem exornari debere: et, ſi vis, *G. G. Zapfium l. c. p.* 189.

(*a*) Edidit is *Appianum* anno 1670. *Amſtelodami.*

1599.

XXV. *S. Ioannis Chryſoſtomi de Sacerdotio Libri VI. græci & latini*, 700. *amplius locis emendati, aucti, illuſtrati ope librorum manuſcriptorum ex Bibliotheca Palatina & Auguſtana. Opera Dav. Hoeſchelii Auguſtani. Auguſtæ Vindel. E typographeio M. Mangeri. in* 8o. *Alphabetum.* 1. *Pag.* 100.

Dicavit *Noſter* Alberto à *Stetten* Conſuli *Auguſtano*, cuius in ſe benevolentiam & in ſtudioſos liberalitatem laudat. Nuncupatoriam excipiunt Epiſtola græca *Margunii* ad *Noſtrum*, & alia *ad ſacræ theologiæ Studioſos*: Veterumque teſtimonia. Verſio latina Iacobi *Ceratini*, & Germani *Brixii* eſt. Ad calcem Notæ *Hoeſchelii* poſitæ ſunt.

Confer I. A. *Fabricii Bibl. græc. T. VII. p.* 651. ubi ait: hos *Noſtri* labores in græco-latinas *Chryſoſtomi* editiones *Ducæanam*, *Pariſiis.* 1641. aliásque migraviſſe.

1599.

XXVI. *S. Maximi Martyris Myſtagogia. Ex Codicibus MSStis. Reipublicæ Auguſtanæ & Maximi Margunii, græce nunc primum edita, cum interpretatione latina. Eiusdem S. Maximi Definitiones, integritati reſtitutæ, opera Davidis Hoeſchelii Auguſtani. Ex officina typographica Ioannis Prætorii. in* 8o. *Pag.* 92.

Præeunt Epiſtolæ græcæ *Hoeſchelii* ad Max. *Margunium*, & huius ad *Hoeſchelium* reſponſoria. Alia Epiſtola *Margunii* ſequitur ad *ſacræ Philoſophiæ Studioſos.* Notulæ paucæ ſunt. Verſio latina *Gentiani Herveti* eſt.

Confer I. A. *Fabricii Bibl. græc. T. VIII. p.* 733. 740. & *Bruckerum l. c. p.* 466.

1599.

XXVII. *S. Gregorii Nazianzeni Definitiones Rerum ſimplices, græce primum ex Auguſtana Bibliotheca editæ a Dav. Hoeſchelio cum eiusdem Hoeſchelii Notis, et latina Verſione Ioannis Leunclavii V. C. nunc recuſæ. in* 8°. *Ex Officina Mich. Mangeri. Pag.* 15.

Hæc eſt Editio, quam vidi; *primam* namque anno 1591. *Heidelbergæ* prodiviſſe, tum ex dictis & dicendis patet: tum etiam prodit *Dedicatio* HOESCHELII data anno 1591. Idibus Martii, quæ et huic *ſecundæ* Editioni præfigitur, ſcripta ad Petrum *Steurnagelium* I. V. L. Dicaſterio Auguſtano a Libellis, compatrem ſuum & Ioannem *Stirzelium* ampliſſimo Ordini ibidem a Manibus, ut gratum pro beneficiis acceptis animum oſtenderet. Ibi inter alia ait: *Editæ ſunt ante XX. annos* (1571) *Definitiones S. Gregorii, ſed hæ duntaxat latine, interprete.. Io. Leunclavio. Verum quia dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ, non ingratum me doctis facturum exiſtimavi, ſi, qua eſſent lingua ſcriptæ, easdem publicarem. Uſus ſum autem Codice inclyti Senatûs Auguſtani....*

In *Catalogo Bibliothecæ Bodleianæ* a *Thoma* HYDE vulgato memorantur: HOESCHELII *Notæ ad Gregor. Nazianz. Definitiones rerum ſimplices. Heidelbergæ.* 1591. in 8°.

Notas *Hoeſchelii*, ſuæ *Definitionum S. Gregorii* editioni, anno 1678. *Lipſiæ*, in 8°. vulgatæ inſeruit Adam. *Rechenberg.* V. *Catal. Biblioth. Bünav. T. III. p.* 82.

XXVIII.

Digitized by Google

1600.

XXVIII. *Geographica Marciani Heracleotæ, Scylacis Caryandenſis, Artemidori Epheſii, Dicæarchi Meſſenii, Iſidori Characeni. Omnia nunc primum, præter Dicæarchi illa, a Davide Hoeſchelio Aug. ex manuſcriptis* Codicibus *edita. Auguſtæ Vindel. ad inſigne pinûs. Græce. in* 8°. *Pag.* 112.

Conſecravit *Noſter* Io. Georg. *Herwarto ab Hohenburg*, I. V. D. Exaſſeſſori ſummi tribunalis Imperii, & Excancellario ſupremo SS^mi. utriusque Bavăriæ Ducis, Conſiliario eiusdem intimo, Præſidi *Suabæ*, inclytorum Statuum Bavaricorum Cancellario, ſequentia monens: *Cuiusmodi, eruditæ antiquitatis, anagraphæ poſteaquam in M. Velſeri.. manus inciderunt, primo eas quoquo tempore imprimendas eſſe cenſuit.* Uſus eſt autem *Hoeſchelius* in conferendo Apographo *Velſeriano* Codicibus *Palat. Elect.* & Iſaaci *Caſauboni*, itemque Io. Georg. *Herwarti.* Habes ibi & Iſaaci *Caſauboni* Epiſtolam ad *Noſtrum*, et Excerpta ex litteris Ioſ. *Scaligeri* ad eundem: in margine variantes Lectiones: in fine Notas *Hoeſchelii*, & Schediaſmata Henrici *Stephani* de Opere *Dicæarchi*, deque *Sophoclis* apud Dicæarchum verſibus.

Confer I. A. *Fabricii Biblioth. græc. T. III. p.* 33. & *G. G. Zapfium l. c. p.* 192.

1601.

XXIX. ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗ ΤΟΥ ΦΩΤΙΟΥ. *Librorum, quos legit Photius Patriarcha, Excerpta & Cenſuræ, quatuor MSS^tis. Codicibus ex Græcia, Germania, Italia, Gallia collatis. David Hoeſchelius, Auguſtanus, primus edidit. Notis, in quibus multa Veterum Fragmenta antehac inedita, illuſtravit. Auguſtæ Vindel. ad inſigne pinûs. Cum Privilegiis S. C.*

Majeſtatis & chriſtianiſſimi Regis Galliarum. in folio. Alphabeta 10. *Pagellæ* 30.

Splendidiſſimo Operi præmittitur Dedicatoria *Noſtri* ad *Quirinum* REHLINGERUM, & *Marcum* VELSERUM *Duumviros* urbis *Auguſtæ* Præfectos, ac totum Collegium *Septemvirûm.* Succedit *Epiſtola* græca *Maximi Margunii ad litterarum amatores.* Hanc excipiunt Veterum de *Photio* Teſtimonia: Elegia Jani *Gruteri* maxime in laudem VELSERI, qui permagnam in hoc Opere partem habuit: Georgii *Remi* & Conradi *Rittershuſii* Epigrammata tum græca, tum latina: Thomæ *Segeti* Scoti Carmina. Succedit ipſa *Bibliotheca* et eius *Index.* Huic ſubjiciuntur PHOTII *Epiſtolæ aliquot*, Bonaventuræ *Bodeccero*, Domino *Elcoviæ*, S. C. M. â Conſiliis, una cum *Notis in Bibliothecam*, â *Noſtro* dicatæ verbis ſequentibus: *Cum*, *Vir ampliſſime! non hîc tantum coram*, *verum etiam abſens per litteras*, Photii Bibliothecam *mihi diligenter commendâris*, *nec quicquam eorum prætermitti volueris*, *quæ ad illam ſive augendam*, *ſive ornandam & expoliendam facerent*: *nactus volumen* Epiſtolarum *eiusdem* Photii *e Libris Max.* Margunii . . *calamo exaratis ineditum*, *ſuaſu Virorum doctorum*, *conſenſu etiam D. Caroli* Rehlingeri *Affinis tui*, *Scholarchæ noſtri*, *paucas quasdam inde excerptas. . . . imprimendas curavi. Has tuis auſpiciis in lucem prodire patiaris*, *Vir magne*! *qui NB.* nulli ſumptui peperciſti, quo Theſaurus hic ê tenebris erutus juris tandem publici fieret: *Quo nomine ut poſteritas omnis plurimum tibi debebit*, *ita gratias publice ago & habeo*, *quas poſſum maximas. Tuæ autem cenſuræ acerrimæ non has ſolum* Epiſtolas *ſed et* Notas in hoc Opus Photii eruditiſſimum *ſubjicio*, *quas &c. &c.* Ad calcem legere eſt: *Auguſtæ Vindel.*

del. Ex officina typographica Ioannis Prætorii. Anno MDCI.

Quanto ambitu petita, quanto data ſit Editio hæc, quam inſuper typorum nitor, chartæ munditia, totus denique habitus mire commendant, aperte teſtantur inſertæ *Caſauboni* & *Scaligeri* Epiſtolæ, qui *Noſtro* ſuas quoque *obſervationes* transmiſerunt (*a*). Ceterum hic HOESCHELII noſtri labor pluries poſtea recuſus prodiit; nam poſtquam *Andreas* SCHOTTUS eam *Bibliothecam* latine (*b*) convertiſſet, dicatam Marco VELSERO, illa *Auguſtæ*, anno 1606. tomis duobus, altero *græco* altero *latino*; dein *Genevæ* uno tomo, græco-latine, columnatim anno 1613. denique eodem modo *Rothomagi* anno 1653. væniit (*c*). Confer *Philippum* ALLEGAMBE in *Biblioth. Script. Soc. Jeſu.*

Epiſtolæ PHOTII, â HOESCHELIO vulgatæ, rurſus in Collectione *Epiſtolarum Photii*, quæ *Londini.* 1651. cum Verſione latina *Richardi Montacutii* edita fuit, prodivere, unâ tamen omiſſâ, quæ *Ioanni* πραιποσίτῳ καὶ πατρικίῳ inſcribitur.

(*a*) Confer Daniel. *Heinſium* in *præfatione Ariſtarchi. Fabricii Bibl. græc.* T. IX. p. 379. Mart. *Hanckium de Scriptoribus Rer. Byzantin. p.* 395. *I. G.* SCHELHORNII *Beyträge &c. IV. St. p.* 194. 201. BAUMGARTNER *Nachrichten von merckwürdigen Büchern*, 7. *Theil. p.* 506. *G. G.* ZAPFIUM *l. c. p.* 195.

(*b*) Hanc editionem, itidem *ad inſigne pinûs* impreſſam eſſe ſumptu *Velſeriano*, diſcimus ex *Epiſt. Noſtri* ad *Kirchmannum.* Confer *Io. G.* SCHELHORNIUM, & *G. G.* ZAPFIUM *ll. cc.* ſi placet.

(*c*) Mirari ſatis nequeo, GUNDLINGIUM in *Hiſtorie der Gelehrtheit, p.* 1483. ſcribere: hanc *Photii* editionem haud raram eſſe; cum tamen *Hoeſcheliana* omnia, & Libri *ad inſigne pinûs* excuſi rarioribus accenſeri debeant.

Ante *Indicem rerum* poſuit *Noſter Epiſtolas V.* quatuor *Baſilii M.* unam *Antipatri ad Baſilium*, ex Codice græco *Auguſtano* primum a ſe editas, *græce.*

Hunc *Noſtri* laborem additis Ioſ. *Scaligeri Notis* in *Phrynichum*, & *Nunneſii Notas*, *Trajecti ad Rhenum* recudi fecit Io. Cornel. *de Pauw* in 4°. 1739. Vide inferius, ad annum 1603. *No. XXXV.* Confer *Catalog. Biblioth. Bünav. T. I. p.* 158. & I. A. *Fabricium* in *Bibl. græc. T. IV. p.* 523. *G. G. Zapfium*, *l. c. p.* 194.

1601.

XXXI. *Maximi Margunii*, *Epiſcopi Cytherorum*, *Hymni anacreontici*, *cum interpretatione latina Conradi Rittershuſii.in* 8°. *græco - latinè. Auguſtæ. Ex officina typographica Ioann. Prætorii. Pagellæ* 72.

Hymnos iſtos *anacreonticos*, omnino diverſos à *Poematibus* MARGUNII, de quibus ad annum 1592. *No. X.* dixi, *Conradus* RITTERSHUSIUS *Hoeſchelio* noſtro inſcripſit *græca Epiſtola*, ex qua diſcimus: „ *Rittershuſio* Auguſtam advecto *Noſtrum* „ dono dediſſe *Hymnos* hos ea conditione addita, „ ut illos, latine redditos, typi ope vulgaret. “ Laudat deinde *Rittershuſius*, inter amicos alios, quorum alloquio fruitus fuerat, nominatim Marcum *Velſerum.* Tandem in laudes *Margunii* excurrit. *Rittershuſii* epiſtolæ ſubnectuntur *duæ Epiſtolæ* ipſius *Margunii* ad eundem. Sequuntur Carmina in *Rittershuſium* encomiaſtica Gregorii *Bersmanni*, Georgii *Remi*, Michaelis *Virdungi*, Huldrichi *Buchneri P. L.* His ſuccedunt Hymni *Margunii*, ad quorum finem adſuta videre eſt varia pia *Carmina*, Conradi *Rittershuſii*, Thomæ *Golneri* Franci, Melch. *Kochii* IC. Ioann. *Pici* Mirandulæ, Georgii *Remi.* Præcipue ibi annotandus venit antiquus *Hymnus*,

quem ex *membranis*, apud Marcum *Velſerum*, menſe *Auguſto* anni 1599. deſcripſiſſe ſe fatetur idem *Rittershuſius:* quique de 12. lapidibus pretioſis (*Apocalypſeos c.* 21. *v.* 19. 20.) agit. Itaque nullam aliam partem in hac opella *Noſter* habet, quam quod eius edendæ & conſilium dederit, & curam geſſerit; de quo vide inferius inter *Epiſtolas Noſtri*, *N°. III.*

1602.

XXXII. *Adriani Iſagoge SS. Litterarum: & antiquiſſimorum Græcorum in Prophetas Fragmenta, opera David. Hoeſchelii Auguſt. ex manuſcriptis Codicibus edita. in 4to. Cum Privilegio cæſareo. Auguſtæ Vindel. Typis Ioannis Prætorii. Cum inſigni pinûs. Græce. Pag.* 48.

Averſa *Tituli* pagina exhibet *Contentorum elenchum* ſequentem: *I. Adriani Iſagoge, è Codd. MSS. Boico, & nob. V. Marq. Freheri. II. Synopſis Prophetiarum, incerto Auctore, ex Auguſtano Codice. III. Heſychii presbyteri Hieroſolymorum* στιχηρὸν *ſive* κεφάλαια *in XII. Prophetas minores, & in Eſaiam, ex membranis Bibliothecæ Auguſtanæ. IV. Argumentum in Hieremiam, Ioann. Chryſoſtomi, ex Cod. Boico: & in Threnos,* ἀδέσποτον, *ex Auguſtano Codice. V. Argumentum in Ezechielem, Theodoreti: Aliud item, Polychronii, è membranaceo Codice Auguſtano. VI. Argumentum in Danielem, ex Codice Bavarico. VII. Africani & Origenis Epiſtolæ* ἀμοιβαῖαι *de hiſtoria Suſannæ, ex Bibliotheca V. Cl. Andr. Schotti Antverpiani; cum fragmento de Suſanna, Io. Chryſoſtomi, ex Auguſtano Codice. VIII. Synoptica Hiſtoria de vita et obitu Prophetarum,* ἀδήλου. *Ex eodem membranaceo Auguſtano Codice.* Hæc ſunt contenta Operis — Succedit Epiſtola *Noſtri* ad Marquardum *Freherum* dedicatoria, cuius exordium

ordium eſt: *Redit ad Te, Vir eximie*, Adrianus *tuus, neque is absque ſoenore, ut arbitramur. Non enim ſolum cum alio MSS*[to]. *Codice, quem e Boica Bibliotheca... Io. Georg.* Herwartus ab Hohenburg *M. Velſero.. miſit, tuum contulimus &c. &c.* In margine citationes Textuum Scripturæ, in fine *Notas* ſuas addidit *Hoeſchelius.*

Opus hoc *Noſtri*, inſertum *Criticis ſacris, T. VI. p.* 10. Edit. *Francoſurtenſis*, habes, Lector! ex editione *Londinenſi*, Io. *Pearſonii*, eorundem *Criticorum* illò translatum. Confer I. A. *Fabricii Bibl. græc.* T. *IX. p.* 381. BUDDEI *Iſagog. in Hiſtor. theolog. litterar. p.* 1429.

1602.

XXXIII. *D. Ioannis Chryſoſtomi contra Judæos Homiliæ VI. græcè nunc primùm III. MSS. Codicibus Palatino, Auguſtano, & Cyprio inter ſe conlatis: latinè partim modo, partim emendatiores ac integriores, quam antea, editæ, opera Davidis Hoeſchelii. Auguſt. Auguſtæ. Ex typographeo Ioannis Prætorii. in* 8°. *Alphabetum* 1. *Pagellæ* 96.

Dicavit *Noſter* Caſpari et Melchiori *Erhardis* civibus *Auguſtanis*, quorum *in eos, qui Eccleſiæ, qui Scholis ſerviebant: in adoleſcentes eruditæ doctrinæ deditos* munificentiam prædicat; *Melchioris* præſertim, *qui nec æri ſuo pepercerat, quò editio hæc maturari poſſet.* Sequuntur Epiſtola *Margunii* ad Chriſtianos amantes Chriſti: alia *eiusdem*, uti & Conſtantini *Lucaris* ac Leontii *Euſtrathii* (*a*) amicæ *Epiſtolæ* græcæ ad *Noſtrum*: item Joſephi *Scaligeri* latina ad eundem. In fine *Hoeſchelius* addidit *Iſido-*

(*a*) Hic *Cyprius* fuit, & ex *huius* membranis, quas ex patria *Auguſtam* ſecum attulerat, *Hoeſchelius* ſupradictos *Sermones* transſcripſit.

Iſidori Peluſiotæ Epiſtolam *de abolita Judæorum Politia*, & *Notas*.

Hunc *Noſtri* laborem, tum alii Editores *Chryſoſtomi*, tum maxime Bernard. *Montfauconius*, (quem vide *T. I. p.* 583. *ſeqq.*) ſaltem ex parte adoptandum ſibi duxit. Confer *I. A. Fabricium*, *T. VII. p.* 653. 654.

1603.

XXXIV. *Eclogæ Legationum:- Dexippi Athenienſis, Eunapii Sardiani, Petri Patricii & Magiſtri, Priſci Sophiſtæ, Malchi Philadelphenſis, Menandri Protectoris. Cum Corollario excerptorum è Libris Diodori Siculi amiſſis, XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. Omnia è MSS. Codicibus à Davide Hoeſchelio Auguſtano edita. Auguſtæ Vindel. Typis Io. Prætorii.* Additum eſt inſigne pinûs. *Cum Privilegiis S. C. Majeſtatis, & chriſtianiſſimi Regis Galliarum. in* 4to. Græcè. *Alphabetum* 1.

Sacravit *Noſter* Io. Matthæo *Wackero* à Wackenfelſa, Equiti, S. C. M. à Conſiliis Imperii aulicis, ſequentia monens: *Eius* (Libri) *quæ de Legatis agit, partem Fulvius* Urſinus.... *ante annos aliquot quam multos edidit; partem ex* SSmi. Maximiliani *Boiorum Ducis & Cl. Viri Andreæ* Schotti *bibliotheca, quæ nemini rem publicam juvare cupienti non patet, nos jam evulgamus.... His corollarium addidimus*, Eclogas Librorum Diodori Siculi *amiſſorum, quas ex Codice Ludovici* Alemanni *Florentini doctiſſimus R.* Thomſon *Anglus mecum amice communicavit. Hæc Veterum monimenta, Vir ampliſſime! tibi tantæ dignitatis tantæque eruditionis dicare non fuiſſem auſus, niſi.. Marcus* Velſerus *Duûmvir noſter, amicus tuus me confirmaſſet: cuius*

cuius liberalitati editio hæc debetur. . . . Nil dicam de beneficio (quodnam illud ? in obſcuro eſt) *quo me in reipublicæ litterariæ commodum ornaſti maximo &c.* Ex quibus Codicibus iſta hauſerit, HOESCHELIUS peculiarî paginâ indicavit, Veterumque teſtimonia præfixit, annotationes autem nullas adjecit.

Ex primæva editione iſta hæc poſtea in *Corpus Hiſtoriæ Byzantinæ* (Editionis tum *Pariſinæ*, tum *Venetæ*) reſectis tamen, quæ interea cum ipſo *Diodoro* vulgatæ fuerant, *Legationum Eclogis*, tranſierunt.

Confer *Io. A. Fabricium*, *Biblioth. græc. T. IV. p.* 230. 491. & *I. G.* SCHELHORNIUM *junior. l. c. p.* 196.

1603.

XXXV. *Ad Phrynichum et eius Interpretem, Viri illuſtris Notæ à Dav. Hoeſchelio editæ. Ex typographia Michael. Mangeri. in* 4to.

Vide *ſuperius*, No. *XXX.* Hic labor non eſt *Noſtri*, ſed enim *Ioſephi* SCALIGERI, ipſo *Hoeſchelio* teſtante in *Epiſtola* ad MEURSIUM, 1603. ſcripta : „ Mitto tibi *Notas ad Phrynichum* eius, quem „ *aquilam in nubibus* appellat LIPSIUS ; quod aciem „ oculorum ipſius nihil fugiat ; de quo DUAKERUS „ hæc ad me : *In Phrynicho quam elegantes ſunt* „ *Obſervationes magni illius noſtri ?* Memini, quum „ adhuc Andreas *Dudithius* viveret, indignari ipſum ſæpius ſolitum, quod in legendis Auctoribus ipſe animadvertere non potuiſſet, *quæ* SCA„ LIGER *aliud agens, vel ſomnians etiam, deprehendiſſet. Sed eſt hæc virtus magnorum ingeniorum,* „ *ut, quod alii vix immenſo labore conſequi poſſunt,* „ *ipſis ſub manu naſcatur.*" Confer *I. G.* SCHELHOR-

HORNIUM *junior. l. c. p.* 195. Hoc Opus videre mihi haud licuit.

1604.

XXXVI. *Sapientia Sirachi, ſive Eccleſiaſticus. Collatis Lectionibus variantibus membranarum Auguſtanarum vetuſtiſſimarum, & quatuordecim præterea exemplarium. Addita Verſione Latina vulgata, ex Editione Romana. Cum Notis Dav. Hoeſchelii Auguſtani, in quibus multa SS. Patrum loca illuſtrantur. Cum inſigni pinus. Auguſtæ Vindel. apud Ioann. Prætorium. in* 8°. *Alphabetum* 1. *Pagellæ* 56.

Dicatum Opus *Andreæ Bohemo N.* ſeniori, virtute ac prudentia ornatiſſimo, mœcenati litterarum honorando, ubi *Noſter* ait: *Salutaria vitæ ac morum præcepta .. non e Lyceo, non ex Callirhoe Attica, non ex hortis eius, qui noluit ſubveniri erroribus; ſed ex Academia cæleſti illa; ex fontibus Iſraeliticis, è SS. Litterarum Paradiſo .... ſumenda ſunt.* Laudat deinde *Noſter* ſtudium, quo mæcenas iſte non ſolum ad huiusmodi Libros legendos, ſed etiam ad eos in uſum & utilitatem juventutis edendos incubuit, imitatus *Velſerum* et alios.

Recuſum Opus hoc in *Criticis ſacris, T. III. p.* 1782. Edit. *Francofurtenſis*, eò translatum ex Editione *Londinenſi, Io. Pearſonii*, eorundem *Criticorum.*

Confer I. A. *Fabricii Hiſtor. ſuæ Biblioth. T I. p.* 278. *Le Long Biblioth. ſacr. Io. Frid. Mayer Bibl. Biblioth. Diſſert. ult. I. G.* SCHELHORNIUM *junior. l. c. p.* 197. & *G. G.* ZAPFIUM *l. c. p.* 199. *Auguſtinum* CALMETUM in *Bibliotheca ſacra.*

1605.

XXXVII. *Origenis contra Celſum Libri VIII. & Gregorii Neo-Cæſareenſis Thaumaturgi Panegyris*

gyris in Origenem, a David. Hoeſchelio ex Bibliothecis elect. Palat. Boica et Auguſtana græce et latine nunc primum editi. Acceſſere Notæ & Indices. Auguſtæ Vindel. ad inſigne pinûs. Cum privilegio cæſareo. in 4to. Alphabeta 5. Pagellæ 42. In fine: *Imprimebat David Franck.*

Inſcripſit Carolo *Rehlingero*, Domino in *Burckwalden*, Judicii Auguſtani Aſſeſſori & *Scholarchæ*, cuius liberalitate typis vulgatum eſt hoc Opus. Interpretatio eſt *Sigiſmundi Gelenii*, paſſim tamen correcta: in margine variantes Lectiones et loca *Veterum* adjecta, in Notis ἀποσπασμάτια *Veterum*, imprimis *Origenis* ex *Philocalia* inſerta. Adjutores huius laboris *Noſtro* fuerunt Iſaacus *Caſaubonus*, cuius etiam *Epiſtolam* habes *p.* 497. & Laurentius *Rhodomannus*, de quo conſule in ipſo *Opere, p.* 496.

Poſtremus *Opp. Origenis* editor Carolus *de la Rue* meminit huius operæ *Noſtri* verbis ſequentibus: *Anno 1605.. Libri VIII. contra Celſum græce et latine prodiverunt, interprete Sigiſmundo Geſlenio, cum Notis D. Hoeſchelii. Eosdem denuo græce adjuncta Geſlenii interpretatione Cantabrigiæ 1658. in lucem dedit Guilielmus Spencerus. Hæc editio typis recuſa eſt Cantabrigiæ 1677. Græca, prout Davidis Hoeſchelii editio ferebat, ſecutus eſt Spencerus...*

Confer I. A. *Fabricii Bibl. græc. T. V. p.* 219. *Catalogum Biblioth. Bunav. T. III. p.* 68. *I. G.* SCHELHORNIUM *junior. l. c. p.* 198. *G. G.* ZAPFIUM *l. c. p.* 202.

1607.

XXXVIII: *Hiſtoriarum Procopii Cæſareenſis Libri VIII. nunc primum græce editi. Acceſſit Liber de ædificiis Juſtiniani fere duplo quam antea auctior, operâ David. Hoeſchelii Aug. Auguſtæ Vindel. apud David. Francum. Cum Privilegiis S.* C. *Maj. et Re-*

gis

gis chriſtianiſſimi. *in folio.* *Græce.* *Alphabeta.* 5. *folia*, *ſeu pagellæ* 20.

Dicavit Chriſtophoro *Furero* & Paulo *Harsdorfero* Duumviris, Septemvirûmque Collegio, & Decurionum Ordini Reipublicæ *Norimbergenſis*, his inter alia verbis: *Amplitudinis veſtræ patrocinium Procopio noſtro quærendum exiſtimavi*, *idque eo audacius*, *quod huius mihi auctor etiam* .. *M. Velſerus* .. *exſtiterit*: *Quin et ea de cauſſa*, *ut hæc grati animi quædam eſſet ſignificatio pro ſingulari illa in me Amplitudinis veſtræ voluntate*, *cuius ſuffragiis ad munus docendi publice in celeberrima Altdorfii Academia veſtra vocatus fui.*

Codicem unum ex Bibliotheca *Boica* Io. Georg. *Herwartus*: alium Joſeph. *Scaligerus* paſſim à ſe emendatum: tertium Iſaacus *Caſaubonus* manu exaratum pereleganti Petri *Chabanæi* (*a*) *Noſtro* ſubmiſerunt. Idem *Caſaubonus*, quæ ad Librum *de ædificiis Juſtiniani* ſupplendum Carolus *Labbæus* IC. e veteri Codice transſcripſit, *Hoeſchelio* communicavit. Sumptus maturandæ editioni neceſſarios Io. Georg. *Oeſterricher*; Ioannes *Huep-her*, & Wolfgangus *Emekofer*, cives Auguſtani, ſuppeditaverunt. In margine Lectiones variantes, in fine Notæ *Hoeſchelii*, & Indices comparent.

Hoc *Noſtri* labore, *tanquam fundo novæ editionis*, uſum ſe profitetur *Claudius* MALTRETUS, qui *Procopium* poſt *Noſtrum* edidit, quem videſis in *Corpore Hiſtoriæ Byzantinæ*, editionis *Pariſienſis*, dein et *Venetæ*.

Conſule *I. A. Fabricii Biblioth. græc. T. VI. p.* 251. *I. G.* SCHELHORNIUM *junior. l. c. p.* 207. *G. G.* ZAPFIUM, *l. c. p.* 208. XXXIX.

(*a*) Fuit hic CASAUBONI ex ſorore nepos, *optimus adoleſcens*, quem mors præmatura rapuit. V. CASAUBONI *Epiſtolam* 387.

Digitized by Google

1610.

XXXIX. *Alexiados Libri VIII. ab Anna Comnena de Rebus à Patre geſtis ſcripti. Nunc primum a David. Hoeſchelio A. ex Auguſt. Reipublicæ Bibliotheca editi. Auguſtæ Vindel. ad inſigne pinûs. Cum Privilegio cæſar. perpetuo. Græce. in* 4to. *Alphabetum* 1. *Pag.* 6.

Nuncupavit *Noſter* Marco *Velſero* & Ioann. Iac. *Remboldo* Duumviris, SeptemvirúmqueCollegio *Auguſtano*, Opus *magni viri* (ut ait) *auctoritate* a ſe ſuſceptum. In præfatione dolet, *non niſi octo Libros dare ſibi licuiſſe*, & *hos quoque perpetuò ſere lacunatos*: unde optat, ut malo huic occurrat Petrus *Faber* Senator Tholoſanus, *apud quem magni Cujacii Codicem exſtare dicebatur*. Sed hunc fata vivis citius eripuerunt. Addit *Latinorum* teſtimonia de *Alexio Comneno*. In margine Lectiones variantes, in fine Notas *Hoeſchelii* habes. NICERONIUS *l. c.* ait: *Reperitur in aliquibus Catalogis etiam editio anni* 1618. *quæ forſitan una eſt atque eadem cum præſenti.*

Poſt *Noſtrum* Alexiadem edidit Petrus *Poſſinus* Libris XV. retentis *Hoeſchelii Notis*, quam habes in *Corpore Hiſtoriæ Byzantinæ* (editionis tum *Pariſinæ*, tum *Venetæ*) ubi ait: *Hoeſcheliano* huic labori, *utut lacerata & incredibiliter mendoſa data fuerint, tamen ſuam apud viros doctos gratiam conſtitiſſe.*

Conſule I. A. *Fabricii Bibl. græc. T. VI. p.* 391. *Hanckium de Script. Byzantinis. T. I. p.* 513. *Boecleri Bibliogr. critic. p.* 311.

1611.

XL. *Vita S. Antonii Eremitæ à S. Athanaſio græce ſcripta, è Codice Boico nunc primum edita cum David. Hoeſchelii Aug. Interpretatione & Notis. Au-*

guſtæ Vindel. ad inſigne pinûs, *imprimebat David Franck. in 4ᵗᵒ. Pagellæ* 88.

Inſcripſit *Noſter* Antonio *Velſero* (*a*) Epiſtola *græca*. In fine *Lectio varians* adjicitur, ex Codice MSSᵗᵒ. Henrici *Savilii*. Acceſſit *Pariſienſi* editioni *Opp. S. Athanaſii*, à Petro *Nannio* 1627. vulgatæ: demùm in editionem Bernardi *Montfauconii* migravit, utut ab hoc Viro doctiſſimo abſolutior edita.

Conſule I. A. *Fabricii Bibl. græc. T. V. p.* 302. *Ingolſtadii* editam male (ut in aliis) *Spizelius* in *Templo Honor. reſer.* aſſerit, notante Iac. *Bruckero. l. c.*

(*a*) De huius meritis in Rem litterariam egi in *Alphabeto II. Biblioth. Auguſtan. p.* 147.

1611.

XLI. *D. Auguſtini Liber de Geſtis Pelagii*, *nunc primum editus. Cum privilegio cæſareo perpetuo.. Auguſtæ Vindel. ad inſigne pinus.* in 8ᵒ. *Pagellæ* 58.

Huic editioni præfatum eſſe *Hoeſchelium*, monet *I. G.* SCHELHORNIUS *junior l. c.* &, haud dubie hunc ſecutus, *G. G.* ZAPFIUS *l. c.* etſi nomen *Noſtri* ibi haud appareat: unde neſcio, utrum hæc opella *ei* ſatis recte tribuatur. In *præfatione* dicitur: *Libellus antehac omnes Auguſtinianorum Operum conquiſitores . . fugit; nunc demum* Fæſulis *in Bibliotheca Abbatiæ* S. Bartholomæi *Cann. Regg. Lateranenſ. repertus. Eius antigraphum cum Scipio* Cobellutius . . . *Româ ad Marc.* Velſerum *Duumvirum Auguſtanum miſiſſet*, *viſum pulcherrimæ gemmæ publicam lucem non eſſe invidendam. . . . Exemplum Roma miſſum cum fide expreſſimus*, & lectiones variantes *ad oram adſcriptæ*, inde ſunt: *ſed quæ in ima pagina*, *pleraſque Antonius* Velſerus

rus *Canonicus Friſingenſis inter legendum ſubitaria conjectura annotavit; paucas aliquas, audaciores paullo non, agnoſcit....* Ex his corrigendi ſupracitati *Schelhornius* & *Zapfius*, qui narrationi ſuæ aliquot leviora errata inſperſerunt.

1612.

XLII. *Philonis Judæi de Mercede Meretricis non accipienda in Sacrarium Tractatus. Græce. Ex MSS^{to.} Codice Auguſtano, cum Notis. Auguſtæ.* 1612. *in* 8°. Hunc Libellum, quem videre mihi haud licuit: & quem poſteriores *Opp. Philonis* editiones omnes exhibent, ſola NICERONII, dein & *I. A.* FABRICII (in *Biblioth. græc. Libro IV. p.* 111. 112.) auctoritate memoro.

1614.

XLIII. *Philo* περὶ τῆς ἑβδόμης: *de Numero ſeptenario, græce editus à David. Hoeſchelio. Auguſtæ. Vindel.* in 4to. *Adjecta Fragmenta II. Libri eiusdem de Providentia;* deinde *Nicetæ de ſeptem mundi Admirandis; denique locus Hippocratis de ſeptem Gradibus vitæ humanæ,* & *S. Gregorii Nyſſeni, ex ſermone de Pentecoſte, de numero ſeptenario.*

Ita teſtatur *Iac.* BRUCKERUS *l. c. p.* 470. citans *Fabricii Biblioth. græc. T. XIII. p.* 302. Confer, ſi lubet, *I. G.* SCHELHORNIUM *juniorem*, *G. G.* ZAPFIUM, *ll. cc.* Mihi, quò minus hanc editionem viderem, iniquior fortuna obſtitit.

Primus edidit HOESCHELIUS, ex Codice, ut conjectura eſt, *Vaticano*, *N°.* 379. Verſio *Federici Morelli* nomen præfert, illo tamen Viro in multis indigna admodum; unde eam de novo conficiendam ſibi duxit *Thomas* MANGEY in nova *Opp. Philonis* editione: quam vide *T. II. p.* 277.

Hoc loco non attexere non poſſum, quæ in *Catalogo Bibliothecæ Bunavianæ T. III. p.* 54. lego: *Philonis omnia, quæ extant, Opera ex accuratiſſima Sigiſmundi Gelenii & aliorum interpretatione, partim ab Adriano Turnebo è Chriſtianiſſ. Regis Bibliotheca, partim à* (*NB*) Chriſtiano Hœſchelio *ex Auguſtana, edita & illuſtrata. Huic noviſſimæ editioni acceſſere variæ Lectiones, et elegantiſſimus eiusdem Philonis de Septenario Libellus & de Providentia Dei Fragmenta. Francofurti.* 1691. Quis *Chriſtianus* iſte HOESCHELIUS fuerit, diu anceps hæſi; donec inſpecto ipſo *Opere* detexi, *Catalogum Bunavianum* turpe mendum præferre, et legendum eſſe *Davide* (non *Chriſtiano*) HOESCHELIO: cuius ſuprà memoratus labor huic editioni et ipſe acceſſit.

1624.

XLIV. Poſt fata *Noſtri* prodiverunt: *P. Terentii Afri Comœdiæ ſex germanico-latinæ, terſiſſimis Verſionibus Cll. & Doctt. p. m. Virorum, Matthiæ* SCHENCKII & *Davidis* HOESCHELII, *Scholæ Annæanæ olim Primariorum. Opera et ſumptibus Bernardi* HEUPOLDI, *Scholæ eiusdem Præceptoris* (a) *foras datæ anno*:

A IoVe *prInCIpIVM*, D*e* IoV*e fInIs InIt. Auguſtæ Vindel. Excudit David Franck. in* 8°.

Ita BRUCKERUS *l. c. p.* 471. & CROPHIUS in *Hiſtoria Gymnaſii San-Annæani, Auguſtæ* vernacula, *pag.* 198. docent. Prior *fœtum* indignum *tantis nominibus, haud dubie ex dictatis, eorum diſcipulis olim oblatis, conſarcinatum eſſe* judicat. Poſterior, allatam BRUCKERI ſententiam comprobans, inquit:

(a) HEUPOLDI merita pandi in *Alphabeto III. Bibliothecæ* meæ, *p.* 222. 223.

inquit: „ Credibile eſt, SCHENCKIUM hæc talia „ diſcipulis, quorum in numero & HOESCHELIUS „ tum fuit, dictaviſſe: deinde HOESCHELIUM, „ *claſſi V.* præfectum, eadem elimaſſe, ſuisque „ rurſum diſcipulis in privatum uſum propoſuiſſe: „ denique HEUPOLDUM typis evulgâſſe, exiguo honori Auctoribus futura; quippe qui longe politiora producturi fuiſſent, ſi litteratis ac doctis offerenda ſcripſiſſent; nec unicè in diſcipulorum gratiam Verſionem iſtam, absque multa præparatione, labore proletario adornaſſent. Iſtud certe manet: fieri haud potuiſſe, ut SCHENCKIUS & HOESCHELIUS, unitis viribus atque juncta opera, in hac Verſione facienda elaborârint: Unde eſt, cur Librum hunc ſcholaſticum HOESCHELIO ipſi tribuere dubitem." Confer, ſi lubet, I. A. *Fabricii Biblioth. latin.* & GOTTSCHED in Libro: *Vorrath zur Hiſtorie der dramatiſchen Dichtkunſt*, *p.* 184.

Poſt Libros à *Noſtro* ſeorſim vulgatos, jam de litterariis Laboribus *Hoeſchelii*, qui alienis Operibus acceſſerunt, aut accedere debuiſſent, dicendum eſt. Huius generis ſunt.

1°. *Notæ* aut (ſi mavis) *Obſervationes in Clementem Alexandrinum*, de quibus *Fridericus* SYLBURGIUS (*a*) teſtatur: *Contribuerunt autem ad hanc Editionem doctiſſimi Viri; Theodorus Canterus, Ioannes Arcerius, David* Hœſchelius, *&c. &c... Attamen etiam excerpta MSSta. nonnusquam aliquid opis attulerunt, quæ nobis pauciora Palatini Codices, plura* Hœſchelio *ſubminiſtravit liber Auguſtanus, quamquam confuſus &c. paſſim mutilus ac depravatus.* Ex editione *Sylburgiana* tranſierunt hæ

E 3 *Notæ*

(*a*) Edidit hic anno 1592. *Heidelbergæ*, in *fol. Clementis Opera.*

Notæ in editionem *Oxonienſem* à Ioann. *Pottero* adornatam anno 1715.

2°. *Obſervata ad S. Ioannis Chryſoſtomi Opera.* Hinc *Henr.* SAVILIUS in limine editionis ſuæ ſequentia profiteri non dubitavit: *Egregiam nobis & ſtrenuam operam navarunt Viri ampliſſimi doctiſſimique. . . Thuanus, Marcus Velſerus. . . David* Hœſchelius. . . . *Itaque Librariis noſtris aditus patefactus ad Bibliothecam regiam Lutetiæ, Palatinam,* Auguſtanam *&c. &c.* Videſis etiam *Tomum VIII.* editionis *Savilianæ*, ubi *Caſtigationes & variantes Lectiones ad Homilias S. Chryſoſtomi in Geneſin, & Epiſtolam ad Romanos ex MSS*tis. *Auguſtanis* à *Noſtro* collectæ occurrunt.

3°. *De Cœna Domini.* De hoc meletemate vide inferiùs, ubi de *Epiſtolis Noſtri* ago, *n°.* 5.

4°. *Notationes in Julii* POLLUCIS *Onomaſticon*, quas Wolfg. *Sebero* communicavit, teſte *Epiſtola* inferius danda, *n°.* 8. De his ſcripſit Iſaacus *Caſaubonus* ad *Seberum* ſequentia: *Crucior exſpectatione editionis*; *cum præſertim adſit tibi* Hœſchelius, *Vir græcarum litterarum peritiſſimus, & judicii recti*: Et *Seberus* ipſe operam, ſibi â *Noſtro* præſtitam, in *præfatione* his verbis expreſſit: *Tertium Codicem MSS*tum. *e Bibliotheca Auguſtana ad me curavit* Hœſchelius; *cui Notarum quoque bonam partem refero.* Tranſierunt hæ poſtea unà cum *Seberi* Notis in ſplendidiſſimam editionem *Pollucis*, anno 1706. *Amſtelodami*, abs Tiberio *Hemſterhuyſio*, in *folio* vulgatam.

5. *Annotata in Thucydidem*, quæ ad Henr. *Stephanum* miſiſſe ſe, in quadam *Nota* ad *Io. Damaſceni* Orationem *de Transfiguratione Domini*, ipſus monet. Sed illis antequam *Stephanus* uteretur, diem is ſuum obiit: quare *Noſter* Iſaac. *Caſaubonum*

per

per litteras ſciſcitatus eſt, utrum nihil horum in Bibliotheca *Stephaniana* ipſi occurriſſet. Reſcripſit *Caſaubonus* anno 1599. ſequentia : *Quod ſcribis de* Notis *tuis in Thucydidem, non memini quicquam tua manu ſcriptum invenire, cum* Stephanicæ *Bibliothecæ reliquias non poenitendas nuper recognoſcerem. Sed fieri poteſt, ut id exemplar aut manus, aut oculos noſtros fugerit. Spero* Paulum Stephanum, *ubi primum erit occaſio, ſub incudem magnum illum Scriptorem eſſe revocaturum & tuo beneficio uſurum : me certe habebit hortatorem aſſiduum.* Ceterum *Annotationes in Thucydidem manuſcriptas Hoeſchelii* (fors ex Bibliotheca *Stephaniana* eò delatas) in Bibliotheca *Argentoratenſi* ſervari, refert BOECLERUS in *Bibl. crit. c.* 5. *p.* 162.

6°. *Annotationes ad Iſaaci* CASAUBONI *meletema,* hoc titulo : *Inſcriptio vetus græca, continens dedicationem fundi ab Herode M. Rege actam, nuper ad urbem Romam in via Appia effoſſam,* quas à *Iacòbo* BRUCKERO, *Auguſtano* magni nominis Erudito, ſibi communicatas *Io.* LAMIUS noviſſimæ editioni *Opp.* MEURSII inſeruit, ubi vide *T. I. p. XIII.* & *T. VII. p.* 875. Has ex *Italia* receptas memoratus BRUCKERUS Bibliothecæ *Auguſtanæ* intulit, ne forte priſtina fata (tineis et ſquallori ereptæ fuerant) experirentur. Confer BRUCKERI *Miſcellanea &c.* *p.* 473.

7°. *Notæ in Michaelis* APOSTOLII (*a*) *Paroemias*, quas *Petrus* PANTINUS, harum *Paroemiarum* editor

E 4

(*a*) APOSTOLIUS, *Byzantinus*, patria à Turcis occupata exul, è Græcia in Italiam venit medio *ſæculo XV.* Primò benignè a *Beſſarione* habitus, poſtea eius liberalitate deſtitutus, in *Creta* inſula libris deſcribendis vitam toleravit. Vide *I. A.* FABRICII *Biblioth. græc. T. III.* *p.* 285. & *T. X. p.* 222.

tor *Lugduni Batavorum*, *in* 4to 1619. cum ſuis annotationibus conjunxit: uti ex COLOMESIO (*Bibliotheque choiſie*) monet NICERONIUS, *l. c.*

8°. *Poematia varia & Epigrammata*, *græca* (*a*), *latina* (*b*), quæ â *Noſtro*, etſi pro ſua modeſtia *nec â Muſis afflatum ſe*, *nec labra caballino fonte ſibi proluta eſſe*, fateri voluerit (*c*), confecta reperiuntur in diverſis Libris ea ætate publicatis. Hinc ob *græca* merito inter *græcos Poetas* locum *Noſtro* aſſignavit *Laurentius Craſſus* in *Hiſtor. Poet. græc.* quorum in numerum adſcribere eundem omiſit *Lizelius*.

(*a*) V. BRUCKERUM *l. c. p.* 472. & CROPHIUM *l. c. p.* 199.

(*b*) Confer *Philipp. Iac.* CROPHIUM, *l. c. p.* 94. Vide item ſuperius in *Catalogo Opp. Noſtri No. V.* & *Parentalia Georg.* TRADELII. *Auguſtæ*, *in* 4to. 1599. cui & ipſi inter amicos *Davidis* noſtri locus dandus eſt, et cuius Vitam deſcripſi in *Alphabeto III, p.* 209.

(*c*) Vide *Dedicationem* ad *Præcepta Conjugalia &c.* ſuperius *No. V.* indicata.

De *Epiſtolis* Noſtri — Non hôc locô repetam illas HOESCHELII Epiſtolas, quas per decurſum *Catalogi Operum â Noſtro* editorum, ſuo quasque ordine paullo ante indicavi. De reliquis dicendum.

1. In *Marq.* GUDII & *Claud.* SARRAVII *Epiſtolis* a BURMANNO editis, *T. I. p.* 187. occurrunt *Noſtri* Epiſtolæ IV. ad Ioann. *Kirchmannum*, & I. ad Ioannem *Meurſium*, omnes (ut Iac. *Bruckerus l. c.* ait) *luculenti teſtes & voluntatis Noſtri erga Viros doctos*, *& exacti in rebus ad criticam artem ſpectantibus judicii* (*a*). 2. Idem BURMANNUS in *Sylloge Epiſtol. T. II. p.* 353. exhibet Epiſtolas *Noſtri* III. ad Joſephum *Scaligerum*. 3. Rurſus I. ad Joſeph. *Scaligerum* inter *M. Velſeri Opp.* ab *Arnoldo* edita

(*a*) Confer *Catal. Bibl. Bunav. T. I. p.* 1926.

ta, *p.* 799. 800. extat. 4. Epiſtolam I. *Noſtri* ad Joachimum *Camerarium* in CRENII *Animadverſionibus philologicis & hiſtoricis*, *T. VI. c.* 3. §. 2. *p.* 184. leges. 5. Epiſtolæ II. *Noſtri*, quas inter illa: *De Cœna Domini*, ad Iſaacum *Caſaubonum*, in *Epiſtol. Caſaubon. Collectione.* 1709. *Roterodami. pag.* 651. 664. reperiuntur. 6. Epiſtolas V. *Noſtri* ad Ioannem *Meurſium* in nova *Opp. Meurſii* editione *Florentina*, *T. XI. p.* 124. 170. 193. 238. 249. Ioannes LAMIUS exhibuit. 7. Habetur etiam *Noſtri* Epiſtola ad *Jungermannum.* 8. Similiter aliquot Epiſtolæ extant in *B. G.* STRUVII *Actis litterariis*, uti monet ARENHOLD in *Biblioth. Epiſtolarum.* 9. WOLFII *Supellex epiſtol. & litter.* de ſequentibus *Noſtri* Epiſtolis teſtatur: de *una*, ad quem, non additur: de *una* ad *Georg.* REMUM: de *una*, ad MEURSIUM. 10. Epiſtolas XVI. hucusque anecdotas, proſpera forte mihi oblatas, ad dictum Georg. *Remum* ICtum. & Conſiliarium *Norimbergenſis* Reipublicæ, in fine huius *Narrationis* ego do.

Hactenus de Epiſtolis *Noſtri*, quarum notitia habetur. At ſunt procul omni dubio multo plures adhuc, quæ in Bibliothecis latent. In Bibliotheca certè *Krafftiana* Epiſtolas *Noſtri* extitiſſe, monuit SCHELHORNIUS in *Amœnitatibus litterar. T. III. p.* 116. & ſiquæ forte alicubi ſunt aliæ.

Denique, ut & de Operibus â *Noſtro* promiſſis vel meditatis pauca dicam, ſunt illa:

1°. *Homiliæ VI. S. Ioannis Chryſoſtomi contra Eunomianos.* Has ſe publicaturum, & ſex alias, cum duobus MSS. collatas, recudendas curaturum eſſe, *Noſter* ad oram *Catalogi MSS. Bibliothecæ Auguſtanæ* annotavit. In *Præfatione* vero ad *Nomenclatorem* ſuum monuit, ſe præter *S. Ioann. Chryſoſtomi Orationes contra Judæos*, & *Libros de*

Sacerdotio (Prodiverunt ambo hæc Opuscula typis excuſa, ut ſuperius, *Nis. XXV. & XXXIII.* habes) alia quoque huius *Patris* Scripta prælo adornâſſe. Nihil tamen horum (uti bene obſervavit *Iac.* BRUCKERUS *l. c. p.* 471.) foras prodiit, nec etiam prodiiſſe, notavit I. A. *Fabricius*, qui in *Bibl. græc. T. VII. p.* 654. editiones *Homiliarum* quam diligentiſſime recenſet. Iſtud ideo factum, cum *Bruckero* conjicio; quia circa illa tempora & Fronto *Ducæus*, *Pariſiis*: & Henricus *Savilius* in *Anglia* edendo *Chryſoſtomo* operam impenderunt: quibus, utpote Viris ſibi amiciſſimis, haud dubie Collectanea ſua Noſter communicavit; uti quidem de *Savilio* ex præmiſſis plane conſtat.

2. *Prophyrius* περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων: ſive *de Abſtinentia animalium.* Conſule *Epiſtol.* ad *Kirchmannum.*

3. *Gnomici Scriptores.* De his ſcripſit *Meurſio* anno 1603. in verba ſequentia: *Huius generis alia ſubjicerem, niſi de his ipſis* Gnomicis Scriptoribus, *cum tribus MSS. Codicibus à me collatis, edendis: ut & de* Theognide *ad totidem libros comparato cogitarem.* Adde *Epiſt.* ad *Kirchmannum.*

4. *Epictetea: Enchiridium, Arianus, Simplicius.* De his ad *Meurſium* anno 1610. ſcripſit ſequentia: *Aliter modo vices rependere non poſſum, donec* Epicteta *recognôro, ad quæ cum doctiſſimus D. Heinſius ſuppetiarum quid pridem promiſerit, ei etiam Alexiados exemplar mitto, ut calcar addam.* Confer aliam (ſi lubet) ad eundem *Meurſium* anno 1614. datam: uti & litteras *Caſaubono* ſcriptas anno 1612. item *Epiſt.* ad *Kirchmannum*, & *Jungermannum.*

5. *Cyrillus adverſus Julianum Apoſtatam.* Promiſit in *Epiſt.* ad *Kirchmannum.*

6. *Pſel-*

6. *Pſelli Logica*, quam ſe vulgaturum *in præfatione* ad *Nomenclatorem* ſuum pollicitus eſt: *ſi ei in typographiis locum impetret, quia Librarii eiusmodi libros abhorrent; quòd paucos emptores habeant.*

7. *Philocalia Origenis à Baſilio M. & Gregorio Nazianzeno ex Scriptis eius collecta.* Vide mox citatam *Præfationem* ad *Nomenclatorem.*

8. *S. Gregorii Nyſſeni* λόγος κατηχητικὸς, de quo vide eandem *Præfationem.* Forſitan hic eſt *Sermo* ille: *Quod non putandum ſit, tres dici Deos oportere*, quem græce *cum quibusdam aliis ad Chriſt. Plantinum* (*a*) *miſit, ut imprimeretur*: qui quomodo perierit, neſcire ſe dolet, cùm tamen *Sylburgius*, ſe miniſtro certe tradidiſſe, reſcripſerit.

(*a*) Vide *Catalogum Operum S. Gregorii Nyſſeni*, quem *Noſter* ad calcem *Opuſculorum V.* eiusdem *S. Patris* a ſe anno 1593. editorum adjecit. Confer *Catalogum Codd. græcor.* â *Noſtro* editum, *p.* 36. *n.* 62.

9. *Carmen aureum* (Pythagoræ) *ad fidem MSStorum. reſtitutum*, quod vulgaturum ſe, *Kirchmanno* in quadam ad eum *Epiſtola* promiſit. Confer *Epiſtolam Noſtri* ad *Meurſium* anno 1603. ſcriptam, *p.* 125. novæ Editionis *Florentinæ*, Opp. *Meurſii. T. XI.*

10. *Proverbia Salomonis*, de quibus, *cum membranis non unius Bibliothecæ collatis*, ea forma, quâ prius *Siracidem* ſive *Eccleſiaſticum* (*a*) vulgaverat, vulgandis ſe cogitare, annô 1616. in Epiſtola ad Georg. *Remum* datà ſcripſit. Vide inter *Epiſtolas* mox ſubdendas, *decimam quintam.*

(*a* Vide ſuperius in *Catalogo Opp. Noſtri*, *No.* *XXXVI.*

Non eſt, benevole Lector! non eſt plane, cur dubitem, horum nonnulla, typîs expreſſa, lucem viſura fuiſſe, ſi longius vitæ ſpatium *Noſtro*

ſtro datum fuiſſet : nec, eô ſatis ſupremis functô, relicta *Autographa*, quæ plena bonæ frugis, plena doctrinæ fuiſſe, ex editis quilibet judicet, fædum plane in modum disjecta diſtractáque fuiſſent ; uti CROPHIUS *l. c. p.* 192. dolenter refert.

Scilicet hæc eſt rerum humanarum inconſtantia ingens, hæc longe triſtiſſima viciſſitudo, ut, quod multò labore & ſollertia indefeſſa congeſſeris, incautus id atque illiteratus hæres facile interire patiatur : quod ipſum in doctis maximorum Virorum reliquiis accidiſſe multoties & acerbe doluit litterata Respublica, probe cognitum habens, quanto iſtud damno ſuo, quanto detrimento eveniat. Sed apage næenias, nil profuturas!

Succedant *Epiſtolæ Noſtri* XVII. hucusque anecdotæ, ne forte et has ſiniſter aliquis caſus, aut fortuna iniquior erudito orbi æternùm ſubducant.

DAVI-

Digitized by Google

DAVIDIS HOESCHELII
EPISTOLÆ XVII
ANECDOTÆ,
INSPERSIS NOTULIS
AD EARUM INTELLIGENTIAM
FACIENTIBUS.

Digitized by Google

Monitum.

Epiſtola I. meliùs *Atteſtatum* ſive *Teſtimonium morum* appellari poterit. Reliquae XVI. omnes ad *Georgium* REMUM Juriſconſultum percelebrem, & Conſiliarium *Noricum* (Huius *Vitam* in *Alphabeto I. Bibliothecae* meae *Auguſtanae*, pag. 153 — 169. propoſui) abs HOESCHELIO ſcriptae fuerunt. Eas ut hôc locô, ex autographis, â *Georg. Guil.* ZAPPIO mihi benigne communicatis, integras darem, *Hoeſcheliani* nominis celebritas ſuaſit.

Digitized by Google

I.

Lectori benevolo Salutem!

C*um multæ ſunt rationes, quibus hominum generi nunquam non inſidias ſtruit ſerpens ille antiquus; tum duæ potiſſimum, Tyrannis et Hypocriſis. Illam intelligo, quum aperto is agit Marte; hanc, quum cuniculis oppugnat, idque vel per ſeſe, vel per homines atheos, quorum is miniſterio utitur. Alterum horum experti ſunt primi parentes, quibus iſte* ἰσοθεΐαν *promittere, legem Dei violaturis, non dubitavit: alterum filius ipſorum Abelus, contra quem divino cultui vacantem manus fratris Caini armavit. Eſtque hæc Eccleſiæ calamitas fere perpetua, quam aut violentiâ, aut impoſturis ſimulate opprimere conatur. Sed, quæ Dei eſt immenſa miſericordia, mergi nonnunquam, haud ſubmergi eam patitur; et ſemper viros excitat iis præditos donis, quibus Satanæ conatus impediant, atque irritos faciant. Tales vidi hactenus, præter alios, in familia hic Auguſtæ* Ehingeriana (*a*) *extitiſſe fratres, qui ſinguli avitum et paternum ſecuti veſtigium, Theologiæ ſtudio (quæcunque pericula in hoc ſint extimeſcenda) animum appulerunt, et ſpecimina futuræ in palæſtra chriſtiana induſtriæ adhuc ephebi ediderunt. Multum namque refert* εὐθὺς ἐκ νέων οὕτως ἢ οὕτως ἐθίζεσθαι. *Quo plus ſpei de* Samuele *etiam* EHINGERO *poteſt concipi, ingenio et natura vel maxime ad Theologiam idonea prædito. Neque non ſolum pium atque aſſiduum in litterarum cultura ſe geſſit, verum et* ἤπιος *fuit (quod in miniſtro D. Paulus requirit)* πρὸς πάντας τοὺς συμμαθητὰς αὐτοῦ; *ut omnino confidam, ubi occa-*

(*a*) De iis, qui ex familia *Ehingeriana* Theologiæ ſtudio ſeſe ſacraverunt, eorumque geſtis videſis *Iac.* BRUCKERI *Vitam Eliæ* EHINGERI, p. 2. *ſeqq.* in *Notis.*

occaſio diſcendi uberior ſeſe obtulerit. eos ipſum Θεῷ συνεπινεύοντος *facturum progreſſus, quibus vel patriæ, vel alii cuicunque politiæ olim cum fructu ſit ſerviturus. Proinde rogatos velim viros cordatos et doctos, conſilio, auxilio eundem* Samuelem (*b*) *juvent, quo facilius curſum abſolvat, et maturius ſuam is operam aliis publice navare poſſit. Lector quisquis bene vale!*

Exaravit Auguſtæ Vind. 3. *Cal. Maji, Anno* 1610.

David HOESCHELIUS A.
Scholæ ibid. Rector
mppª.

(*b*) *Hic Samuel* EHINGERUS Problemata ethica ſelecta, *præſide Martino* BANZERO *Auguſtano, poſtea Profeſſore Wittebergenſi, publica diſputatione ventilavit, munerique ſacro Holzhuſii in Francis præfectus fuit*: uti monet *Iac.* BRUCKERUS *l. c. pag.* 12. qui idem alias *Litteras commendatitias* ab eodem HOESCHELIO, et *Georg.* HENISCHIO anno 1609. *Samueli datas, l. c. p.* 11. exhibet.

II.

S. Gratum perquam mihi fuit, clariſſime D. Doctor! animi tui ſtudium et candor; quamquam ſatis perſpecta jam olim ſinceritas fecit, ut te ſemper, ut me alterum, deamarim. Recepi Nicephorum, *ſed non ſignificaſti quidquam de nova editione, illamne moliaris tu, an alius? Mitto* γεωγραφικὰ (*Illorum interpretationem præ manibus habet* D. RITTERSHUSIUS) *quæ curavi exprimenda* (*a*), *ne nihil hoc mercatu* Francofurtum. *Proximo* Θεῷ θέλοντι *forſan habebitur* Photius; *omnia ſecundo* (*b*) *edita præter Notas*

(*a*) Vide ſupra, in *Catalog. Opp. Noſtri, No. XXVIII.*
(*b*) *Secundò* ait, uti ego autumo; quia jam anno 1560. *Photii Myriobiblon, Venetiis*, in folio vulgatum fuit teſte LIPENIO in *Biblioth. theol. T. I. p.* 580.

Notas, quas ut contraham, eſt neceſſe, niſi, contra promiſſum Catalogo Francofordiano *factum, emtores velim remorari, non ſine labe. Hæc curſim, adeſt enim* Cancellarius Monacenſis (*c*), *qui me vocat. Bene vale!*

Non. VIIIbr. 1600. *Auguſtæ Vindelicorum.*

Nemeſin (*d*) *recuſam, e catalogo librorum intellexi; ubi ergo non deſuerint exemplaria, forſan abs te impetrabo unicum; niſi velis alterum adjicere pro* D. VELSERO, *ſeu alio quocunque amico.*

(*c*) Eſt is procul dubio *Io. Georg.* HERWARTUS, Vir ip'e doctiſſimus.

(*d*) De hoc Opere REMII vide *Alphabetum I. Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ, p.* 160.

III.

S. Niſi ex tuis litteris intellexiſſem, Doctor clariſſime! Politarchæ veſtro cum podagra luctam ſubinde, ut olim WOLFIO *noſtro cum lithiaſi, eſſe: mirarer, ne quid diſſimulem, ipſe quoque moram illam. Et, verum ut fatear, non ſemel à noſtro ſum interrogatus Poliucho* (*a*) *quid* Noribergâ? *Noſti quippe, Magiſtratum aliquando ex benevolentiæ ſtudio, erga ſubditos aliorum, colligere, ſibi quoque faveri. Sed hæc ad te, qui certior voluiſti fieri, nihilne dum? Mitto literas communi amico, quibus incluſa prima charta* Ἀνακρεοντείων (*b*). *Fretus candoris conſtantiâ ipſius, juſſi chalcographum in excudendis reliquis pergere. Pro ſingulis chartis ſingu-*

(*a*) *Urbis Præfectus.*

(*b*) Sunt *Maximi* MARGUNII *Hymni anacreontici*, quos cum interpretatione *latina* anno 1601. in 8o. *Auguſtæ* edidit *Conradus* RITTERSHUSIUS, & HOESCHELIO præviâ græcâ *Epiſtolâ* dicavit. Vide *ſuperius* inter *Opp. Noſtri* ad annum 1601. *No. XXXI.*

ſingulos petit Joachimicos, *non* (*ut antea*) Hiſpanicos: *quum exemplaria quadringenta ſe redempturum promiſerit, ducenta purioris, totidem craſſioris papyri, id eſt, ſolius chartæ pretium, præter illud typographicum, quod pro multitudine philyrarum, quas nonnulli vocant, plus minusve.* PHRYNICHI Ecloga Dictionum Atticarum (*c*) *ſub prælo eſt, quod haud memini, an proxime ſcripſerim: quam ſequetur editio* Homiliarum VI. Io. CRYSOSTOMI κατ' Ἰουδαίων (*d*). VELSERUS *noſter jubet me periculum facere in* Rehlingero (*e*) *noſtro, num ſumptum recipere in ſeſe velit*, PROCOPII *Hiſtorici, qui luce perquam dignus, et linguâ, videtur, quâ ipſe ſcripſit; quum ita male ab interprete acceptus ſit: quod tentare cogito. Bene vale!* Thomas Segetus (*f*) *juvenis* (*ut vere judicas*) *eruditiſſimus vivit* Venetiis, *niſi locum mutarit: nam in ære iſthic fuit aliorum.*

Exaratum Auguſtæ Vindelicorum. 1601. *pridie Pentecoſtes.*

IV.

(*c*) Vide *ſupra in Catalogo Opp. Noſtri No. XXX.*

(*d*) Vide *ibidem*, *No. XXXIII.*

(*e*) Eſt haud dubie *Quirinus* REHLINGERUS, qui cum *Marco* VELSERO Duûmviratum geſſit, aut etiam *Carolus* REHLINGERUS Scholarcha, cuius ſumptibus poſtea ORIGENES *contra Celſum* anno 1605. abs HOESCHELIO editus eſt.

(*f*) *Thomas* SEGETHUS gente *Scotus*, poſtea anno 1628. *Tractatus Variorum de Italiæ Principatibus. Lugduni Batavorum* edidit. V. LIPENII *Biblioth. jurid. p.* 422. & JOECHERN *Gelehrten-Lexicon.* Extant etiam ab eo: Μελετήματα ὑπόγυια *ad Ampliſſ. V. Henricum* WOTTONUM *Equitem, SSmi. Britanniæ, Galliæ, Hiberniæ Regis ad Venetam Rempublicam Legatum. Hanoviæ.* 1597. ut docet EHINGERUS in *Catalogo Biblioth. Auguſtan. p.* 852. Eius Carmina habes in limine (ut ſuperius monui) *Photii* ab *Hoeſchelio* 1601. *Auguſtæ* editi, quibus præcipue *Davidis* noſtri humanitatem prædicat. De hoc *Segetho* mentio recurrit inferius in *Epiſtola XV.*

IV.

S. Qui tibi has adfert, Doctor clariſſime! receptus in Scholam noſtram fuiſſet, niſi muſicæ imperitia eum impediiſſet. Ne igitur aliam diſceſſûs hinc cauſam habuiſſe videretur, rogavit, ad certum iſthic hominem literarum quid ipſi ut darem; per quem in quamcunque Norimbergæ *ſcholam aditus pararetur. Ignoſcas igitur, faceſſam tibi quod negotium, et tantulum adeſſe non gravaberis ei, quantulum res tuæ ſinent. Bene vale. Raptim Auguſtæ Vindelicorum,* 6. *Id. Junii. A.* 1601.

V.

S. Mitto, clariſſime D. Doctor! per te D. CASELIO *exemplar* Siracii (*a*) *a me editi, qui ſi tuo ſuffragabitur calculo, non male operam videbor poſuiſſe. De* Prudentii hymnis *quidam edendis cogitat, cuius cum* Giphanius ὁ μακαρίτης *manuſcriptum exemplar habuerit, vide an ope* D. RITTERSHUSII ἐν χρήσει *ad tempus impetrari poſſit. Literas abs te mihi ſcriptas legit* VELSERUS: *non item (quod nolui)* Hoeningo (*b*) *inſcriptas,* διὰ τὴν εὐσεβῆ παῤῥησίαν τοῖς τοιούτοισιν ἀπεχθῆ. *Unde hoc huius ad te epiſtolium, gemina epigraphe, quia ſeorſim mittere animus erat. Theſium compilator eſt* ὁ αὐτὸς, *qui e colloquiis cum noſtro illas congeſſit potius, quam digeſſit, ſic tamen ut* ὁ δεῖνα (*c*) *prius legerit, qui mihi in heſterna cœna dixit: non eſſe refutatas theſes, ſi quis jubeatur legere hunc vel iſtum. Eâdem ſe ratione poſſe* Bellarminum *aut* Stapletonem *legendum dicere*

(*a*) Vide *ſupra*, in *Catalogo Opp. Noſtri*, *N*o. *XXXVI.*

(*b*) Eſt ſine dubio *Marcus* HENNINGUS, de quo in *Mantiſſa* vide.

(*c*) Vox hæc idem ſonat ac *quidam, aliquis.* Quem ſibi velit hîc HOESCHELIUS, dictu perdifficile eſt.

cere, qui tractatum de Eccleſia Wittakerianum *publice refutarit; ut alius* Bleſſæum, *lingua Gallica. Ad vitam* Volfii (*d*) *noſtri, quæ potero colligere, mittam proxime. Bene vale et* τῇ ταχυγραφίᾳ *ignoſce; maturat enim diſceſſum* ὁ κομίζων.

Non. Sextil. A. 1604. *Auguſtæ Vind.*

Si minus videbitur faſciculus, CASELIO *mittendus, munitus; tuum quoddam adde* κάλυμμα *aut fidelius tabellario committe.*

(*d*) Eſt *Hieronymus* WOLFIUS, celeberrimus Philologus, Rector Gymnaſii *San-Annæani Auguſtæ*, & Bibliothecæ publicæ Præfectus: Deſcripſit in variis ſchedis is *Vitam* ipſe ſuam, quam noſtro ævo excerptim dedit *Iac.* BRUCKERUS in *Miſcellan. Hiſtor. philoſoph. litterar. critic. p.* 356. *ſeqq.*

VI.

S. Intellexi, Doctor clariſſime! G. WILLERUM (*a*), *cuius frater nunc latet, dum paſſus eſt perſuadere*

(*a*) Eſt is *Georgius* WILLERUS Civis & Bibliopola *Auguſtanus*, qui primus *Catalogos Librorum*, etiamnum mercatoribus librariis uſitatos, in vulgus edidit ab anno 1564. quorum poſtea Collectio prodiit hoc titulo: *Collectio, in unum corpus, omnium Librorum hebræorum, græcorum, latinorum, nec non germanice, italice, & hiſpanice ſcriptorum, qui in Nundinis Francofurtenſibus ab anno* 1564. *usque ad Nundinas autumnales anni* 1592. *partim novi, partim nova forma et diverſis in locis editi vernales exſtiterunt, deſumpta ex omnibus Catalogis Willerianis ſingularum Nundinarum, & in tres tomos diſtincta &c. &c. &c. in 4to. Ex officina typographica Nicolai Baſſæi.* 1592. Dicavit *Baſſæus* hunc Catalogum *Philippo Ludovico* Comiti *de Hanau & Rheineck*, Domino in *Münzenberg*, de *Noſtro* dicens: *Conſcribendorum Catalogorum primus auctor exſtitit &c.* Vide *Theſaurum bibliothecalem, T. I. p.* 5. 6. Retinuit autem WILLERUS hunc *Catalogorum* publicandorum morem multo poſt tempore

dere ſibi ut Conſiliorum BEROI (*b*) *exemplaria omnia redimeret, tanquam opus maxime futurum venale; quia contrarium nunc experiatur, non niſi tum* Noribergâ *ſibi curaturum* Biblia *illa nova huc adferri; cum* (*quod in aliis libris diſtrahendis fiat*) *accepturus ſit a quibuscunque litteras, qui mitti ea ſibi cupiant. De Vita* VOLFII *noſtri, quam legit noſter etiam politarcha* (*c*), *quid cenſeas, velim ſcribas. Putat enim idem ille, poſſe in pauciora* (*idque tua opera*) *contrahi, quum alicubi liberius ſcripſiſſe quædam videatur. Et memini,* ZWINGERUM *mihi ſcribere* τὸν μακαρίτην, *quod* παθητικώτερον *de* CASTALIONE VOLFIUS, *molliri poſſe, ut defuncti manibus parcatur, Viri de litteris eruditis meritiſſimi* (*d*). *Num* M. . . . *reddiderit faſciculum tibi, fac ſciam, cui incluſeram* Sirachii *exemplar* D. CASELIO (*e*). *Hæc raptim ſub ipſum* Petri de Ladfeur

F 3

pore. Hinc in Bibliotheca FF. VEITHIORUM, *Auguſtæ*, habetur eiusdem *Willeri Catalogus Francofurtenſium Nundinarum autumnalium anni* 1625. *vernalium anni* 1626. autumnalium anni 1626. omnes in 4to. *Auguſtæ*, per *Michaelem Stör* impreſſi. Patris exemplum ſecuti filii *Elias* & *Georgius* ſimiles *Catalogos* publicârunt; de quo vide Perilluſtris *Pauli à* STETTEN *junioris Kunſt-Gewerb-und Handwercks-Geſchichte von Augſpurg. T. II. p.* 11. ubi tamen annus impreſſionis in mendo cubat.

(*b*) De editione *Conſiliorum* BEROII, *Auguſtæ* anno 1601. à *Io.* DREZLERO accurata vide *Bibliothecam* meam *Auguſtanam*, *Alph. I. p.* 48.

(*c*) Interpretare: *Urbis Præſes.*

(*d*) *Sebaſtianus* CASTALIO & ZWINGERUS Medicus, notiora Eruditis nomina ſunt, quam ut plura de iis dicere, opus ſit.

(*e*) Eſt is *Io.* CASSELIUS, Philoſophiæ et Eloquentiæ Profeſſor *Helmſtadii*, qui anno 1613. humanis valedixit de quo videri poterit ADAMUS in *Vit s Philoſoph.* HENRICI *Vitæ eruditiſſim. Viror.* WITTE *Diarium.*

Acta

ſeur *Colonienſis diſceſſum. Bene vale, Vir præſtantiſſime!*

15. *Cal. VIIbr.* 1604. *Auguſtæ Vindel.*

Acta Eruditorum latina. Huius CASSELII jam in præcedenti *Epiſtola* mentionem fecit HOESCHELIUS noſter.

VII.

S. Accipies, clariſſime D. Doctor! a patruele tuo ciſtam, cui exemplaria (*a*) Procopii *IIX. ſunt incluſa, compacta, et quinque rudia. Septena inter VII-Viros diſtribuenda, et octavum pro Bibliotheca Urbis publica. De quinque, unum offerre non gravaberis D.* Achatio *cum literis ad ipſum; alterum D.* Camerario *IC. addita ſalute plurima; tertium tibi; quartum* Rittershuſio; *quintum, cuicunque videbitur e Senatorum numero deberi. Quod ſi plura cenſebuntur aliis etiam mittenda, fac ſciam; habebis occaſione prima. Nobilem D.* Nuzelium *rogavi, ut meo nomine inclyto Senatui offerre dignetur, quod tua voce ab illo facile impetrabis. D.* Achatius (*neſcio*) *quem* Arlicum *interpretem in ſui memoriam* Auguſtanæ *Bibliothecæ donum promiſit. Idem quos* Livii *libros habeat* m. ſ. *ex ipſo, velim, cognoſcas: novam namque editionem illius Hiſtorici molitur* Gruterus *propter Codicem optimum* Palatinum. *Hæc raptim; tu amici negotium juva. Bene vale.*

Auguſtæ Vindelicorum, pridie Paſchatis chriſtiani. A. S. N. 1607.

(*a*) Vide *ſupra* in *Catalogo Opp. Noſtri, No. XXXVIII.*

VIII.

S. Rector Scholæ Schleuſingenſis (*a*) *ſub prelo habet novam* Pollucis *editionem, Doctor clariſſime! et*

(*a*) Eſt *Wolfgangus* SEBERUS, qui annô 1608. POLLUCEM

et de nonnullis me conſuluit locis, qui corrigi poſſe exiſtimem. Monui pro eo, ac potui: quas ad ipſum literas per mercatorem iſthic, Dn. P. Heugelium *curare poteris, eius (ut colligo) patronum. Litera* P. *utrum* Paulum *an* Petrum *notet, ignoro: facile explorabis. Mitto exemplum Theſium D.* Rittershuſio (*b*); *nam te prius arbitror a me accepiſſe. Num adhuc animus ſit tibi* Hypomnemata Græcorum Patrum *in* Proverbia Salomonis *edere, recognita prius abs te: fac ſciam. Id fieri optat* A. SCHOTTUS (*c*). *Bene vale.*

Auguſtæ Vindel. 4 *Cal. Julii. A. S. N.* 1607.
D. RITTERSHUSII Iſidorum *exſpecto.*

LUCEM *Francofurti*, apud *Wechel.* in 4to. *græce et latine* edidit, uſus duobus Codicibus MSStis. *Palatinis* atque *Auguſtano.* V. FABRICII *Bibl. græc. T. IV. p.* 490. De SEBERO conſuli poterit LUDOVICI *Notit. Ephor. Schleuſingenſ.*

(*b*) *Conradi* RITTERSHUSII nomen notius eſt in Republica litteraria, quam ut plura de eo monere opus habeam.

(*c*) *Andream* SCHOTTUM puta Jeſuitam doctiſſimum, HOESCHELIO noſtro amiciſſimum.

IX.

S. Tardius reſcribo, Doctor clariſſime! quia prius nihil literarum dare volui, quam intelligerem, Rehlingero *ſuam fidem in docendo ac diligentiam* Knopæum *tuum probare. Sic igitur paucis habeto. Cum heri alia de cauſſa me D. Scholarcha ille conveniret; qualem ſe novus* παιδοτρίβης *gereret, primo omnium interrogavi. Is, quantum præ ſe tulit, eius induſtria et moribus acquieſcit. Quando verò ſit aliò, quemque in locum hinc filium cum Pædagogo miſſurus: ùt primum cognovero, faciam ut ſcias. Litteras his incluſas velim ad* D. RITTERS-

HUSIUM *tuto perferendas cures: iis enim Chirographum continetur nobilis Dn.* Reinholdi à GHEREN *Regiomontani, qui convictorem egit, agetque in ædibus eiusdem* D. RITTERSHUSII, *a quo cum prius eſſet mihi de meliore nota commendatus, impetravi ei hic mutuo florenos quadraginta. Quos per te mihi fide bona* μεσιτείᾳ τοῦ κυρίου Ριττερσουσίου *occaſione prima quaque miſſum iri confido. Quod ſi acceptam illam pecuniam retinere, et tantundem hic a Dn. fratre numerum mihi numerari volueris: perinde fuerit. Modo de re omni certiorem me temporius digneris facere. Nam aliunde accepi, et noſti, quam id genus hominum* ἐμπορικὸν *ſolutionis morâ offendatur. Ne igitur officium amico propter amicum præſtitum, mihi fraudi ſit: patiaris negotium hoc tibi eſſe curæ. Bene vale.*

Auguſtæ Vindel. Cal. VIIIbr. 1608.

Si quid κομίστρον *exſolveris, fac ſciam; reddetur.*

X.

S. Liberatus, Cl. Dn. Doctor! pulvere ſcholaſtico M. Seberus, *ad eccleſiaſticam evectus eſt dignitatem. Qui quum* Alexiados (*) *partem a me acceperit, caſu hîc aurigâ illius transeunte, cum editionis initium fieret: ad eum cures velim per amicum Dn.* Heugelium, *iſtic quem habet, chartas etiam reliquas. Adjunxi exemplar, eidem incluſum faſciculo, pro Eccleſiæ* Schleuſingenſis *antiſtite: a quo accepi verſus quosdam hactenus in* Naz. (*a*) *deſideratos, qui vere proximo typis* Lutetianis *lucem aſpicient. Cogitant de nova editione* Pariſiis *etiam*

Scrip-

(*) Vide *ſupra*, in *Catalog. Opp. Noſtri, No. XXXIX.*

(*a*) Puto legendum eſſe: *Nazianzeno.*

Scriptorum Syneſii; *ut et* Baſileæ *Operum* Philonis, *Græce*, *quidam* Koening, *bibliopola: modo huius conſilium non intervertat peſtis, quæ illic graſſatur, quâ medicus et phyſicus eximius* πανοικὶ *eſt mortuus Theod.* Zvingerus *p. m. Quid commodi ſit ſperandum e conventu* Monacenſi, *forte cognoſcam ex tuis. Ad pacem certe non videntur nutare Scripta illa* πολιτευτικὰ, *quæ legi, et in Catalogo* Vuilleriano *extant, nec tamen amplius venalia proſtant: primum* Ἐξέτασιν Epiſtolæ monitoriæ Regis Britanniæ (*b*)... *Alterum vernaculâ linguâ editum*, (*ut* Exetaſis) *nomine et loco fictitiis; illa latine forma* octava: *hoc* quartâ, *hac epigraphe:* Herren Chriſtophen von Ungersdorf Chriſtliche Gratulation oder Glückwünſchung an die Evangeliſch Landſtend in Oſterreich, wegen behaupter und erhaltner Augſpurgiſch Confeſſion. *In hoc, præter alia reperiuntur hæc verba*.. (*c*).. *Ab iis, qui talia in ſuo Dominio* (*quod vocant*) *imprimi patiuntur*, οὐκ εἰρήνην οὐδὲ γνησιότητα, ἔγωγε μᾶλλον δὲ πόλεμον καὶ λυκοφιλίαν *mihi pollicerer. Tu ſi quid conjeceris melius aut certius, ex te lubens cognoſcam, quem omnino rogatum velim*, τῶν κοινῶν πέρι *ad me libere ſcribere, ne tædeat: par, quantum potero ſcieróve, reddam. Bene vale.*

Auguſtæ Vindel. Non. IXbr. 1610.

(*b*, *c*) His locis HOESCHELIUS amico ſuo prolixe exponit *ſcommata et convicia adverſus Principes &c.* in dictis Libris occurrentia: quæ plane ſupprimenda duxi.

XI.

S. En proficiſcitur tandem ad vos, clariſſime D. Doctor! Heinhoferus (*a*) *tuus. Qui, quum cum*

 mor-

(*a*) *Hainhoferi*, clari cives *Auguſtani*, fuêre; quos inter præcipue memorandus venit *Philippus* HAINHOFER, de

morbo fuerit conflictatus aliquot ſeptimanas; nec paucioribus, liberatus licet adverſa valetudine, à Schola abfuerit: valde vereor, ut examinatori cuicunque, pro eo ac par erat, ſit reſponſurus. Quare ſubſidio ſibi diligentiam velim comparet, ut hactenus neglecta compenſet; quum præſertim ingenio videatur eſſe tardiuſculo, quod quali quali συζητήσεως *facile cognoſces. Plura ex literis prius exaratis: quibus addo, non videri mihi pacem* Monachii, *ſed inducias tantummodo factas, cum in pago (ne quid de aliis ſcribam) nobis vicino*, Hauſteten, *numerus militum augeatur. Feruntur et* Saxones *de* Juliaco *novas turbas, non absque publica Germaniæ noſtræ clade, moturi. Mirum etiam hoc plerisque accidit omnibus,* περὶ τῆς εἰρήνης *tam altum agi ſilentium: quum eius non minus ſervituti eximendæ, quam* Juliacenſis *belli cavendi, princeps illuſtriſſimus* Anhaldius *Imperatoriæ Majeſtati autor extiterit. De ſingulis, ſi placet, aut vacat, tuum reſponſum expectabo.* Πάλιν ἔρρωσο.

Non. IXbr. Calculo novo, 1610. *Auguſtæ Vindelicorum.*

Quid fiat Novellis, *quando eas ſimus à communi amico habituri? Quid item* Nomocanoni τοῦ Φωτίου; *utrum illum quoque (eo fine à me pridem ipſi miſſum) cogitet utraque lingua edere* (*b*), *per occaſionem expiſceris licet.*

XII.

de quo in *Mantiſſa* paulo fuſius agam: & qnem *Georg.* REMUS, is ipſe, ad quem ſupra poſita *Epiſtola* ſcripta eſt, *Adfinem ſuum & Amicum optimum maximum* vocavit in *Carmine funebri* anacreontico, quô unius é filiis *Philippi* noſtri mortem decoravit. V. *Bibliothecæ* meæ *Alphabetum I. p.* 163.

(*b*) Qnis hic *communis amicus* fuerit, me doctiores divinent? niſi forte ſit, *Conradus Rittershuſius.*

XII.

S. Extorſi tandem, Doctor clariſſime! pridem quod ſolvi oportebat, aureum nummum, quem Rabo *dediſti mutuum, et Ducatum* διπρόσωπον *in laborum compenſationem. Quod ſi majus eſt debitum (vel meritum eſt) nam et expenſas feciſti et occupatus fuiſti: libere ſcribito; cum Dn. Carolo* Rehlingero *agere poſſum,* ᾧ ἡ μετριοφροσύνη πάνδηλος ἐστι. *De reliqua pecunia, pro convictu, Cl. Dn.* Queccius *(a) â priore mercatore, ut antea, eſt accepturus, quidquid expenderit. Celare non poſſum, exiſtimare Dn.* Herwartum *(b) ſumptus fore majores, quam ſchedâ primum huc miſſâ fuerit oſtenſum. Pro menſa enim, cum cereviſiæ ſextario, petiti 44. fl. pro Muſæo et lignis fl. 12. pro lectulo 6. fl. pro lotrice fl. 3. Cuius ſumma annua (honorarium namque pro inſtitutione et repetitione hîc excipio) foret fl. 65. Secundum rationes ſpacii trimeſtris huc miſſas (quamquam non ſemper exponuntur eadem) ſumma eſſet exceſſura longe beneficium, quo tres illos alumnos ornare mæcenates ipſorum decreverunt. Quare admoneri poterunt iidem, ut quam parciſſime, contenti maxime neceſſariis, vivant.*

Cum porro animus ſit, meum quoque filiolum circiter Paſcha mittere Altorfium, *cui non niſi 40. fl. impetravi ſtipendium, velim præmunias per viam, per occaſionem; donec ipſe ad D.* Queccium *ſcripſero: quibus conditionibus domi ſuæ poſſit, velitve illum, 13. annor. puerum, alere. Lectulum habebit proprium; ſed cur ægre cum aliis vivere ipſum, patiar, cauſa vel maxima, quia tot exempla corruptorum pravis ſodalitiis in dies ſingulos video. Mittet*

(a) Vide paulo inferius in *Epiſtola XIV.*
(b) Vide *ibidem.*

tet D. Rumlerus (*c*) *quoque illuc filium, et ſuo ſumptu nepotem ex ſorore noſter* Mæſchus, *qui ſimul poterunt apud vel Dn.* Queccium, *vel alium forſan, Muſæum et menſam habere; modo ſpatium ſit in eius domicilio. Sed paucis prius ſcribere non gravabitur, quô pretiô. De aliis* σὺν Θεῷ *aliàs. Bene vale.*

Auguſtæ Vind. 7. *Cal. Mart.* 1616.

(*c*) Vide inferius in *Epiſtola XVII.*

XIII.

S. Gratum fuit, D. clariſſime! ex tuis litteris cognoſcere, florenos quinquaginta utriusque noſtrum, meo et Mœſchi (*a*) *nomine*, Altorphium *te curâſſe; octiduum enim ante Dn. fratri tuo tantundem pecuniæ in auro a nobis fuit numeratum. Longe autem gratior tuus in patriam ardens amor; cui (quantum in te eſt) conſultum cupis laborando ſolicite de viro illo, qui cum laude ac fructu juventutem in artibus dicendi erudiat. Quæ enim Scholarcharum eſt mens, Mathemata minus huic ætati arbitrantur prodeſſe, quam* τεχνικὰ *iſta* προπαιδεύματα, *ideoque nobis offerri harum diſciplinarum ſolertem magiſtrum geſtiunt; quia* Heniſchius (*b*) *noſter viribus*

(*a*) Georgium *Moeſchum* ab anno 1578. in Schola *Annæana*, Auguſtæ docuiſſe, tradit Phil. Iac. *Crophius* in *Hiſtoria* vernacula eiusdem *Scholæ*, *p.* 100. Epitaphium eius in cœmeterio ſuburbano teſte *Praſchio* fuit ſequens: *D. O. M. D. Georgio Moeſchio. Vir in ſtudio theologico, ling. orient. & matheſi eximius, Præceptor Claſſis III. Scholæ Anneæ fideliſſ. pie in Chriſto cælebs obdormiens XXIV. Julii, anno Chriſti MDCXVIII. nunc vero futuram piorum reſurrectionem exſpectans....*

(*b*) Eſt *Georg.* HENISCHIUS, Vir doctiſſimus & Mathematicus inſignis, qui *Auguſtæ* docuit, ſimulque artem medicam exercuit.

ribus tam corporis, quam animi exhauſtus, vere γέρων (*ut* Lucianus *loquitur*) παλίμπαις. *Plura me ſcribere non patitur ſubitus hinc abitus* τοῦ γραμματοφόρου, *filius D.* Buſenreiteri (*c*) *ſororius, a quo haſce accepturus es. Bene igitur vale.*

Auguſtæ Vindel. 15. *Cal. Julii. A.* 1616.

(c) Vitam *Io.* BUSENREITERI, *Auguſtani*, Juris Profeſſoris in *Altdorfina* Academia, dedit WILL in *Nürnbergiſchen Gelehrten-Lexicon.*

XIV.

S. Nunquam eſt petitum a quoquam, Doctor clariſſime! Formulæ Concordiæ (*quam vocant*) *ut ſubſcriberet, Scholæ operam qui navaret. Nuper autem, quum parens diceretur Eccleſiaſtes* Ambergæ, *filius putabatur favere magis partibus illius loci, quam huius: ad quam ſuſpicionem declinandam volebant vel* Altorfii *cum D.* Schoppero (*a*) *vel hic cum uno et altero Eccleſiæ Miniſtro amicam* συζήτησιν *fieri. Unde qui poſtea eſt receptus* Magiſter Wittembergicus, *a nemine, Religionis nomine appellatus fuit. Miſit doctiſſimus* M. Queccius (*b*) *literas noſtro* Herwarto (*c*) *quibus certiorem ipſum fecit de progreſſu trium illorum in ſtudiis eô, quo diligentiam probarint Scholarchis, ideoque publicis prælectionibus audiendis digni fuerint judicati. Gratulabar illis; D. Carolus* Rehlingerus συνεχάρη: *verùm ecce*

(*a*) De *Iacobo* SCHOPPERO conſule ZELTNERI *Vitas Theolog. Altdorfinor.* Inhæſit is tenaciter *Formulæ Concordiæ*, unde et cum *Volcarto* aliisque *Crypto-Calvinianis* colliſus eſt. Obiit, quà *Rector Altdorfinæ Academiæ*, anno 1616. die 23. Septembris.

(*b*) Eſt procul omni dubio *Georg.* QUECCIUS, doctrinæ moralis & græcæ linguæ Profeſſor *Altdorfinus*, de quo, ſi lubet, vide FREHERI *Theatrum Eruditor.* & WITTE *Diarium.*

(*c*) Iudico, hunc HERWARTUM Scholarcham fuiſſe.

ecce poſtridie venit ad me ἰδιογνώμων (*d*) *iſte*, (*ut literis ad eundem D.* Queccium τὸν δεῖνα *vocavi*) *meque* ἀντιλέγοντα *coegit ſcribere:* translationem illam præmaturam noſtris diſplicere. *Quæſo me apud amicum purges, ne levitatis crimine præter meritum noter: eumque jube, ſcripturum ad me, tuis potius includere, quam beneficiariorum literis; ne utriusque noſtrûm* παῤῥησία *ipſi pateſiat. Plurimum certe obſtat ſæpenumero prudentum conſiliis et bonorum commodis, haud ſcio, qua ſua felicitate. In odio ſiquidem eſt plerorumque omnium: et tamen pervincit. Deus ipſi aut det mentem ſaniorem, aut nos tandem (ſi mereamur) hoc onere levet. Bene vale* κανάριστε, *et amicos plurimum à me ſaluta.*

Auguſtæ Vindel. 10. *Cal. Julii*, 1616.

(*d*) Ἰδιογνώμων eſt, qui peculiares ſibique ſoli proprias ſententias in animo fovet. Quem hoc verbo notet HOESCHELIUS, penitus ignoro, niſi ſit unus ex Scholarchis eius ætatis.

XV.

S. Literas non unas, Doctor clariſſime! Pragam *pro privilegio libris edendis impetrando miſi; ſed nihil reſponſi accipio. Certiorem igitur me velim facias, num Thomas* Segethus (*a*) *illic locorum adhuc vivat, per quem id negotii peragi poſſe confido. Quia* Proverbia Salomonis *cogito ea forma imprimenda curare, qua prius* Siracidem, *et quidem cum membranis collata non unius Bibliothecæ: id velim tibi dare negotii, ut (qui antea* Spicilegium (*b*) *in illa edidiſti) interpretationem in te reciperes pſalmorum et hymnorum* ἀνεκδότων, *qui in Codice* Conſtantinopoli *empto* τῶν Παροιμιῶν τοῦ Σολομῶντος *eidem adſcribuntur*

(*a*) Eſt idem, de quo ſuperius *Epiſtola III.* dictum fuit.
(*b*) De REMI Lucubratione *in Proverbia Salomonis* vide *Alphabetum I. Bibliothecæ meæ Auguſtanæ*, *pag.* 161.

buntur: quorum apographum mittam, ubi primum conſenſeris. Nam potes, et quia potes, non negabis hoc Eccleſiæ, qui etiam D. Auguſtini *operibus operam nonnullam es navaturus. Eius* Auguſtini *primum vidi tomum, cuius in titulo promiſſa e præfatione (in qua Jolius* Eraſmi *editionem ſecutos ſe profitentur) non video, quam ſint futura ſplendida. Extant eiusdem Opera* Venetiis *impreſſa, item* Lugduni *forma* 8ª. *In hac margini additur varians Lectio, quæ illam novam editionem ornaret maxime, niſi in Notis ad Operum calcem Appendix eiusmodi ſit expectanda. Puerile eſt vitium, quod velim tamen abeſſe,* àtque, quíſque, néque, *notari accentu: quem tum demum tolerare poſſumus, quum eſt copula. Ut ſi dicam,* quò doctior, quóque humanior, eo commendatior. *Sed ſi dictio* quoque *idem ſignificat, quod* etiam, *accentus eſt otioſus. Verum hæc hactenus. In ipſo etiam Titulo pro* Monimenta *malim* Monumenta. *Dicimus enim* documenta, emolumenta *&c. Verum iſta defendant, iis qui utuntur. Tu ſcis, neque Gallos, neque Anglos, neque alios alibi locorum doctos iſtis uti. Hæc raptim. Bene vale.*

Auguſtæ Vindelicorum. 14. *Cal. IXbr.* 1616.

XVI.

S. Mitto Autographa, unius Auguſtani; *alterius* Pomerani; *uterque, lectis tuis litteris, manum atque operam obtulit. Parentibus ambo nati honeſtis; niſi quod ipſos optarim, progreſſos in literis eſſe altius. Sed alterum ἡ καλλιγραφία forſan commendabit, cuius fidem in deſcribendo expertus eſt D.* Byrglius. *Adſcribo ſal. pl. a meo genero, qui gratias agit habetque pro benevolentiæ ſtudio, in* Herdeſiano (*a*) *illo negotio. Librum D.* Minderi (*b*) de Peſtilentia.

(*a*) Vide mox ſequentem *Epiſtolam XVII.*

(*b*) De *Raymundo* MINDERERO, Medico *Auguſtan* perdocto, vide in *Mantiſſa.*

recuſum iri, et quidem auctiorem, prioribus exemplaribus jam diſtractis, ajunt: interea mitto eiusdem Doctoris Aloëdarium. *Hæc raptim*, λακωνικῶς. *Bene vale.*

Pridie feriarum D. Matthæi, 1617.

D. Heniſchii *filius revixit. Ecce enim, Profeſſoris defuncti vicem ſubit* Monſpeliæ (*ſiv' in* Monte Peſſulo) *dum alius ſurrogetur: ipſe, ut ait eius ſoror, literas ad te daturus; quod maturius velim fieri, quum locus* Altorphii *adhuc vacet. Peccabit, meaopinione, graviter ſenem parentem* παλίμπαιδα *atque alios non aliter honorans; pecuniæ haud ſcio quantum ſibi mitti cupit.*

XVII.

S. Autor fui, clariſſime Domine! D. frâtri tuo, ut D. Rumlerum (*a*) *ipſe conveniret, voluntatem eius coram cognoſceret, eademque occaſione* ἀντίστιον *filium. Annuo fere ſpacio adfuit ſcribæ ſenatorio; manum ei et expeditam et elegantem arbitror eſſe. Moribus eſt temperatis moderatisque, facie liberali, niſi quod progreſſus in literis non ille, quem velim.* Pomeranus *cæteroqui, ſperare ſe ait, ſcribendo emendari poſſe, quod minus jam arrideat; fidem promittit atque induſtriam. Quare tu pro arbitrio delige ex his duobus eum, in quem animus magis inclinaverit. Gener meus rogat, ne graveris formam præſcribere quitantiæ (quam vocant) quâ D. D.* Herdeſianos (*b*) *acquieturos exiſtimes, ne officium humanitatis, quod nolit, fraudi tibi ſit. Incluſum epiſtolium* Beitmillero *tradi velim: cuius intereſſe arbitror, mature accipere. Pluribus non opus, nam cætera ex aliis. Bene vale.*

Auguſtæ Vind. Cal. VIIIbr. 1617.

(*a*) Credo eſſe *Ioann. Ulric.* RUMLERUM, de quo inferius in *Mantiſſa* agam.

(*b*) Sunt mea opinione *Io. Chriſtophorus* & *Juſtinus* fratres, filii *Chriſtophori* HERDESIANI celebris Conſiliarii *Norici*; quorum hic Conſiliarius, alter Syndicus Norimbergenſis fuit. V. JOECHERN *Gelehrten-Lexicon.*

MANTIS-

MANTISSA
AD
VITAM ET EPISTOLAS
DAVIDIS
HOESCHELII.

Nota, Lector!

In præcedenti *Vita* & *Epiſtolis*, inter alia mentio injecta eſt *Philippi* HAINHOFERI, *Marci* HENNINGI, *Georgii* LAUBII, *Raymundi* MINDERERI, *Ioannis Ulrici* RUMLERI. De his cùm plura dicenda ſuppeterent, quam quæ ibi commode per modum *Notæ* exponi poterant, te ad præſentem *Mantiſſam* remittendum duxi, in qua *Notitias* de *quinque* Viris iſtis doctiſſimis à me pridem collectas jam in medium afferendo datam fidem libero. Adjeci aliam quoque *Notitiam* de *Hieronymo* LAUBIO Medico, idque ob ipſam nominis affinitatem, tum quod eundem ex poſteris ſupradicti *Georgii* LAUBII fuiſſe, mihi plane perſuaſum habeam.

HAINHOFERUS (*Philippus*)

Noſter, cuius mentio ſuperius *pag.* 89. incidit, anno MDLXXVIII (*) die 21. Julii, *Auguſtæ*, patre *Melchiore* opulento mercatore, matre *Barbara Hörmannin de Guttenberg* (*a*) natus, vix quinquennis, cum matre, quæ *Georgio* MYLIO Superintendenti Auguſtâ ob turbas, *Gregoriani* Calendarii occaſione excitatas, pulſo addictiſſima fuerat, *Hieronymo* BECHLERO Viro docto, poſtea ducalis *Cameræ Wirtembergicæ* Conſiliario, in diſciplinam traditus eſt, quocum ætatis anno fere 16. fratre *Hieronymo* comitante, in *Italiam*, *Patavinâmque* Academiam venit optimarum artium & linguarum, præcipue vero Juris cognitione ingenium exculturus. Traducto *Patavii* biennio *Senas* profectus, ibi ſub Legum Doctore LUCCARINIO de quodam *Inſtitutionum* paragrapho publice diſputavit. Poſthæc, peragrata *Italia* in *Germaniam* reveſtus, *Coloniam Agrippinam* petiit, ut ſermonis *gallici* ac *belgici* perfectam ſibi ſcientiam compararet. At peſte ibi coorta, iter per *Belgium*, maximaque Germaniæ emporia inſtituit: quô confectô patrios lares anno 1598. reviſit: ibidemque anno 1601. *Reginam Weiblingerinam*, *Georg. Ulrici* mercatoris cum primis divitis, ac materteræ ſuæ filiam connubio ſibi junxit.

Quemadmodum *Philippus*, dum in *Italia* fuit, perque diverſa itinera ſua mirum erga varia artis opera amorem, nec minorem in illis dijudicandis dexteritatem contraxerat; ita paulo, poſtquam

 patriam

(*) Vide *Monumentum* eius *ſepulchrale*, inter PRASCHII *Epitaph. T. I. p.* 184.

(*a*) MOEHNERUS in *Genealog. Patriciar. Stirpium MSSta.*

patriam repetierat, ad condendum *Muſæum* quoddam animum adjecit: idque picturis maximorum *Italiæ*, *Belgii*, *Germaniæ* artificum, variis naturæ partubus, priſcæque artis operibus, inſtrumentis mathematicis, horologiis, automatis, aliiſque rebus non niſi rariſſime obviis, ad ſummam intuentium omnium admirationem, inſtruxit: quæ inter *Scrinium* eluxit, opus muſivum, vermiculatum; gemmisque rariſſimis ornatum: de quo ipſemet teſtatur: illud ab inſpicientibus inter *Mundi miracula* octavô locô connumeratum fuiſſe: quod poſtea Senatus *Auguſtanus*, 6000. Imperialibus redemptum, *Guſtavo Suecorum* Regi anno 1632. dono obtulit (*b*). Noſter autem HAINHOFERUS mox aliud ſimile *Scrinium* æque pretioſum elaborari juſſit, quod deinde *Auguſtus*, Dux *Brunsvicenſis* 6000. Imperialibus comparavit.

Hinc *Dominicus Cuſtos*, Chalcographus peritiſſimus, Librum: *Clariſſimorum litteris, ingenio, fama Virorum Icones, Auguſtæ.* 1612. non ſolum *Noſtro*, quà *eruditarum*, *elegantium et ſubtilium artium æſtimatori candidiſſimo & fautori meritiſſimo* inſcribere; ſed etiam eundem in hæc verba alloqui minime dubitavit: *Scimus te elegantiæ omnis æſtimatorem et judicem adeo gnarum, adeo amantem: non latinæ modo eruditionis, ſed et exoticarum aliquot linguarum adeo doctum & ſcientem: talium aliarumque virtutum nomine non uni ex Principum ordine adeo acceptum eſſe, ut, inter Germaniæ Principes, ſi vel ſolos* Boiorum *et* Pomeraniæ *Duces in te optime adſectos nominem, illi inſtar omnium eſſe poſſint. Quanquam etiam in hac urbe ædes tuas a Princi-*

(*b*) *Paul. à* STETTEN *ſenior in Chronick von Augſpurg. T. II. p.* 179. 182. *Paulus à* STETTEN *junior* ponit 6500. Imperiales.

Principibus quibusdam inſpectas, & elegantiæ quandam in hoc genere officinam nuncupatas norimus &c. Hinc merito jure à STETTENIO (*c*) *Vir doctus & Matheſeos cumprimis expertus*, appellatus eſt.

Hoc modo cùm Principibus innotuiſſet, dignus quoque ab illis habitus eſt, cuius operâ ſuis in negotiis uterentur. Sic anno 1607. à *Galliarum* Rege: anno 1610 a Marchione *Badenſi*, itemque a *Philippo*, *Pomeraniæ* Duce *Agens* eſt renunciatus: à quo poſtremo etiam mandatum accepit, *Matthiæ* neo-electo Romanorum Imperatori de adepta cæſarea dignitate gratulandi: quod cum *Francofurti* facere non poſſet, morbo ſubite correptus; poſtea *Norimbergæ*, valetudini ſpe citiùs reſtitutus, effecit, quando *Matthias* eam urbem tranſivit, ditiones ſuas repetiturus. Idem *Pomeraniæ* Dux tam in amoribus habuit *Noſtrum*, ut filium eius, *Philippum Hainhoferum*, ſacro ê fonte levare dignatus ſit (*d*), nec quieſcendum ſibi putârit prius, quam *Noſter*, *Stettinum* profectus, ibi Principem ſuum coram ſalutâſſet. Extant in hanc rem: *Carmina gratulatoria Amicorum in feliciſſimum iter, quod nobilis & ampliſſimus D. Philippus Hainhofer Patritius Auguſtanus ad aulam Stettinenſem confecit. Auguſtæ.* 1617 (*e*). In eo itinere abs memorato Philippo Duce, in *Conſiliariorum* album adlectus fuit: quod honoris genus & Dux *Brunsvicenſis*, *Auguſtus*, Princeps perdoctus anno 1625. in *Noſtrum* conferre dignatus eſt. Dux quo-

(*c*) *Paul. à* STETTEN *ſenior l. c. p.* 746. *Paul. a* STETTEN *Erläuterungen der in Kupfer geſtochenen Vorſtellungen &c.* 4°. *p.* 99.

(*d*) V. PRASCHIUM *l. c. p.* 185.

(*e*) V. EHINGER *Catalog. Biblioth. Auguſt. p.* 877.

que *Boiorum*, *Wilhelmus*, ei negotia varia demandare non dubitârat.

Neque ſolum exteris Principibus, ſed et patriæ ſuæ inſerviit *Noſter*. Iam longiori ex tempore membrum is erat *Senatûs majoris* (ùt aiunt) quippe *Patritius minorum gentium*; ſed nullo publico negotio fungebatur. Verum anno 1628. *Curator Zechæ*, vernacule *Zechpfleger*, *ad D. Annæ*, & anno ſequenti (1629) *Aſſeſſor Dicaſterii urbici* (Stadt-Gericht) eſt conſtitutus.

Paulo poſt mutari *Auguſtæ* facies Religionis, et ſiniſtriora *Acatholicis* ingruere tempora cœperunt; quibûs quas legationes *Noſter* obiverit: quæ pertulerit: quid deinde *Guſtavo*, *Suecorum* rege, depopulata *Germania* etiam *Auguſtam* urbem obſidente ac capiente geſſerit, diſcere tibi licet, Lector! ex *Pauli à* STETTEN *junioris* Libro: *Lebens-Beſchreibungen zur Erweckung bürgerlicher Tugend*, *T. I. p.* 269. *ſeqq.* ex quo multa per decurſum huius narrationis excerpſi: cui addes *Pauli à* STETTEN *ſenioris Hiſtoriam* vernaculam *Auguſtanam*, *T. II.* Ab hoc eodem Rege inter *Patritios*, quorum plures is tum creavit, connumeratus *Noſter*, multisque gratiæ omnino ſingularis teſtificationibus ornatus fuit: Per idem quoque tempus novo Senatu lecto *Ædilitiam* dignitatem accepit. Sed belli illius fortunâ converſa etiam ſua omnia converſa vidit HAINHOFERUS noſter: qui ex illo tempore ſibi, Muſisque vixit; donec tandem anno 1647. die 23. Julii mortalitatem explevit, perturbatis nonnihil rebus ſuis.

Nihil, typis procuſum quod eſſet, repperire à *Noſtro* potui; at *Manuſcripta* eius varia extant. Etenim

I. De-

I. Deſcripſit *itinera* à ſe in adoleſcentia & ſtudiorum tempore facta, eàque in accuratum *Diarium* redegit: quod in ducalem Bibliothecam *Guelpherbytanam* poſtmodum tranſiviſſe, putat *Paulus à* STETTEN *junior*, *l. c. p.* 272.

II. Multâ diligentiâ *itinera*, à ſe in virili ætate confecta, litteris mandavit: uti *iter* ad Ducem *Pomeraniæ* aliasque in tranſitu aulas: item aliud ad Ducem *Saxoniæ* aliosque Principes, pro cauſſa *Acatholicorum* circa tempora belli *Suecici* ſuſceptum: quæ ambo *Diaria* vidiſſe ſe in memorata Bibliotheca, teſtatur mox laudatus *Paulus à* STETTEN *l. c. p.* 276. 278. Huc pertinet, quod LAMBECIUS in *Commentar. de Biblioth. Vindobon. Cæſar. T. II. p.* 915. recenſet, *Volumen chartaceum, in folio, multis imaginibus æri inciſis exornatum, quo continetur Philippi Hainhoferi Relatio Germanica de itinere ſuo in Aulam Dreſdenſem & reditu Auguſtam Vindelicorum anno* 1629.

III. *Stemmatographiam familiæ ſuæ* confieri juſſit, venuſtate et arte, quæ ibi inter ſe certant, alias fere omnes vincentem. V. *Paul. à* STETTEN *juniorem, l. c. p.* 276. 284. 285.

IV. Maioris momenti eſt Opus, quod *Paulus à* STETTEN *ſenior* in *Hiſtoria* vernacula *Auguſtanæ urbis Tom. II.* in prævia *Notitia Scriptorum Rer. Auguſt. N₀. 2. A.* 6. recenſet hoc titulo: *Philipp Hainhofers &c. &c. Diarium die ſchwediſche Occupation der Stadt Augſpurg betreffend vom* 7. *April* 1632. *bis* 5. *Octobr.* 1635. Opus ſolidè ſcriptum & publicis auctoritatibus munitum, Judice eodem *Paulo à* STETTEN; qui ſe illô, non ſine multo fructu, in conſcribenda patria eius ætatis hiſtoria uſum eſſe, candide profitetur.

Paraverat ſibi *Noſter* numeroſam pretioſamque Bibliothecam, quæ poſt eius obitum Bibliothecæ *Guelpherbytanæ* illata eſt, unà cum Libris eius muſicis; nam et *artis muſicæ*, præcipue *teſtudine* ludendi, peritus exſtiterat. Quo *Muſæum* eius devenerit, neſcitur; credibile tamen, illud *Noſtro* fatis functo, diſſipatum fuiſſe.

HENNINGUS (*Marcus*)

Qua origine natus ſit HENNINGUS noſter, de quo ſuperiori *pag.* 83. dictum, memoriæ prodidit *Martinus* CRUSIUS, ipſe amicus *Noſtri*; dum in *Annal. Suevic. Dod. III. p.* 834. ſequentia ſcripſit: *Egit Gregorius* HENNINGUS, *amici mei* Marci *pater, ab anno* 1549. *usque ad* 1584. *Advocatum Auguſtanæ Reipublicæ, ortus ex oppido Luſatiæ ſuperioris, Lauba, patre Nicolao, ibi conſule. Factus autem Doctor Juris in Italia anno* 1554. *Patavii fuerat: uxoremque anno* 1556 *ex mercatoria Stenglinorum familia, Felicitatem, Marci Senatoris filiam, Lucæ Medici ſororem duxerat: et anno* 1586. *usque in ſequentem annum apud Palatinum, Georgium Ioannem, Cancellarii munus obierat. Nunc* (1590.) *ſenectute et valetudine debilis eſt.*

Hæc de ortu *Noſtri* CRUSIUS. Eum in patria ſchola *San-Annæana* docuiſſe, ad annum 1594. aſſerit *Philipp. Iacob.* CROPHIUS in *Hiſtoria* vernacula eiusdem *Gymnaſii p.* 101. Inter celebres autem *Genealogos* annumerat FABRICIUS in Libro: *Abriſs einer allgemeinen Hiſtorie der Gelehrtheit. T. III. p.* 989. & 991. Inter claros *Germaniæ Poëtas* recenſendum jure eſſe, dicenda confirmant.

Scripta *Marci* reperire mihi contigit ſequentia:

I. *Carmen elegiacum* prolixum in *Adolphos Occones*, celeberrimi nominis *Medicos Auguſtanos.* Extat

Extat in *Vitis* OCCONUM à *Iac.* BRUCKERO. in 4to. editis.

II. *Carmina in Nuptias Antonii Fuggeri & Barbaræ Comitiſſæ de Montfort anno* 1591. *celebratas, verſibus heroicis ſcriptum*: quod Epithalamion, *egregium*, nominare non dubitavit *Mart.* CRUSIUS *l. c. p.* 837.

III. *Hiſtoria nova et vera de ampliſſimo regno Chinæ. in* 8°. *Francofurti.* 1599. V. LIPENII *Biblioth. philoſoph. p.* 276.

IV. *Tyrolenſium Principum, Comitum, ab anno virginei partus* 1229. *usque ad annum* 1599. *Eicones ſingulorum: Inſignia: quorundam Emblemata. Ex Raymundi Fuggeri &c. Muſæo. Cælatura & officina Dominici Cuſtodis; cum Epigrammatis & brevibus Eulogiis* Marci Henningi *in fol. Aug. Vindel.* 1599. *iterum* 1623. V. EHINGER *Catalog. Biblioth. Auguſtan. pag.* 567.

V. *Atrium heroicum Cæſarum, Regum, aliorumque Summatum ac Procerum, qui intra proximum ſæculum vixêre, aut hodie ſuperſunt, imaginibus LXXII. illuſtratum. Chalcographo & editore Dominico Cuſtode, anno ſæculari* 1600. *cum Proëm. et Epigramm. M. H. A. V.* (Lege Marci Henningi Auguſtano-Vindel.) *Pars I.* 1600. Eiusdem *Atrii &c. Pars II. Eicones* XXXI. 1600. Eiusdem *Atrii &c. Pars III. Eicones XXX.* 1601. Eiusdem *Atrii &c. Pars IV. Eicones XXXIII.* in folio. *Typis Ioann. Prætorii.* 1602. V. EHINGER, *l. c. p.* 559. 567.

VI. *Saxoniæ Ducum Cæſarib. creand. VII-Virûm; & cæterorum à Friderico I. ad Chriſtianum II. fratres & agnatos genuinæ Effigies cum Collect. & Epigrammat.* Marci Henningi *in fol. Auguſt. Vindel.* 1601. V. EHINGER *l. c. p.* 568.

VII. *Ad illuſtrem, magnificum & nobiliſſimum Virum D. Ioannem Wolfgangum Freimonium* (*) *in Randeck &c. ſcriptum Carmen* a Marco Henningo. *Auguſtæ Vindel.* 1603. V. EHINGERI *Catalog. Biblioth. Auguſt. p.* 853.

VIII. *In ſecundas, ſecundiſſimas, Nuptias SS^mi. Principis* Ferdinandi II. *electi Romanorum Imperatoris, cum SS^ma. Principe Virgine* Eleonora *Mantuæ Duciſſa, anno* 1622. *Oeniponte celebratas Carmen ſyncharisticum.* in 4to. *Auguſtæ Vindel. E Typographeo Saræ Mangiæ viduæ.* Ibi inter alia canit:

Ille ego, Vindelicam quando Auguſtiſſime Cæſar!
Cæſareo intrâſti Auguſtam ſublimis honore (*a*).
— — — — — — —
Ille ego, Zindelio *qui Carmina pauca* Philippo
Tum ſcripſi, proavûm atque tuas tangentia laudes:
Zindelius *quæ aptata* ſuis *tibi Carmina* plectris
Obtulit atque modis (*quin & placuiſſe recordor*)
Ille ego jam redeo. — — — —
— — — — — — —
Quamlibet & primus *me* ſexageſimus *annus* (*b*)
Ævi urgens Carmen cogit frigeſcere....
— — — — — — —
Nunc, ex quo vixi Linzi (*c*), *trigeſimus annus*
Nobilibusque fui non male gratus, abit.
Nec mihi Nobilitas viſa eſt humanior usquam
Auſtriacâ, Teuto nobile quidquid habet.

Tunc

(*) De Vita & Scriptis clariſſimi huius Viri vide Librum: *Allegemeines hiſtoriſches Lexicon. Baſel.* Confer *Io. Nep.* MEDERER *Annales Academiæ Ingolſtad. T. II.*

(*a*) *Ferdinandus II.* anno 1619. *Auguſtam* adveniens, inde profectus paulo poſt eſt *Francofurtum*, in Regem Romanorum eligendus.

(*b*) Ex hoc colligitur, *Noſtrum* circiter anno 1561. in dias luminis auras prognatum fuiſſe.

(*c*) Puta: *Lincii.*

Tunc Schallenbergus, *tunc me* Tſchernemblus *amabat*
Tunc Hohefelderi, *tunc* Starhebergiaci:
Jörgeri, Polhemiadæ, *quosque* Auſtria *plures*
Supra Anaſum *claros germine dives alit* (*d*)
Pene tamen binis *vixi illic* meſſibus (*e*)...

IX. *Fragmentum Epiſtolæ*, à *Noſtro* ad *Carol.* STENGELIUM anno 1621. ſcriptæ, exhibui in *Alphabeto III. Bibliothecæ Auguſtanæ*, *p.* 138.

(*d*) Ecce! Quantorum Virorum gratiâ fruitus ſit *Noſter*?

(*e*) *Ab anno*, ut ipſe teſtatur in margine, 1591. *usque ad annum* 1593. Quid autem muneris ibi geſſerit, non indicat.

LAUBIUS (*Georgius*)

Georgii LAUBII ſuperiùs in HOESCHELII *Vita pag.* 35. mentio incidit; qua de re, dati inibi promiſſi memor, hôc locô afferam, quæ de illo dicere habeo.

Natus is *Auguſtæ* annô à partu Virginis MDLIV. *bonis & honeſtis parentibus*, ubi ætatem addiſcendis litteris aptam attigit, liberalium artium præcepta in patrio Gymnaſio *ad S. Annam*, ſub Viro celeberrimo *Hieronymo* WOLFIO, imbibit. Inde *Tubingam* miſſus, ita ad ſtudia incubuit, ut, *nondum expleto vitæ anno* 18. jam ſupremis in *Philoſophia* honoribus capeſſendis idoneus fuerit judicatus. Quibus geſtis, cum *naturali quodam impetu ad medicinam ferretur*, & veniâ et ſumptibûs neceſſariis à parente impetratis, in *Gallias* contendens, *Montempeſſulanum*, ex longiſſimo temporis ſpatio ſingulari *Medici ſtudii* fama florentiſſimam Academiam, venit: Ibi *aliquantiſper commoratus*, in *Italiam* abiit, inque ea orbis regione *Paduam*,

Paduam, *Piſas*, *Florentiam* luſtravit, eventu tam proſpero, ut in quodam poſtremæ urbis noſodochio medicandi partes ſibi concreditas habuerit: annoque 1576. ætatis 22. in *Piſana* Academia ſolito apparatu *Medicinæ Doctor* renunciatus fuerit (*a*).

Hôc modô, jatricâ laureâ inſignitus, & â priſcarum linguarum, *græcæ* præſertim, humaniorúmque litterarum ſcientiâ inſtructiſſimus domum rediit, in qua *præclariſſimos ſtudiorum eius profectus imi ac ſummi ſubſellii cives*, *quibus aptiſſima de ingeniis recte judicandi facultas inerat*, *tum agnovere celeriter*, *tum eiusdem exitu longe feliciſſimo uſi ſunt* (*b*).

Uxores habuit duas: *priorem*, Veronicam *Weiblingerinam*, quam anno 1576: *poſteriorem*, Ioannam *Rehmiam* primariæ familiæ virginem, quam anno 1589. connubio ſibi junxit; ex *prima* quinque, ex *ſecunda* quatuor liberorum pater effectus. Poſtremas nuptias *David* HOESCHELIUS edito Libello: *Præcepta conjugalia &c.* condecorandas ſibi duxit (*c*). Qui idem ſuam erga *Noſtrum* amicitiam, nomini eius *Andronicum Rhodium* conſecrando, teſtari voluit.

Annum

(*a*) V. ADAMI *Vitæ Medicor.* *p.* 153. & FREHERI *Theatr. Erudit.*

(*b*) Vide mox citatum ADAMUM & CRUSIUM in *Annal. Suevic. Dod.* 3. *p.* 834. ubi ad annum 1590. inquit: *Auguſta Vindelica multos claros hoc tempore habebat Doctores medicos*, *ut Marcum* WINDIUM, *Ioann.* SCHEURLINUM, *Io. Ulr.* RUMLERUM (De hoc paulo poſt dicam) *Caſparum* GUTTMANNUM.... *Georg.* LAUBIUM, WIRGUNGUM *&c. &c.*

(*c*) Vide ſuperius inter *Opp.* HOESCHELII, *No. V.* item *No. XIV.*

Annum 1597. fatalem *Noſter* habuit, & præmatura et celeri morte vivis ereptus; nam cum epulo cuidam nuptiali intereſſet, graviſſimis repente doloribus correptus, domúmque reportatus, 10. die Novembris exſpiravit, cùm annos vixiſſet nonniſi 43. Corpus eius terræ mandatum fuit in cœmeterio ſuperiore ante *Portam*, quam vocant, *rubram*; uti docet epitaphium *Noſtri*, à *Daniele* PRASCHIO allatum (*d*).

Melchior ADAMUS in *Vitis. Medicor. p.* 153. ſequenti *Noſtrum* eiusque mores encomio ornavit: *In praxi ſeu medicina facienda, fungens munere Phyſici Reipublicæ Auguſtanæ, fuit fidelis et felix, erga Deum pius, in lectione Bibliorum aſſiduus. In vita civili pacificus,* αὐταρκὴς; *& tam diviti, quam pauperi in ſuo officio fideliter præſto fuit: beneficus erga egenos omnes, præcipue ſcholaſticos, ſi quos bonæ indolis noverat.*

Tempus, quod à praxi medica vacuum nactus fuit, optimis ſtudiis dicavit *Georgius* noſter: cuius rei evidenti argumento ſunt Libri, quos partim edidit, partim prælo paravit. Sunt illi

I. *Ioannis Anglici Praxis. medica*: Roſa Anglica *dicta, quatuor libris diſtincta: de morbis particularibus; de febribus; de chirurgia; & pharmacopoeia; emendatior & in meliorem redacta ordinem; recens edita opera et ſtudio Cl. V. Doct. Philippi Schopfii Phyſici Durlacenſis &c* in 4to. *Auguſtæ Vindelicorum. Typis Michaelis Mangeri.* 1595. Dicavit SCHOPFIUS (*e*) Librum hunc *Noſtro*, quem *Medicum & Philoſophum præſtantiſſimum, amicum ſuum obſervandum* appellat, monens ſequentia, ex qui-

(*d*) In *Epitaph. Auguſtan. T. III. p.* 94.

(*e*) De *Schopfio* videri poterit KESTNERUS in *Mediciniſches Gelehrten-Lexicon.* 4to.

quibus, quid laudis ex hac editione ad *Georgium* noſtrum redeat, diſcimus: *Quia conſuetudine receptum eſt, ut libro cum novo tum veteri, aut qui acceſſione aliqua locupletatus atque correctus de novo eudītur, patronus aliquis quæratur, cuius auſpicio in lucem prodeat; tu mihi, Cl. Vir! ex multis ſolus occurris, cui hoc jure quodam me debere ſentio. Nam ut taceam beneficia tua, cumulate in me collata, necdum compenſata, inſuper etiam meretur hoc tua præclara doctrina conjuncta cum virtute: meretur hoc tua humanitas, qua tibi multorum Doctorum animos devinxiſti: denique hoc meretur nominis tui celebritas & exiſtimatio, quam tibi medendi uſu acquiſiviſti. Sed nec hoc diſſimulandum eſt: quod autor fuiſti, quod* συνεργὸς (*f*) καὶ ἐργοδιώκτης (g), *ut Roſa Anglica omnibus numeris abſoluta in publicum ederetur: quod ſumptus hoc nomine feciſti, non gloriæ ſtimulis aut lucri impulſus, ſed utilitatis publicæ propoſito atque amore &c.*

II. *Lucæ* OSIANDRI *Commentarios in Pſalmos Davidis* ex latino in linguam vernaculam convertit.

III. *Simeonem* SETHUM, Medicum celeberrimum, ex græco in latinum ſermonem transtulit. V. *David.* HOESCHELII *Catalogum MSStorum. Biblioth. Auguſtanæ, p.* 55. ubi dicitur: „ *Noſtrum* „ hunc præclarum Medicum ex Codice *Auguſtano* „ emendâſſe, & cum nova Verſione latina typis „ committere voluiſſe". Confer *Fabricii Biblioth. græc. T. X. p.* 321.

Neque hoc, neque præcedens *Opus*, interveniente *Noſtri* morte, lucem vidit: *Noſtri* (inqum) cuius

(*f*) Vox hæc idem ſonat, ac *Adjutor*, propriè *Cooperator.*

(*g*) Eſt is, qui *Opus* aliquod *urget.*

cuius etiam honorificam mentionem faciunt KESTNERUS in *Mediciniſches Gelehrten - Lexicon.* KORNING in *Biblioth. vet. & nov.* BRUCKERUS in *Vitis Occonum.* WILL in *Biblioth. Noric.*

LAUBIUS (*Hieronymus*)

Georgio LAUBIO Medico, Medicus alter apte jungitur *Hieronymus* LAUBIUS; tum ob ipſam nominis affinitatem; tum quod ex ſupradicto *Georgio*, fors abavo, originem duxiſſe, mea quidem opinione, cenſendus ſit.

Hunc *Hieronymum* patriâ *Auguſtanum* fuiſſe, ex *Catalogo Collegarum illuſtris Academiæ cæſareo-Leopoldinæ Curioſorum Naturæ* didici: de adoleſcentia autem illius, et ſtudiis in juvenili ætate comperire hactenus quivi nihil, præterquam quod ſe totum arti medicæ conſecrârit. Atque in hoc ſtudii genere quam amplam ſibi tum eruditionem tum famam comparaverit, inde judicatu facillimum eſt, quod jatricæ ſcientiæ ſubſidiis adjutus in exteram adeo aulam penetrarit, *Regis Daniæ Medicus aulicus*, (quem eum *Acta* memoratæ *Academiæ* vocant) et *Noſodochii regii Hafnienſis Medicus* (Hoc honoris titulo illum MANGETUS in *Bibliotheca Scriptorum Medicorum T. III.* ornat) conſtitutus.

Inter mox memoratæ *Academiæ* membra anno 1718. *Hieronymum* noſtrum, ſub nomine *Fauſtini*, adlectum fuiſſe, teſtatur *Catalogus Collegarum* eiusdem *Academiæ*, *n°.* 333.

Exſtant ab illo (uti monet MANGETUS *loc. cit.*) in *Ephemeridibus* ſæpius laudatæ *Academiæ Germanicis*,

Cen-

Centuriâ III. & IV.

Obſervatio 162. *Paracenteſis abdominis ſæpe reiterata.*

Centuria V. & VI.

Obſervationes: 21. *De abſceſſu Ovariorum.* 22. *De Anatome Calculoſæ.*

Centuria VII.

Obſervationes: 39. *De anatome abſceſſû cerebri Defuncti.* 40. *De Steatomate in cavitate pectoris.* 41. *De notabilibus in anatome Hydropici inventa.*

Centuria VIII.

Obſervationes: 21. *Caries oſſis bregmatis & temporum dextri cum cerebri putrefactione.* 22. *Calculoſi & ulcere renis afflicti Anatome.* 23. *Abſceſſus lumbaris cum carie vertebrarum dorſi & lumborum.*

Centuria IX.

Obſervationes: 14. *Paralyticus ex carie cranii, et apoſtemate cerebri.* 15. *Ex lue venerea olim curati, poſtea febri pectorali demortui Anatome.* 16. *In phthiſici anatome ren ſiniſter duplex repertus.* 62. *Poſt variolas confluentes hydrops pectoris & abſceſſus hepatis.* 63. *Arenulæ in glandula pineali repertæ.* 64. *De rene monſtroſo Hydropici.*

Centuria X.

Obſervationes: 6. *Vulnus capitis ad cerebrum usque penetrans poſt 5. ſeptimanarum decurſum lethale.* 7. *De vulnere thoracis per accidens lethali.* 8. *De vulnere lienis et renis ſiniſtri lethali.* 9. *In flexura cubiti graviter vulnerati anatome.* 10. *Ex ſcirrho ventriculi Vomitus aſſumptorum diuturni.* 83. *Puellæ hydrocephalicæ anatome.* 84. *Cordis inſolita magnitudo in cadavere aſthmate convulſivo Defuncti.* 85. *De ventriculi expanſione ſtupenda in cadavere ebrii.* 86. *Hepar magnum et purulentum hæmorrhagiæ narium diuturnæ cauſſa.* Hucusque MANGETUS.

Præte-

Præterea à *Noſtro* in *Actis phyſico-medicis* memoratæ *Academiæ* in 4to. habentur.

Volumine I.

Obſervationes: 148. *Spina ventoſa femoris ſiniſtri: Vomicæ pulmonum duræ.* 149. *Dolor lumbaris cum motu femoris abolito ex abſceſſu interno et carie vertebrarum.* 150. *Ulcus in dorſo magnum ad pleuram penetrans cum carie coſtarum.* 151. *Aſthma grave cum hernia umbilicali.* 152. *Vomicæ pulmonum, et partium abdominis: Serum copioſum in capite.*

Volumine II.

Obſervationes: 17. *Empyematicus abſceſſu ſponte orto et aperto præter ſpem convaleſcens.* 18. *Abſceſſus ſaccatus in thorace phthiſici.* 19. *Pericardicum ſanguine diſtentum, et cor arroſum in cadavere orthopnoici.* 20. *Pericardicum cartilagineum cum corde coalitum in cadavere hydropici.* 21. *Lienis et Renis ruptura ex caſu ab alto lethalis.* 22. *Cranium et ſternum curioſum Scorbutici cum calculis pulmonum.* 103. *Coſtarum a ſterno ſeparatarum coalitus novus: Coli in inteſtinum rectum prolapſus.* 104. *Scorbutici ulcera ſinuoſa varia.* 105. *Cachecticus cum carie ulceroſa brachii, manûs, et genu.* 106. *Parotides exulceratæ cum vomicis pulmonum et meſenterii.* 107. *Empyema cum ſanguine intra pericardium extravaſato.* 108. *Lienteria ex abſceſſu meſenterii magno.* 109. *Aortæ oſſeſcentia in ſene apoplectico.*

Dedit *Noſter* haſce poſtremas *Obſervationes* ex *Hafnia*, anno 1728. 14. Febr. In ſequentibus *Voluminibus* nulla *Noſtri* amplius occurrit mentio: Unde conjicio, eum fors morte interceptum humanis valedixiſſe.

MINDERER (*Raymundus*)

Raymundus noſter, de quo ſupra pag. 95. mentio facta eſt (*), *avum maternum* habuit Laurentium *Danum* ſive *Thennum*: patrem *Balthaſarem*, *inſignes ac famoſos ſui temporis Chymicos*: matrem *Mariam Annam Thennin*. Fratre uſus eſt *Gottfrido*, aurifice: ſorore *Maria*, quæ *Bartholomæo ab Eſch* pictori nupſit (*a*).

Non habeo, cur dubitem, *Noſtrum* maturè diſcendis litteris humanioribus admotum fuiſſe. Subin verò *Ingolſtadium* veniens ibi ſtudia ſua proſecutus eſt: in cuius Academiæ *Inſcriptorum* albo ad annum 1590. non ſine ſpeciali hoc elogio memoratur: *Inter recens Academiæ Inſcriptos multi hoc anno inſignesque viri ac juvenes exſtiterunt.* .... *Raymundus* Mindererus *Auguſtanus*, *magni poſtea nominis Medicus*, *atque editis etiam libris clarus.* Inſignitus eſt autem *Noſter*, Doctoris Medici honoribus, in mox memorata *Academia* anno Chriſti MDXCVII (*b*).

Maximos â puero & per ſtudiorum tempora patronos expertus eſt DD. *Erneſtum* & *Io. Albertum*, Comites *de Oettingen &c.* horumque parentes illuſtriſſimos; quod gratus agnovit, in *Dedicatione* ad *Threnodiam* ſuam *medicam* dicens; *Secunda vero*

(*) *Auguſtanum* patriâ fuiſſe, innuit JOECHERUS in *Gelehrten Lexicon.* Sed huic aperte contradicit Vir doctiſſimus MICHEL in *Beyträgen zur Oettingiſchen Geſchichte &c. T. III. p.* 101. monens: *Noſtrum* in Dynaſtia *Oettingo - Wallerſteiniana* natum fuiſſe. In *Epitaphio* inferius apponendo *domô* (non patria) *Auguſtanus* vocatur.

(*a*) V. PRASCHII *Epitaph. Auguſt. T. II. p.* 93. & Præfationem *Noſtri* ad Opus ſuum de *Calcantho.*

(*b*) V. MEDERER *Annal. Acad. Ingolſtad. T. II. p.* 122. 149.

vero haud minus urgens (cur hoc Opuſculum ipſis dedicaret) *cauſſa*, *meæ in vos ſubmiſſæ obſervantiæ candor extitit*, *per quem fateor*, *me poſt Deum omnia à vobis piisque parentibus veſtris accepiſſe: ita ut Oettingano veſtro ſtemmati . . . cuncta debeam. Huius enim munificentia educatus*, *nutritus*, *ſuffultus*, *ac beneficiorum cumulata multitudine quaſi preſſus hucusque fui. Atqui vero Oettingani vos Comites*, *parentes veſtros . . . repræſentantes*, *quos ideo parentes appello*, *vos* (*inquam*) *me in ſtudiis educaſtis*, *in Academiis hinc inde alimoniam mihi præſtitiſtis*, *victum amictumque ſubminiſtraſtis*, *&* *humanioribus . . . ſtudiis exemptum & ad medicam Facultatem animum applicantem*, *ulteriorum gratiarum ſuperadditione*, *itineris mei medici curſum promoviſtis.*

Tametſi ex prædictis ſatis clare pateat, præter *Ingolſtadianam* alias quoque *Academias* viſitatas à *Noſtro* fuiſſe, hactenus tamen, quæ nam illæ fuerint, invenire mihi non licuit. Igitur ad certiora convertor. *Noſter* ſtudiis itineribusque ſuis eruditis defunctus *Auguſtam* redivit, ubi anno MDCVI. ædiculam *S. Ægidio* ſacram et domum *Vicariæ* (ut aiunt) Vicinis ad pium hoc opus concurrentibus, inſtauravit teſte *Carol.* STENGELIO (*c*), qui *Inſcriptionem* ſupra portam eius Eccleſiolæ poſitam hanc affert:

AEDICULAM. DEO.
ET. MEMORIAE.
SANCTI. ÆGIDII. SACRAM.
SITV. ET. VETUSTATE.
CORRUPTAM. VICINIA.
PRIVATA. IMPENSA. RESTITUIT.
ANNO. MDCVI.

(*c*) In *Commentar. Rer. Auguſt. T. II*, *p.* 324. 325.

Annus ſequens (1607.) magnam in civibus *Auguſtanis*, & per totam viciniam ſtragem edidit, lue contagioſa exorta; cui ut occurreretur, *Noſter*, à Senatu *Noſodochio peſtilenti præfectus*, una cum *Carolo* WIDEMANNO (*d*), *Io. Iacobo* SCHISLERO, & *Hieremia* CNEULINO (*e*) multa diligentia, ac ſtudio multo laboravit. Cumque ſingulari Dei beneficio *inter tot ac tanta tam funeſtarum infectionum pericula ab omni intoxicationis vitio & malignitate cuſtoditus fuerit*, *dignum eſſe judicavit*, *ut quæ in tam gravi morbo apud ægros notaſ-*

(*d*) *Carolus* WIDEMANNUS, patriâ *Monacenſis* fuit, *Auguſtæ* vero artem medicam factitavit, ubi anno 1616. *Collegii Medici Vice-Decanus* renunciatus eſt. Obiit annô 1638. reliquens: 1o. *Annotata medico-chymica*, quæ *G. H.* WELSCHIUS ſuis *Chiliad. II. exotic. Curat. & Obſervat. medicin.* inſeruit. 2o. *Annotata* alia *medico-chymica*, quæ idem WELSCHIUS in ſuis *Centuriis IV. Conſil. medicinal.* exhibet.

(*e*) *Hieremias* CNEULINUS, filius *Tobiæ*, de quo mox dicam, artis medicæ Doctor, & per 28. annos Noſodochii peſtiferi Præfectus fuit. Obiit die ultima Decembris, anni 1631. V. BRUCKERI *Vitas Oeconum*, *pag.* 25. & 26. *Tobias* autem CNEULINUS, patria *Giengenſis* Suevus, anno 1572. in *Baſileenſi* Univerſitate *Medicinæ Doctor* creatus, & *Auguſtæ* anno 1576. Noſodochio peſtilenti, additô annuô 150. floreuorum ſtipendiô, præeſſe juſſus eſt, (Vide mox landati BRUCKERI *Vitas Oeconum*, & FABRICII *Hiſtorie der Gelehrtheit. T. III. p.* 540.) Reliquit *Obſervationes* ſeu *Hiſtorias medicas*, quas *Ioannes* SCHENCKIUS poſtea *Operi Obſervationum medicarum*, *rararum*, *novarum* à ſe edito inſeruit; in *prævio Auctorum elencho* de *Noſtro* dicens: *Medicus Auguſtanus induſtrius*, *qui in conquirendis tum aliorum*, *tam ſuis quoque Hiſtoriis mittendis ſedulam operam navavit.* Virum *celebratiſſimum* vocat *Lucas* SCHROECKIUS in *Hygæia Auguſt. p.* 12. Ter *Decanatûs* munere functus vitam finiit anno 1601. die 7. Decembris.

notaſſet & obſervaſſet : quin etiam ex fida prædicto-rum DD. Collegarum, qui in eadem arena ſecum cum tanto morbo deſudârant, communicatione didiciſſet, boni publici cauſſâ divulgaret. Itaque edidit ſuum Libellum *de Peſtilentia*, quem *Marco* VELSERO & *Joanni Iacobo* RHEMBOLTO Duumviris, *Septemvirûm*que Collegio dedicavit. Quæ prima *Noſtri* Opella, ut prodiit, doctorum calculos plurimorum tulit ita, ut protinus in alienas diverſas ac exteras regiones fuerit diſtracta (*f*).

Quare non ſolum huius Opuſculi editionem *ſecundam* anno 1619. multis petentibûs, præcipue *Helvetis Acronianis, & ad Hercyniam Sylvam habitantibus, utpote quorum fines non ante multos annos plurimorum hominum ſtrage milleque miſeriis* inimica hæc lues repleverat, adornavit; ſed alia quoque plura, pro eo, quô agebatur, Proximum adjuvandi (*) incenſô ſtudiô vulgavit, magno virorum doctorum applauſu excepta. Ubi vero anno 1617. *Diſquiſitionem* ſuam *de Calcantho* edidit, adverſarios ſibi *Ætium* CLETUM, *Petrum* CASTELLUM (*g*) aliosque (ſive quod *virtuti ſemper comes*

 eat

(*f*) V. Dedicationem *Noſtri* ad *Libellum* ſuum *de Peſtilentia. Editio altera.*

(*) Paſſim hoc ſtudium apertîs verbîs declarat in *Præfationibus* ſuis.

(*g*) *Ætius* CLETUS, Medicinæ Doctor *Romæ*, *Exercitationem de Calcantho* adverſus *Noſtrum* edidit. De *Petro* CASTELLO, patria *Romano*, Medico conſuli poterit MANDOSIUS in *Biblioth. Roman.* & *Keſtnerus* in *Biblioth. medic.* Fuit alius quoque CASTELLUS (*Ioannes*) *Auguſtanus*, Philoſophiæ ac Medicinæ Doctor, hactenus pauciſſimis notus: qui, primum ingenii ſui partum, *Tractatum de Peſte, nec non de ipſius cauſſis, ſignis,* *præ-*

eat invidia, ſive quod *veritas diſputando limari debeat*) expertus eſt; ſed contra hos cauſſam *Noſtri* dixit defenditque *David* VERBEZIUS Medicus Auguſtanus (*h*). Hinc tantum abfuit, ut iſta controverſia famæ *Raymundi* noſtri nocuerit, ut eidem etiam amplificandæ conduxerit.

Certe maxima iatricæ ſcientiæ laude claruiſſe MINDERERUM, plurimorum Nobilium, Ducis quoque Bavariæ *Maximiliani*, atque ipſius Romanorum Imperatoris *Matthiæ*, qui eum in *Archiatrorum* ſuorum numerum adſcribere minime dubitârunt, judicium confirmat: deinde etiam ſynchronorum Scriptorum clariſſima teſtimonia evincunt. A *Carolo* STENGELIO (*i*) audit is *famoſus*, *inſignis ac celeberrimus Medicus*. A *Petro* ECKHOLTO (*k*) Phyſico *Lindavienſi* extat ſequens *Noſtri* encomium: *Mindereri doctrinam ut admiror, ita eius labores et conatus in adornanda Medicina ſinceriori plurimum laudo & celebro. Optandum eſſet, ut Academicis laboribus et ſtudiis ſolum vacare, et libris edendis, adjuvando ſic quam plurimos, inhærere poſſet: & non ſolum ægrotis ſanandis, ubi tamen etiam feliciſſimus eſt, vacare et tempus inſumere cogeretur. In ipſius* Pharmacopœia, & Tractatu contra Peſtem

præſagiis, curatione et præſervatione, Auguſtæ, in 8o. Chriſtoph. Mangi typis anno 1608. excuſum *Wolfgango Theodorico* Archiepiſcopo *Salisburgenſi*, cui multis nominibus obſtrictus fuerat, dedicavit.

(*h*) *David* VERBEZIUS *Carno-Lubeanus*, Medicus, *Auguſtæ*, *Ulmæ*, *Stuttgardiæ*, *Argentorati*, denique *Spiræ* artem medicam factitavit. Præter alia, de quibus *Lindenum* in *Scriptor. Medic.* & WITTE in *Diar. biograph.* videſis, ſcripſit: *Reſponſionem pro Raym.* MINDERERI *Diſquiſitione jatro-chymica de Calcantho.*

(*i*) In *Commentar. Rer. Auguſt. l. c.*

(*k*) V. *Aloedarium marocoſtinum Noſtri*, p. 227.

ſtem *multa habentur, ex ipſius inventu, ut rara, ita mihi approbata; ut iis in mea etiam praxi qualicunque utiliter et cum laude utar, & in curandis ægris multum proficiam; quare ipſum meritò amo ac veneror.... Deus largiatur ipſi longævam vitam, ubi haud dubie profecturus in dies plurimis prodeſſe, et ſuas lucubrationes multis communicare, et ſic æternum nomen nanciſci poſſit.* Accedit *Philippus* HOECHSTETTERUS, et ipſe doctus Medicus Auguſtanus (*l*) qui, poſt mortem *Noſtri*, eius *Aloedarium*

(*l*) *Philippus* HOECHSTETTERUS *Auguſtanus*, Medicinæ Doctor, Phyſicus patriæ urbis fuit. Ab eo extant. *I°. Rararum Obſervationum medicinalium Decades tres &c. in 8o. Auguſtæ Vindel. apud Sebaſtianum Mylium, typis Andreæ Aperger* 1624. *II°. Rararum Obſervationum medicinalium Pars ſecunda, continens* Decades *tres ſequentes, nimirum IV. V. VI. &c. in* 8o. *Auguſtæ Vindel. Apud Sebaſtianum Mylium* 1627. In huius *ſecundæ partis* Dedicatione, qua illam Senatui *Auguſtano*, omnibusque univerſim Civibus *Auguſtanis* ſacravit, tractat *Noſter* Quæſtionem: *Utrum medicè vivere ſit, miſerè vivere?* De iſtis *Obſervationibus* ait *Lucas* SCHROECKIUS celeberrimus Medicus *Auguſtanus* in *Hygeia* ſua: *Opus inſigni labore, induſtria, et doctrina refertum... nulla unquam ætas venerari deſinet. III°.* Secunda vice edidit *Raymundi* MINDERERI *Aloëdarium* multis auctum, de quo ſuprà. Obiit anno Chriſti 1635.

Exſtitit etiam quidam *Ioann. Philippus* HOECHSTETTERUS, quem *filium* præcedentis JOECHERN in *Gelehrten-Lexicon T. II. p.* 1634. facit, ſed mendoſè; cùm SCHROECKIUS paulo ante laudatus *l. c.* eum *nepotem* præcedentis fuiſſe, & phyſicatum *Rottenburgi ad Tubarim* accepiſſe, diſerte affirmet. His adducor, ut credam: *Noſtro* patrem fuiſſe *Ioann. Philippum* HOECHSTETTERUM, qui teſte *Paulo à* STETTEN in *Chronica vernacula, T. I. p.* 559. artem medicam jam anno 1640. *Auguſtæ* exercuit. Sed ad *Ioann. Philipp.* HOECHSTETTERUM filium redeo. Is anno 1670. in *Ienenſi* Academia

loedarium ſecunda vice vulgavit; *cui editioni, ne ſola prodiret, alios Auctoris partus Höchſtetterus adjunxit, animatus eo Auctoris verbo: quod ſua arcana tempore hoc belliſrugo velit omnibus eſſe in rapinam; quodque is per hos fœtus, quamvis cœlebs, poſteritati ſe victurum dixiſſet.* Tum ſubdit HOECHSTETTERUS: *Fuit certe Raymundus in inveniendis medicamentis ſollers et ingenioſus: in applicandis dexter et felix: habuitque purgantia medicamenta beniguiora, ſibi quaſi obſequentia; ita ut fortiora diagridiata, &, quæ coloquintlidem habent, quaſi neglexerit. Ideo, hanc ſortem et fortunam ſecutus, multa, eaque utilia peperit medicamenta ex ſublimi et judicio prægnante ingenio, quibus deinde fœcunda & felix ſubſcripſit praxis. Quæ cum in ſuis editis hinc inde ſparſa eſſent, aut adhuc in officinis noſtris*

mia, ſub præſidio *I. T.* SCHENCKII Medicinæ Doctor creatus eſt habita prius *Io. Diſſertatione de Cinnamomo. in 4to.* Extant quoque â *Noſtro IIo.* Diſſertatio *de Lapide fulminari. IIIo. Rararum Obſervationum medicarum Decades VI antehac editæ* (puta â *Philippo* HOECHSTETTERO avô, ùt ſupra) *quibus nunc acceſſere quatuor aliæ Decades, nunquam hactenus viſæ &c. in 8o. Francofurti et Lipſiæ. Apud Laurentium Sigiſmundum Cornerum.* 1674. Confer KESTNERI *Biblioth. medic. p.* 476.

Multo ante hos tempore vixit etiam aliquis *Joſephus* HOECHSTETTERUS, cui (ſi MOEHNERO in *Stematograph. Stirpium Patritiarum Auguſtanarum MSSto.* credimus, pater *Ioannes*, mater *Catharina Ehingerin de Balzheimb* fuit; & â quo extat: *Bernardini Occhini* (Hic, deſerta ſide catholica & Ordine *S. Franciſci*, ex *Italia* in *Germaniam* profugus aliquamdiu *Auguſtæ* concionatus fuerat) *Zwanzig Predigen von den fürnehmſten Hauptſtücken chriſtlichen Glaubens &c. aus dem italiäniſchen uberſetzt durch Joſeph Höchſtetter. in 4to. Neuburg an der Thunaw gedruckt bey Hannſen Kilian.* 1545. V. *Catalogum Biblioth. Bünavian. T. III.*

noſtris recondita, *noluimus eius Lectores privare*, *ſed huic* Aloëdario *adnectere*, *ut ſit inſtar alicuius peculiaris* Diſpenſatorii RAYMUNDI.

Quid jam Philippum *Menzelium* (*m*) Medicinæ Doctorem & Profeſſorem Ingolſtadianum: Ioannem *Bayerum* Rhainanum, Jure conſultum: Edmundum *Hollingum* (*n*) Anglum, itidem Medicinæ Doctorem & Ingolſtadienſem Profeſſorem: Albertum *Menzelium* (*o*) filium ſupra laudati *Philippi*, Doctorem medicinæ & Profeſſorem ibidem; Gregorium *Gaſtelium* (*p*) Priorem San-Udalricanum Auguſtæ: Julium *Schillerum*, Juris Doctorem: Ioannem *ab Eſch*, Canonicum S. Mauritii itemque S. Petri: & Carolum *Stengelium* (*q*) commemorem, qui omnes encomiaſticis *Carminibus latinis*, *Stengelius* etiam *græcis*, Libello *Noſtri de Peſtilentia* præluſerunt: quibus addi poterit Ioannes *Hornungus* (*r*) Rottenburgo-Tuberanus, Phyſicus *Heidenheimenſis*. Quid Philippum Mauritium *Schonlinum*, Archiatrum Friſingenſem: Bartholomæum *Moſerum* (*s*) *Henrici a Knöringen* Epiſcopi Auguſtani & Collegii Dillingani Phyſicum ordinarium: atque Maximilianum *Mermannum*, Phyſicum Auguſtanum nominem, qui *Noſtri* Opus *de*

H 5

(*m*, *n*, *o*) De his tribus doctiſſimis Medicis vide *Annales Academ. Ingolſtad.* a *Ioann. Nepom.* MEDERER editos. *T. II.*

(*p*) De *Gregorio* GASTELIO pauca dixi in *Alphabeto III.* præſentis *Bibliothecæ Auguſtanæ*, *p.* 135.

(*q*) STENGELII merita fuſe expoſui in dictæ *Bibliothecæ Alphab. III. p.* 133-181.

(*r*) HORNUNGUS minime incelebris Medicus fuit, de cuius Scriptis vide LIPENII, tum etiam KESTNERI *Biblioth. medic.*

(*s*) MOSERI Lucubrationes recenſent iidem LIPENIUS & KESTNERUS.

de Calcantho verſibus commendârunt. Quid ad Davidem *Verbezium* (*t*) Phyſicum Ulmenſem : Iacobum *Berckmillerum*, DD. Fuggerorum Polyatrum : Narciſſum *Wagnerum* Auguſtanum, Donawertanum Phyſicum : Conſtantinum *Oeſterum*, Ducis Pomeraniæ Medicum : Ioannem Georgium *Brenggerum* (*u*) Medicum Kaufburanum : Laurentium Gualtherum *Kuchelium*, Phyſicum Ulmenſem : Albertum *Menzelium*, de quo ſuprà : Hieronymum *Reuſnerum* (*x*) Medicum Nördlinganum : Iacobum *Eckholt* (*y*) Phyſicum Memmingenſem : Huius parentem Petrum *Eckholt*, Medicum Lindavienſem : Philippum Ludovicum *Ebendum* (*z*) Doctorem Memminganum : Bartholomæum *Mercklinum*, Phyſicum Lavinganum : Marcum *Wolfhardum*, Doctorem Biberacenſem provocem, qui omnes *Aloëdarium Noſtri* cenſuris ac teſtimoniis honorificentiſſimis exornarunt ? Quid Ioannem *Drexelium*, Parochum à *Noſtro* ſæpius ſanatum : Ferdinandum *Sagittarium* Oenipontanum, Philoſophiæ ac Medicinæ Doctorem, Medicum Maximiliani Bavariæ Ducis : Urbanum *Schlegelium* Medicinæ

(*t*) De VERBEZIO ſuperius in *Nota* (*h*) dixi.

(*u*) *Io. Georg.* BRENGGERUS *Auguſtanus* artem medicam primum *Kaufburæ*, poſtea in urbe patria factitavit. Extant ab eo *Litteræ ad Philipp.* HOECHSTETTERUM *de quibusdam Obſervatis & Dubiis*, quas habes cum eiusdem HOECHSTETTERI *Obſervat. medicinal.* 1624. excuſis.

(*x*) Quis, niſi in hiſtoria litteraria hoſpes ſit, huius Medici laudes ignorat, à KESTNERO aliisque celebratas ?

(*y*) *Iacobi* ECKHOLTI merita diſcere licet ex LINDENIO, KESTNERO.

(*z*) De EBENDO vide WITTE *Diarium*, & LIPENII *Biblioth. medic.*

dicinæ Doctorem appellem, qui *Noſtri Threnodiæ medicæ* debitas laudes cecinere? At juvabit ſaltem hæc commemorâſſe, ut Lector! quinam amici *Noſtro* ac encomiaſtæ fuerint, cognoſcat: atque inde justam doctrinæ eius ideam mente concipiat.

Quod ipſum ut à legentibus facilius fiat, non incongruum fuerit, de medicandi methodo, qua *Raymundus* uſus eſt, ipſis illius verbis dicere. Ait igitur: *Ego, licet inter chymicos fumos natus, et inter ſpagyricos furnos ac fornaces educatus, fornicibus eorum crebro adhæſerim; Hippocraticam tamen, Galenicamque methodam toto meæ praxeos decurſu ſemper ſectatus ſum, quam etiamnum amplector, promittens vovensque, me ne latum quidem unguem ab ea receſſurum ... quantumvis non iis ſemper medicinis utar, quæ ex ſola vegetabilium aut animalium claſſe depromuntur; ſed quandoque metallicis ac mineralibus remediis gaudeam, quæ cetera medicamenta fulcitant: ne Medicina in deſperationem acta videatur, quando morbi novi ac duriores, vel inveterati, puris vegetabilibus cedere recuſant.* Et rurſum ait: *Calcanthi ſeu Vitrioli famam à maledicis quibusdam inique traductam ... pro modulo meo tutaturus proteſtor, me Galenicis Medicis, qualis ego ipſe ſum (licet Hermeticas diſciplinas Galenicæ doctrinæ nonnihil conjunxerim) nullatenus adverſaturum; niſi in quantum hi ſpagyricam artem, quæ Hippocraticam et Galenicam doctrinam perficit ac conſummatam magis reddit, ſtudioſe, ſi non malitioſe, obſcurare ſatagunt..*

Hæc ſunt, quæ de *Raymundo* MINDERERO dicere habui, quem, medicis laboribus feliciter, proſperéque defunctum, anno 1621. mors vivis eri-

eripuit. Epitaphium eius, præclarum certe, exhibet *Praſchius* (*a*):

HIC. SITUS. EST
RAIMUNDUS. MINDERER. DOMO. AUGUSTANUS
MEDICANDI. ARTE. PROXIMUS. HIPPOCRATI
MATTHIÆ. IMPERATORIS. AUGUSTI
MAXIMILIANI. BOIORUM. PRINCIPIS
INCLUTÆ. REIPUBLICÆ. AUGUSTANÆ
MEDICUS. PRIMARIUS
PUBLICIS. INGENII. MONUMENTIS. ÆTERNUS
RELIGIONE. CATHOLICUS
MORIBUS. INTEGRIS. ET. INCULPATIS
CÆLEBS. INTACTUS
FAMA. ET. VIRTUTIBUS. NOBILIS
EHEU
QUAM. ALIIS. SALUTEM
FELICI. CURA. SÆPE. ATTULIT
IPSE. TANDEM. ÆGER. NON. ÆGRE. PERDIDIT
VT. ÆTERNAM. REPERIRET
ANNO. P. C. N
CIↃ. IↃC. XXI. III. IDUS. MAIAS

Lucubrationes, â *Noſtro* relictæ, ſunt quæ ſequuntur:

I. *De Peſtilentia Liber unus veterum & neotericorum obſervatione conſtans. in* 8°.

Hanc editionem (quam *anno* 1608. factam monet EHINGERUS in *Catal. Biblioth. Auguſt. p.* 397. conſentiente etiam MANGETO in *Biblioth. Script. Medic.*) dicavit *Noſter Marco* VELSERO & *Io. Iac.* RHEMBOLT Duumviris, *Septemvirûm*que Collegio; ùt ſuperiùs monui: cùm vero citò hæc divendita fuiſſet, *ſecundam* paravit, *Ioanni*

(*a*) In *Epitaph. Auguſtan. T. I. p.* 227.

ni Iacobo REMBOLTO (*Velſerus* interea fatis conceſſerat) & *Hieronymo* IM - HOFIO Duumviris *Septemvirûm*que Collegio conſecratam, impreſſam *Auguſtæ* in 8°. *Apud Andream Apergerum.* 1619.

II. *Aloëdarium Marocoſtinum in* 8°. *Auguſtæ* 1615. *Apud Chriſtophorum Mangium.* Dicavit *Noſter Georgio*, *Ioanni*, *Hieronymo*, & *Maximiliano* FUGGERIS, quorum a multis annis Medicus ordinarius fuerat. In *Præfatione* ſequentia monet: *Hæc* Raymundus *veſter jam ferme inclinans*, *ac rerum numeroſa viciſſitudine defeſſus*, *licet adhuc juvenis videri poſſit*, *attamen laborum onere ſeneſcens poſteritati ſubjunxit*, ... Aloëdarium *hocce in patriæ uſum et pii Phyſici memoriam offerens*... *Quod ſi Deus vitam ac ſalutem dederit*, *recuſum* de Peſtilentia *libellum meum*, *eundemque auctum* & *locupletatum adjecto* Indice, *et addita ſimul* de Febre porphyroide ſeu petechiali *Appendice ſpectabis.* Præſtitit etiam promiſſum *Noſter* (uti ex *N°. antecedenti* vides) anno 1619.

Ceterum *Aloëdarium* hoc, à *Philippo* HOECHSTETTERO auctius, ut ſuperiùs monui, prodiit annô 1621. & 1626. Confer, ſi lubet KESTNERI *Biblioth. medic. p.* 663. & SEGUIERII *Biblioth. botanic.*

III. *De Calcantho ſeu Vitriolo*, *eiusque qualitate*, *virtute ac viribus*, *nec non medicinis ex eo parandis Diſquiſitio iatro - chymica*, *frigidis ac crudis quorundam de Vitriolo ſiniſtre ſentientium opinionibus & ſententiis oppoſita. in* 4to. *Auguſtæ Vindel. Apud Saram Mangin.* 1618. Conſecravit *Ioanni* FABRO (*b*) *Bambergenſi*, *Medicinæ Doctori*, *Pauli*

(*b*) De *Ioanne* FABRO, Medico doctiſſimo, vide KESTNERI *Biblioth. medic.* JOECHERN *Gelehrten - Lexicon.* MANGETI *Biblioth. Script. Medic.*

li V. ſimplicium medicamentorum Præfecto &c. amico et fautori ſuo ſingulari, qui ipſe à *Noſtro*, pandi ſibi accuratius Vitrioli uſum ac vires, flagitârat. Confer KESTNERUM *l. c. p.* 664. 665.

IV. *Threnodia medica, ſeu Planctus Medicinæ lugentis. in 8°. Auguſtæ Vindel. Excudebat Andreas Aperger.* 1619. Hoc Opus, in quo Medicinam a variis malignis objectionibus, impoſturis Agyrtarum & magicis præſtigiis tuetur, artique innocenti apologiam ſcribit, dicavit *Noſter Erneſto*, & *Ioanni Alberto*, Comitibus *de Oettingen*, patronis ſuis maximis. Vide FABRICII *Hiſtorie der Gelehrtheit, P. I. p.* 603.

V. *Medicina militaris, ſeu Libellus caſtrenſis &c. Gemaine Handſtücklein zur Kriegs-Artzney gehörig, mit wohlgegründeten Experimenten gezieret, und den gemeinen Soldaten, Ritter, und Knechten zum Nuzen an den Tag gegeben, in 8°. Augſpurg. Durch Andream Aperger.* 1620. Dicavit *Noſter* Ottoni Henrico FUGGERO, Baroni in *Kirchberg &c.* S. C. M. Tribuno militum. Rurſus prodiit Liber *Auguſtæ* 1626. teſte LIPENIO in *Biblioth. medic. p.* 266. KESTNERUS in *Biblioth. med. p.* 487. memorat editionem *Norimbergenſem*, anni 1667. monens, CONRINGIUM in *Introduct. ad Art. medic.* de hoc *Noſtri* Libello, *C. VII.* §. 13. perquam honorifice ſcribere: imo *C. XII.* §. 4. *eum parvum quidem, ſed elegantiſſimum* vocare. Ego vidi editionem *Norimbergenſem* in 12°. â *Jeremia Dümler* excuſam ſine nota anni, cuius ad calcem adjectum eſt

VI. *Conſilium, oder räthliches Gutachten, die jeztſchwebende und unter den Soldaten mehrertheils graſſirende Sucht* (Morbus erat *Hungaricus* dictus) *betreffend.* Datum eſt *Conſilium* iſtud anno 1620.

die

die 20. Novembris. Confer *Theophili* GEORGI *Bücher - Lexicon*, ubi huiusmodi meletema *Noſtri*, in *Batavam* adeò linguam verſum, anno 1719. *Amſtelodami* prodiiſſe monemur.

VII. *Pharmacopoeia Auguſtana*, cum *Præfatione* Noſtri, qui eam Senatui *Auguſtano* conſecravit. De præſtantia huius Operis ſuperius pag. 118. *Petrus* ECKOLTUS *Lindavienſis* teſtatus eſt. *Iac.* BRUCKERUS in *Miſcellaneis Hiſtor. crit. philoſ. litterar. p.* 499. ait: *Eam ab Adolpho* OCCONE *III. primum editam, a ſucceſſoribus vero, inprimis* magni nominis et experientiæ Medico Raymundo MINDERERO *emendatam et auctam, in plerisque S. R. I. locis, ditionibus, urbibusque, imo in exteris quoque regionibus pro norma rei pharmaceuticæ habitam & uſurpatam fuiſſe.*

VIII. *Epiſtola Medica*, quam exhibet *Ioannis* HORNUNGI ſupracitati *Ciſta medica, in qua Epiſtolæ clariſſimorum Germaniæ Medicorum aſſervantur.* 1625. *Norimbergæ, in* 4*to.*

RUMLERUS (*Ioann. Ulricus*)

De RUMLERO, cuius mentio ſuperius *p.* 96. facta eſt, hôc locô monenda ſunt ſequentia:

— Is *Auguſtæ* patre *Macario* natus, inclyti *Achillis Pirminii* GASSARI, itidem Medici *Auguſtani* ex filia nepos, exeunte ſæculo XVI. et XVII. ineunte floruit. *Eum valde præclara indole præditum, majorumque exemplis ad optima incitatum, ſuis præcipue ſumptibus in diverſis Germaniæ Italiæque Academiis rariſſima munificentia alebant Udalricus & Antonius, ſplendidiſſima illuſtriſſimæ proſapiæ* Fuggerinæ *lumina, & naufragantibus litteris fauſtiſſimi Caſtores, non natura quidem, ſed inuſitata*

ſitata eruditione, prudentia, et liberalitate gemini. Etenim RUMLERO (*uti aliis plurimis*) *non tantum vitæ neceſſaria, ſed etiam libros, ceteraque diſciplinarum inſtrumenta larga manu ſuppeditârunt... Sic jactis artium et medicinæ fundamentis ſolidioribus*, Florentiam *miſſus eſt, ampliſſimis commendatitiis inſtructus, quæ liberam illi praxis facultatem à SS^mo. Etruriæ Duce impetrarent. Nec fruſtra ſane, ut qui, præmiſſo examine, mox eam*, Adſiſtentis *titulo, in noſocomio S.* Mariæ novæ *obtinuerit. Spartam idcirco nactus ſibi videbatur, quam omni cura et induſtria ornaret: Quidquid enim notatu dignum quotidie occurriſſet, præter plurima alia à fautoribus et amicis communicata, futuris quondam uſibus adnotabat, laboribus quoque pharmaceuticis & chemicis operationibus, occaſione data, intentus. Accepta dein* Baſileæ, *manu Caſparis* Bauhini *ſuprema Laurea in patriam revocatus, & Jeremiæ* Martii, *poſt unum aut alterum, ſucceſſor nominatus à Senatu, plurimis annis noſodochii curam magna cum laude atque induſtria non minus, quam magno graviſſime ægrotantium levamento geſſit. Exſtitit apud Georg. Hier.* Velſchium, *famæ maximæ Medicum Auguſtanum, qui* Noſtri *ſuppellectilem librariam, poſt eius obitum, ſuam fecit, in huius rei memoriam integrum* Diarium *propria* Noſtri *manu ſcriptum, in quod tam nomina ægrotantium, quam affectuum ſpecies, & remediorum ſucceſſum ſingulis diebus referebat. Neque ſolum civibus in urbe, ſed et extra moenia nobilibus Viris, circumcirca accerſitus aut litteris conſultus, omnibus inſerviendo maxime ſatis fecit, Cl. Medico, Georg.* Laubio, *huic eum fortunæ, amica commendatione, paulatim admovente. Quin ab extrema Britannia SS^ma.* Anna *Regina, aliquot* Epiſtolis italice ſcriptis, *hoc eum hono-*

honore dignata eſt, ut integrum Pharmacothecium, medicamentis ſuæ valetudini convenientibus refertum, ab illo mitti ſibi poſtularet. Collegis præterea ſuis, quos plurimos doctiſſimosque habebat, prudentia, eruditione, & humanitate ſingulari adeo commendatus exſtitit, ut ſæpius Collegii medici Præſidem *lectum, adſcriptis in albo Medicorum nomini eius ſequentibus verſiculis, tanquam inſigni eloquio, condecorarint.*

Huic ſcopus unus erat, cunctis prodeſſe, nocere
Nemini, amare bonos, & tolerare malos.

Sic ultra tres & triginta annos patriæ inſerviens, anticipante nonnihil climacterico illo, quem Cæſar Auguſtus *apud* Tranquillum *ſenibus periculoſiſſimum pronunciavit, ex hydrope obiit lienis præcipue ſeditione excitato, non tamen omnino ignoto exitu, utpote quem, per adverſas ſtellarum errantium revolutiones ſibi comminatas, ex aſtrorum ſcientia, qua non vulgariter pollebat, diu ante præviderat.* Extant à *Noſtro*:

I. *Obſervationes medicæ;* quas habes in *Georg. Hieron.* VELSCHII *Sylloge Curationum &c.* in 4to. *Auguſtæ Vindel.* 1668.

II. *Miſcellanea Obſervat. Conſil. &* E*piſtol. medic.* quæ reperiuntur in VELSCHII *Conſiliorum medicinalium Centuriis IV. Ulmæ* in 4to. 1676.

III. *Schediaſmata varia epiſtolica;* Extant *ibidem.*

IV. *Collectanea & Experimenta*; quæ invenire eſt in VELSCHII *Exoticarum Curationum &c. Chiliadibus II. Ulmæ.* 1676. in 4to.

V. Diligentiæ *Noſtri* debentur *Marcelli Cumani Obſervationes medicæ*, quas, dum *Florentiæ* egit, ſibi oblatas ex Autographo deſcripſerat, dein vero VELSCHIUS ſuo ære, inter reliquos RUMLERI libros, coemptas in *Sylloge Curationum &c.* edidit.

Finis *Mantiſſæ.*

KIRCHERUS (*Conradus*)

Patria *Auguſtanus*, ſtudiis *Tubingæ* vacavit; ubi recitato Problemate hebraico (*Utrum inimicis maledicendum*) quantam linguæ ſacræ cognitionem ſibi comparâſſet, luculenter oſtendit: quando in ea Academia anno 1581. die 16. Auguſti abs *Samuele* HAILANDO, quartùm Decano, *Artium et Philoſophiæ Magiſter* renunciatus fuit (*a*).

Succedente tempore Eccleſiaſten egit *Donauwerdæ* (*b*) primo, deinde *Jaxtdorfii*.

Inter celebres *Philologos* collocat *Noſtrum* GUNDLINGIUS in *Hiſtorie der Gelehrtheit*. Claris *Lexicographis* annumerat FABRICIUS in *Hiſtorie der Gelehrtheit T. I. p.* 113. & *T. III. p.* 923. Exſtant ab eo:

I. *Concordantiæ veteris Teſtamenti græcæ, hebræis vocibus reſpondentes* πολύχρηστοι. in 4to. *Francofurti. Volumina II. Apud Claudium Marnium & Hæredes Ioannis Aubrii.* 1607. Opus vaſtum, eleganter excuſum: quod, ſeptennali labore a ſe confectum, Auctor *Senatui Auguſtano* conſecravit, *cuius munificentiam ac liberalitatem ab ineunte ætate in ſe exundantem* ſenſerat. Secutus eſt autem *Noſter* tum in ſcribendo *Opere* iſto exemplum *Xyſti* BETULEII (*c*); nam quemadmodum is *græcas Novi Teſtamenti Concordantias* condiderat, Senatuique patrio ſacraverat: ita & *Conradus* noſter *Veteris Teſtamenti Concordantias græco-hebraicas* collegit, et memorato *Senatui* dicandas exiſtimavit. Quare

(*a*) V. *Mart.* CRUSII *Annales*, *Dodec. III. p.* 774. & Eiusdem *Germano-Græciam*, *p.* 103. 104.

(*b*) V. *Ibidem*, in *Paralipomenis*, *p.* 75.

(*c*) BETULEIUM, & eius *Concordantias N. T.* laudavi in *Alphabeto V. Bibliothecæ Auguſtanæ*, *p.* 2. 16.

Digitized by Google

Quare ait: *Ex ingentibus laborum fluctibus eluctatus ad tutiſſimum patriæ portum appello, & ſacrum* Concordantiarum *iſtarum Theſaurum ... Dominationi Veſtræ humillime offero: & ſicut* Betuleius *p. m. Auguſtanæ Reipublicæ ſacrum eſſe voluit, quod indefeſſo ſtudio collegerat; ita veſtigiis* Cognati *iſtius mei inſiſtens ego, quidquid hoc eſt, eidem, patriæ ſcilicet ſuaviſſimæ, dicatum eſſe cupio ... Ex Muſæo Suevo - Werdano ...*

In egregio hoc Opere foras producendo *Conradum* noſtrum doctiſſimum, vir itidem doctiſſimus, *Godofredus* JUNGERMANNUS adjuvit; de quo *Noſter* in *præfatione* teſtatur: *Ubi calamus peccavit meus, egregiam in eo operam ...* JUNGERMANNUS (*d*), *ad prælum ſingula legendo repetens, me abſente præſtitit.* Inter Viros autem et Amicos eruditiſſimos, qui *Noſtro*, ut Opus hoc perficeret, piè juxta ac pertinaciter inſtiterunt, principem locum *David* HOESCHELIUS tenuit, *uſum eius in græcis etiam Patribus urgens ſubinde & commonſtrans.* Unde bene (meâ ſententiâ) conjicit *Petrus* BURMANNUS (*e*), de hoc Opere intelligendum eſſe HOESCHELIUM, quando is anno 1601. *Joſepho* SCALIGERO ſcripſit: *Amicus quidam meus deſcribit Indicem græcum veteris Teſtamenti, à ſe magno labore conſtructum. Ei vere biblico Theſauro typographum quæro, atque id negotii* BONGARSIO *dedi.*

(*d*) JUNGERMANNUS plura edidit, & *Correctoris* in officina *Wecheliana* munus obivit: ex qua ipſa KIRCHERI Concordantiæ prodiverunt, uti additum in fine *Inſigne* evincit.

(*e*) In *Sylloge Epiſtolarum à Viris illuſtribus ſcriptarum, T. II, p.* 354.

Præclare de hoc Opere judicavit *Auguſtinus* CALMETUS in *Bibliotheca ſacra* ſcribens: *Opus eſt utiliſſimum, non Scripturæ tantum lectioni inſerviens, ſed addiſcendo etiam, quam potiſſimum ſignificationem ſingulis hebræis vocibus Veteres græci Interpretes aſſignaverint; ſicut etiam legendis græcis Patribus plurimum confert. Cum autem Auctor non niſi græca Complutenſi editione in Opere adornando uſus fuerit, optandum fuiſſet, ut potius Romanam, Complutenſi ſine controverſia præſtantiorem, prætuliſſet. Prodiit iterum Opus illud duobus Voluminibus, in folio, Antverpiæ et Ultrajecti.* 1718. *cui editioni Abrahamus* TROMMIUS *præſidens ordinem, quem Kircherus ſecutus eſt, immutavit. Ille enim hebræum alphabetum præſtituit: Trommius græcum maluit &c. &c.* ACTA *Eruditor. Lipſienſium, ad annum* 1719. *p.* 49. poſt commemoratas TROMMII *Concordantias* dicunt: *Equidem jam ante ipſum . . . Conrad.* KIRCHERUS *ſimili opera defunctus erat, &* Concordantias *in LXX. Interpretum Verſionem, quas ſua laude Trommius mactat, ſatis diligenter ſcriptas ediderat; ſed præterquam quod ille liber, rarior factus, in tabernis librariis haud amplius compareret &c. &c.* Confer *Le* LONG *Bibliothecam ſacram. Richard* SIMON *Biblioth. choiſie T. I. p.* 256. VOGT *Catalog. Libror. rarior. p.* 336.

II. *De Uſu Concordantiarum græcarum in Theologia.* in 4to. *Wittebergæ.* 1622. V. LIPENII *Biblioth. Theolog.* & *Allgemeines hiſtoriſches Lexicon.*

WOLFIUS in *Supellect. epiſt. & litter. p.* 34. indicans *Volumen* 272. *Epiſtolarum* ad *Balthaſarem* MEISNERUM (*f*) ſcriptarum, addit ſequentia: *Sunt in*

(*f*) Fuit is Profeſſor *Wittebergenſis*, de quo videri poterit *Freherus* in *Theatro Eruditorum.* WITTE in *Memoriis &c.* ROLLIUS *de Profeſſoribus &c.*

in his paucæ quædam ad alios ſcriptæ. Præ reliquis eminent Io. Andreæ, *Chriſtoph.* Arnoldus.. *Conradus* KIRCHERUS.

MAYR (*Georgius*) Soc. Jeſu.

Dum *Georgium* MAYRUM (*) nomino, Virum nomino multigena eruditione præditum, plurimarum linguarum (græcæ præſertim ac hebraicæ) longe peritiſſimum; de quo ſi plura in medium attulero, eò majorem abs lectoribus meis gratiam initurum me confido: quo pauciora, hactenus de illo memoriæ prodita, invenire eſt.

Protulit *Georgium* noſtrum, & Societati Jeſu tum in Germania naſcenti, & Orbi litterato perutilem futurum, *Raina* urbs *Bavariæ* ad *Lycum* amnem ſita, anno circiter MDLXIV. Is, cum puer adhucdum in triviali ſchola eo usque profeciſſet, ut characteres *Tituli*, imagini Chriſti e cruce ſuſpenſi ſuperſcribi ſolitos, latinos eſſe cognoſceret: neſciret tamen, quæ qualesque eſſent reliquæ litterarum notæ; percontatus eſt â ludimagiſtro, quid notæ illæ ſibi vellent? Repoſuit hic: litteras eſſe idiomatis, quo tum gens *Græcorum* extera, tum *Hebræorum*, ex qua multos per viciniam oberrare noverat *Noſter*, uterentur: de reliquo his litterarum ductibus nil indicari aliud, quam quod *Latini* ſuo charactere ſignarent. Senſit

(*) Bene diſtingui â *Noſtro* debet alius *Georgius* MAYER *Monacenſis*, artium liberalium Magiſter, & Parochus *Tegernſeenſis*: a quo vidi. I. *Gemeine Beichtform.. ſampt andern kleinen, ſchönen und geiſtlichen Tractätlin.* in 8o. *Tegernſee.* 1577. *II. Ein kurzer, doch nuzlicher Tractat von den dreyen Haupttugenden, als Glaub, Hofnung und Liebe &c.* in 4to. *Ibidem.* 1578. quem dicavit *Erneſto* ê Ducibus *Bavariæ*, Epiſcopo *Hildeſhemenſi* & *Friſingenſi*, Patrono ſuo.

ſit mox puer vehementi ſe deſiderio accenſum, linguam non *latinam* duntaxat, ſed et *græcam hebraicam*que addiſcendi. Atque ocyus triplici huic ſtudio, quantum per ætatem magiſtrosque licuit, totum ſe improba diligentia impendit (*a*). Scilicet â parvis ſæpe initiis ad maxima itur.

Sic dum ad ſtudia impigrè incumbit, labentibûs annîs in Academiam *Ingolſtadienſem* defertur; ubi annô MDLXXXIII. novendecim annorum juvenis, poſt abſolutam *Dialecticam*, Societati Jeſu ſeſe addixit. Rem ſequentibus verbis narrant *Annales* eiusdem *Academiæ*, *T. II. p.* 82. „ Dedit *Academia* noſtra eodem anno (1583) „ *Ordini Jeſuitarum* egregium tyronem *Georgium* „ *Mayerum* ... jam tum trium linguarum peri- „ tum, *latinæ* ſcilicet, *græcæ*, & *hebraicæ*, qua- „ rum ſpecimina prorſus præclara exhibuit in O- „ puſculis græcis & hebraicis â ſe editis“.

Jactîs itaque in *Bavariæ* urbe, cui *Landsberga* nomen, vitæ religioſæ pro *Societatis* more fundamentis, ſtudia ſua, linguarum præcipue veterum & externarum, reſumere minime intermiſit multo majori, quam antea, tum opportunitate tum progreſſu: adeo ut, poſtquam ſacerdotio initiatus fuerat, tribúsque ſolennibus votis ſeſe obſtrinxerat, denuo in Academiam *Ingolſtadienſem* veniens, anno MDXCIII. græcæ. ac hebraicæ linguæ elementorum tradendorum munus in illa *Univerſitate* acceperit; in quo bene gerendo eam operam diligentiamque poſuit, ut *Annales* prædictæ *Academiæ T. II. p.* 131. & 133. ſequens ei elogium ſcribere non dubitârint: *Referunt Acta Univerſita-*

(*a*) Hæc iisdem ferme verbis teſtatur *Ignatius* AGRICOLA in *Hiſtor. Soc. Jeſu*, *Provinciæ German. ſuper. T. II. p.* 262,

verſitatis ad hunc annum, *hebraicarum litterarum cognitionem, quæ ab aliquot annis fere neglecta jacuerat ob Auditorum paucitatem, magna cepiſſe incrementa; cum duodeni ex ſæcularibus Theologiæ Auditoribus magno ardore ad illud ſtudii genus animum applicarent, ac brevi tempore proceſſus facerent non pœnitendos, operâ maxime* Georgii MAYERI, *qui eam Lectionem hoc anno pro* Cornelio Adriani *ſuſcepit.*

Fluebat annus MDXCVI. cum *Noſter*, neſcio qua de cauſſa, aut quorum negotiorum ergò, *Romam* (*b*) ivit (ſucceſſorem in docendi munere nactus *Adamum* (*c*) TANNERUM) niſi forte hoc eo conſilio factum ſit, ut in hac terrarum orbis dominatrice urbe, ad quam omnium regnorum incolæ confluunt, haberet, ut exterarum linguarum ampliorem ſibi cognitionem pararet, partámque in emolumentum ſanctæ Religionis effunderet: de qua re videri poterit infrà in *Catalogo Opp. Noſtri N°. VII.*

Quamdiu *Romæ* ſubſtiterit, dicere non habeo. In *Germaniam* autem reverſus, annô MDXCVIII. ab illuſtriſſima *Fuggerorum* gente in Concionatorem ad *S. Mauritii* in urbe *Auguſtana*, & primus quidem ex *Sociis*, adoptatus fuit: ubi poſthac ad vitæ ſuæ finem usque per annos *viginti quatuor* manſit, dignus ob id, cui in hac *Bibliotheca* locum dem.

In ea ſtatione poſitus *Noſter*, totum ſe tum *ſacris*, tum *litterariis* occupationibus impendit. De *ſacris* — Rei catholicæ ſtabiliendæ multis mo- dis,

I 4

(*b*) *V. Annales Academ. Ingolſtadienſis*, à *I. N.* MEDERER editos, *T. II. p.* 146.

(*c*) De TANNERO vide ALLEGAMBIUM, SOTVELLUM, *Annales* mox citatos, WITTE *Diarium.*

dis, præcipue apud *Bavariæ* Duces & Antiſtitem Auguſtanum Henricum *à Knöringen*, inſigniter ſtuduit: præſtanti, quâ diverſorum idiomatum genera complexus fuerat, memoriâ ſuffultus adverſarios ſolide revicit: xenodochia pauperum, contubernia militum, reorum ergaſtula lubentiſſime perluſtravit: nec unquam plus operæ Procerum amplitudini, quam Popelli tenuitati tribuit. Sed iſta prolixius expoſita habes apud ALLEGAMBIUM (*d*) & *Ignatium* AGRICOLAM (*e*) ex quibus hæc delibâſſe ſufficiat.

De *litterariis* — Intermedio tempore amata ſtudia, linguarum maxime exterarum, proſequebatur ſtrenue: qua in re pluribus aptiſſimis circumſtantiis adjuvari ſe ſenſerat. Prima fuit binorum Virorum, *Societati* ſumma poteſtate præfectorum, *Claudii* videlicet AQUAVIVÆ & *Mutii* VITELLESCI æqua voluntas: AQUAVIVÆ quidem, *qui cum eminentioribus ſcientiis ſingularem amorem cognitionemque græcæ ac hebraicæ linguarum conjunxerat: & illas litteras non ſolum ipſe in graviſſima ætate, occupationum autem mole propemodum infinita, tanquam veteres ac jucundos amicos ſæpiſſime ac tantum non quotidie inviſere ſolitus fuerat: ſed etiam easdem ſuis pro Inſtituti ratione et B. Ignatii decreto, plurimum commendare ſtuduerat* (*f*): VITELLESCI vero, quem *Noſter* ſic affari (g) minime dubitavit: *Inter communia vota, quibus R. T. Paternitati animi corporisque vires quam maxime diutur-*

(*d*) In *Biblioth Script. Soc. Jeſu.*

(*e*) In *Hiſtor. Soc. Jeſu*, *Provinciæ German. ſuper. T. II. p.* 262. 263. &. *T. IV. p.* 329.

(*f*) Hæc teſtatur *Noſter* in *Dedicatoria* ad ſuum *Thomam à Kemptis.*

(g) In *Dedicatoria* ad *Vitam S. Ignatii* 1616. editam.

diuturnas ad Societatem .. recte adminiſtrandam omnes illius filii a Deo O. M. enixe flagitamus, illud haud poſtremum eſt, ut in hac religioſa familia, cum aliis ſcientiis, linguarum quoque principum ſtudia in dies magis, ipſius conſilio & auctoritate, ubique efflore-ſcant, atque ab ipſius deceſſore (Aquaviva) *in hunc finem ſapienter cogitata, imo non infeliciter coepta ad optatum exitum perduci poſſint.* Accedebat *Gregorii* ROSEFFII Rectoris primum Collegii *Auguſtani*, poſtea totius Provinciæ Præſidis nutus: Sociorumque, PONTANI maxime & RADERI (*h*) tum in Collegio *Auguſtano* manentium, et ſingulari græcæ litteraturæ laude florentium exemplum. Mire hæc omnia ſecundabat Viri cuiusdam ex ordine eccleſiaſtico primarii pia liberalitas: cuius, etſi nomen, fors ipſomet jubente, reticuit *Noſter*, at munificentiam ſilendam haud duxit; etenim in *Præfatione, trigeſima Aprilis*, anno 1614. data, ad *Faſciculum Litaniarum græco - latinum, typis S. Nicolai* a ſe editum ſequentia monet: *Quam opellam à me haud invito ſuſceptam mox inſigni ſua liberalitate eccleſiaſtici ordinis Vir quidam primarius Auguſtæ complexus eſt. Is enim cum intellexiſſet, huius Libelli pretium, ſi e noſtratibus typographis quiſpiam novos utriusque linguæ typos in hanc editionem ſuis ſumptibus comparaturus eſſet, multo maius futurum, quam ut a tenuioris fortunæ adoleſcentibus commode emeretur*, hoſce novos *ipſe* typos non exigua impenſa curatos, *pro ſuo in pietatis ac litterarum ſtudia amore, tam huius, quam aliorum Libellorum latino - græcorum editioni poſthac (ut ſperandum eſt) inſtituendæ benigne donavit.* Hæc de ſtudiorum adjumentis, quæ *Noſtro* adfuerunt.

(*h*) ROSEFFII, PONTANI, RADERI laudes accurate perſcripſi in *Alphabeto V. Biblioth. Auguſtan.*

Liceat mihi hôc locô digredi pauliſper, & de *Inſigni* atque *Typis S. Nicolai* paulo fuſius dicere. I°. *Inſigne S. Nicolai* ſaltem jam anno 1613. exſtitiſſe, ex *Catalogo Opp.* noſtri *Georgii*, inferius exhibendo, *N°. III.* diſcimus. Exhibet autem *Inſigne* hoc effigiem *S. Nicolai* epiſcopi, cui circumſcriptum lemma: *Beneficentiæ et Communitatis nolite oblivisci*, legere eſt. 2°. *Typis S. Nicolai* procuſa dicuntur plura opuſcula, inferius recenſenda, *No.II. III. VII. VIII. IX.* 3°. Qua ratione *Inſigne* iſtud typis *novis*, latinis & græcis, â quodam Viro primario eccleſiaſtici ordinis auctum fuerit, paulo ante moniti fuimus — Hinc amplecti nequeo ſententiam *Georg. Guil.* ZAPFII, memoratum *Faſciculum Litaniarum* inter fœtus typographiæ *Velſerianæ* accenſentem, & hoc modo *Inſigne pinûs* cum *Inſigni S. Nicolai* miſcentem. Interim negare nolim, Virum illum eccleſiaſticum primarium, *Velſeri* aliorumque civium *Auguſtanorum* laudatiſſimo exemplo, ad ſimile quid audendum excitatum fuiſſe: nec etiam inficias iverim, *typos illos novos, â Viro illo primario non exigua impenſa curatos*, priſtinam mutâſſe ſedem, atque ê typographéo *Velſeriano*, cuius inſtrumenta et utenſilia, rebus VELSERI plurimum perturbatis, morteque eius paulo poſt ſecuta, fortaſſis jam diſtrahi cœperant atque diſpergi, ad *Inſigne S. Nicolai* migraviſſe. Plura tempus docebit.

Iam ad *Noſtrum* revertor — Pervaſit eruditionis *Georgii* fama omnem Germaniam; unde factum, ut paſſim ventitarent Epiſtolæ etiam â Principibus Viris, quibus varias quæſtiones ac dubia proponerent: et verò etiam reſponſa, quæ petierant, & dubiorum ſolutiones reciperent: præcipue

pue in ſacris litteris ad verbum interpretandis eius conſilia exquirebantur; adeo ut cum doctiſſimis viris, atque etiam cum *Roberto* BELLARMINO, frequens ei fuerit litterarum commercium (*i*). In hanc rem procul omni dubio plura invenire eſt in *Epiſtolis* doctiſſimi *Cardinalis* iſtius, quas *Iacobus* FULIGATTUS in unum volumen collectas *Romæ* 1650. apud *Manelphum* in 12°. vulgavit: ego autem, dum hæc ſcribo, *Auguſtæ* expiſcari non potui.

Hæc inter *Georgius*, ſtudiis jugiter intentus, *Novum Teſtamentum* noviter *græce* convertit, quod moriens *prælo paratum probatúmque reliquit*, teſte ALLEGAMBIO in *Biblioth. Script. Soc. Jeſu. p.* 551. Similiter *Martyrologium Romanum* in *eandem* linguam traduxit, teſtante SOTVELLO in *Biblioth. Script. Soc. Jeſu*, *pag.* 292. Inde vero ad maiora progreſſus, mox dictum ſanctum *Teſtamentum* ex latino in hebræum vertit, quaſi colophonem editis à ſe lucubrationibus additurus: quod magni laboris nec minoris momenti Opus ut ipſe accurate ſimul ac collato cum eruditis, qui in Urbe ex omni litteratura, omnique gente, ac tempore ſunt perquam multi, conſilio novis curis elimandum reſumeret, viſum eſt Moderatoribus operæ pretium, *Romam* evocare *Georgium*. Ivit is, ſed brevi, poſtquam advenit, in *Collegio germanico* non abſque eruditorum luctu, rebus humanis valedicere coactus eſt, improbo ac inexorabili fato iſtos tres ingenii partus orbi litterato invidente (*k*).

Obiit

(*i*) ALLEGAMBIUS, & *Hiſtoria Soc. Jeſu. ll. cc.*
(*k*) Iidem *ll. cc.*

Obiit autem anno à reparata ſalute MDCXXIII. die 25. Auguſti, à natali ſuo LVIII. à vitæ religioſæ exordio XL.

Opera *Noſtri*, typis procuſa quæ habentur, ſunt ſequentia

I. *Evangelia & Epiſtolæ, quæ dominicis & feſtis diebus totius anni in Eccleſia legi ſolent, in* 12°. *Ingolſtadii, typis Adami Sartorii*, græco-latinè. 1610. Edidiſſe *Noſtrum* hæc, utut ſuppreſſo nomine, teſtatur ALLEGAMBE in *Biblioth. Soc. Jeſu. p.* 157.

II. *Officium B. V. Mariæ latino-græcum in* 12°. *c. fig. ligno inciſis, & privilegio cæſareo*; rubronigrè. Acceſſerunt *Orationes* aliæ plurimæ. *Auguſtæ Vindelicorum, ad inſigne pinûs, imprimebat David Francus*, 1612. Præmittitur effigies *B. V. Mariæ* à Wolfg. *Kilian* nitidiſſime ſculpta. In *præfatione Noſter* ait: *Laude dignam operam . . Fridericus* MORELLUS . . . *hoc in genere præſtitit, dum bene magnam* Mariani *iſtius* Officii *partem e latino in græcum ſermonem convertit. Atque utinam! huius pii libelli græco-latina extarent exemplaria. Verum illa aut non amplius venalia reperiuntur: aut quæ extant, ab illa correcta et de novo approbata latini* Officii *editione differunt, quam Clemens VIII. in poſterum uſurpandam præſcripſit. Hac igitur qualiquali opera noſtra effectum eſt, ut (facultate prius Romæ impetrata) hoc* B. Virginis Officium, *utraque lingua conſcriptum, nova iſthac forma ederetur.*

De hac editione meminerunt *I. G.* SCHELHORNIUS in *Beyträgen zur Erlauterung der Geſchichte. IV. St. p.* 206. & ex hoc *G. G.* ZAPF in *Buchdrucker-Geſchichte von Augſpurg. T. I. p.* 215. 216. Ego vidi eam in Bibliotheca *San-Udalricana*,

cana, uti & *alteram*, rubro - nigram itidem, cum epigraphe: *Auguſtæ Vindel. Excudebat Chriſtophorus Mangius, typis S. Nicolai.* 1615.

III. *Cantica Natalitia catholica, germanice, græce, latine. in* 8°. *Auguſtæ Vindelicorum. Ad Inſigne S. Nicolai.* 1613.

Huius Libelli Auctorem non alium, quam *Noſtrum*, eſſe, mihi locus, ætas, inſigne ipſum perſuadent penitus: tum etiam verba Præfationis, in qua dicitur: *Unà cum latinis ac germanicis Canticis, quæ Chriſto nato quotannis magno pietatis ſenſu accinere ſoletis*, græca *iisdem melodiis decantanda . . . nunc accipite, accepturi quoque alio tempore* hebraica *jam conſcripta; ubi eorum typorum copia comparata fuerit.* Et revera quinquennio poſt

IV. *Cantica paſchalia quadrilinguia*, (nimirum latinè, græcè, hebraicè, germanicè) *pietate doctrinaque florenti Collegio S. Hieronymi, in Academia Dillingana, dedicata, in* 8°. *Auguſtæ Vindel.* 1618. prodiverunt in lucem.

V. *Petri* CANISII *Catechiſmus græco - latinus*, cuius plures editiones factæ ſunt: quas omnes recenſere nec queam, nec velim.

Subſequentibus annis eundem *Cathechiſmum* etiam *hebraica Verſione* addita vulgavit: de qua editione dicere pergo.

VI. *Petri* CANISII *S. J. Theologi Catechiſmus catholicus cum interpretatione græca & hebraica, editus opera Georg. Mayr. in* 8°. *Dillingæ. Formis academicis. Apud Udalricum Rem.* 1621.

Sacravit *pietate doctrinaque præſtantibus Iuvenibus, in Societatis Jeſu Academiis, ſanctæ linguæ ſtudioſis*, dicens: *Quantopere multis jam annis mul-*

ti

ti iidemque non vulgaris eruditionis Viri, trium principum linguarum amantes, deſiderarint, ut P. Petri Caniſii .. Catechiſmus *tot ante variarum nationum linguis .. evulgatus* græco *quoque et* hebraico *idiomate quaſi publice loqueretur, pluribus verbis hoc loco recenſere ſupervacaneum fuerit. Quam quidem duplicis iſtius interpretationis opellam*, pro veteri meo in utramque hanc linguam ſtudio *jam olim haud ægre mihi imponi paſſus ſum, verùm non pari eventu. Græca enim* Catechiſmi Caniſiani *verſio mox typos græcos paratos invenit, et annis jam non paucis diſcipulorum noſtrorum manibus teritur. Hebraicæ vero interpretationis editionem non ſolum typorum hebraicorum .. ſed etiam plurium vocum, quas ſacra hebraica V. T. volumina non ſuppetunt, inopia impedivit. Verum poſtquam piorum & communis boni amantium Virorum ſubſidio typi ipſius linguæ non exiguis ſumptibus comparati erant, paulo poſt hæc altera quoque remora tolli coepta eſt. Eruditorum enim hortatu eæ, quæ deſiderabantur, voces aut ſecundum analogiam e propriis radicibus hebraicis formatæ ac novatæ ſunt (Multæ enim res Chriſtianorum, ut veteribus Hebræis ignotæ erant, ita etiam nominibus caruerunt) aut ex probato uſu Rabbinorum petitæ, aut denique à Syris Chriſtianis, quorum lingua, Hebræam noſtram, matrem ſuam agnoſcit, acceptæ ſunt, non tamen abſque aliorum huius linguæ peritorum conſilio & approbatione...*

VII. *Idem Catechiſmus imaginibus expreſſus, quas* (ut ALLEGAMBIUS *l. c.* teſtatur) *etiam addidit Catechiſmo* italico *Rob.* Bellarmini, & hiſpanico *Hieronymi* Ripaldæ: *quin et* gallico, & anglico, & germanico, ſlavonico, bohemico, & *aliis; ne cui genti deeſſet.* In eandem rem ſequentia *Hiſtoria*

Soc.

Soc. Jeſu, provinc. German. ſuper. T. II. p. 262. narrat: *Stupenda prorſus induſtria Compendium doctrinæ chriſtianæ à Petro* Caniſio *editum in alias linguas transferre eſt aggreſſus, perfecitque tam feliciter, ut jam vix natio ſit ſub ſole, quæ non percipiat linguâ ſuâ loquentem magnalia Religionis catholicæ. Nec enim ſoli exinde* Germani & Latini, *ſed etiam* Græci *ac* Hebræi, Itali, Galli, Hiſpani, Luſitani, Angli, Poloni, Bohemi, Slavi, *ipſi etiam* Sinæ *ex unius* Georgii *interpretis calamo opportunitatem nacti ſunt, orthodoxum dogma à* Caniſio *in quinque collectum capita, ſuo quisque legendi ſermone vernaculo.*

Huius *Catechiſmi imaginibus expreſſi*, addito *textu græco*, exemplar vidi *Auguſtæ*, apud Chriſtophorum *Mangum*, anno 1613 impreſſum, cum *Inſigni S. Nicolai. Venduntur à Ioanne Krugero Bibliopola.* in 8°. Præcedit Epiſtola *Noſtri* græca, in qua (ut ſtatim latino ſermone utar) præter alia monet: *Poſtquam Petri Caniſii Catechiſmum ante multum temporis Superiorum juſſu in græcum tranſtuli, brevi intellexi, hunc laborem meum, etſi exiguum, fructu neutiquam caruiſſe; nam Libellus iſte non ſolum ad privatam adoleſcentûm, ſed etiam ad publicam diſcipulorum in ſcholis noſtris utilitatem conduxit. . . . Nunc autem novam et priori majorem, diſcipulis noſtris gratificandi, occaſionem mihi capere videor: cum noſtratium Dominorum pia liberalitate*, imagines *ex buxo Indica confectæ fuerint, quibus orthodoxæ fidei noſtræ capita non inepte exprimuntur. Quod ipſum eo gratius accidit, quò pluribus linguis aptari hæ* icones *poſſint.* Subdit: „ *Catechiſmum Caniſii*, ſic ornatum, *latine* „ jam et *germanice* non ſine fructu vulgatum fuiſſe: „ nunc quod his duabus linguis præſtitiſſet, ſe græ-

„ cæ

„ cæ quoque illuſtri linguæ præſtare ... ſperare-
„ que, fore: ut non ſolum aliis ubique diſper-
„ ſis, ſed etiam in ipſa *Græcia* ad *Societatis* ſcho-
„ las modò ventitantibus diſcipulis editio hæc,
„ imaginibus exornata, peraccepta futura ſit". Vidi etiam ſimilem editionem addito *textu gallico P. Io. Bapt.* ROMAIN, hoc titulo: *Le Catechiſme de Pierre Caniſius .. exprimé par images. Augsbourg. Avec Privilege de l' Empereur.* 1614. *in* 8°. In fine habetur *Inſigne S. Nicolai. Imprimé par Chriſtophle Mang. Les Exemplaires ſe vendent ... chez Iean Chardon Savoyart de nation &c.*

VIII. *Faſciculus ſacrarum Litaniarum ex SS. Scripturis & Patribus, Romæ approbatus, nunc primum in pium uſum ſtudioſæ Iuventutis græce redditus. in* 12°. *Auguſtæ Vindelicorum.* 1614. In fine: *Auguſtæ Vindelicorum. Excudebat Chriſtophorus Mangius typis S. Nicolai. Venditur ibidem à Ioanne Krugero Bibliopola.*

Confer *G. G.* ZAPF *Buchdruckergeſchichte von Augſpurg, T. I. p.* 218.

IX. *Thomas à* KEMPIS *de Imitatione Chriſti latino-græcus. in* 12°. *Auguſtæ Vindelicorum. Typis S. Nicolai.* 1615. In fine legitur: *Auguſtæ Vindel. Excudebat Chriſtophorus Mangius typis S. Nicolai.*

Dicavit *Noſter* hanc ſuam opellam *Claudio* AQUAVIVÆ S. J. Præpoſito generali, inter alia monens: mirum videri poſſe, quod *pius Auctor, cùm in tot támque variarum nationum, ubique extra Europam ſparſarum, linguas translatus fuerit, apud ſolos Græcos hactenus tacuerit. Quare ſe non tam ſuo amore, quo hanc linguam à puero ſe proſecutum eſſe non invitus fateretur, quam, Patrum ſuorum hortatu, eum interpretandum ſuſcepiſſe.*

X. *In-*

X. *Inſtitutiones Linguæ hebraicæ, in* 8°. *Auguſtæ, typis Chriſtophori Mangii* 1616. *Ingolſtadii* 1624. in 12°. *Lugduni.* 1659. in 8°. (Ita ALLEGAMBE, & BAILLET mox de novo citandi) *Norimbergæ.* 1695. in 8°. (Ita GEORGII *Bücherlexicon*) LIPENIUS in *Biblioth. philoſ. p.* 408. recenſet Editiones ſequentes; *Geneveniſem* in 8°. 1623. *Lugdunenſ. Sequan.* in 8°. 1622. 1652. 1959. quæ poſtrema eadem eſſe videtur cum paullo ſuperius indicatâ.

Has *Inſtitutiones valde laudatas fuiſſe*, affirmat ALLEGAMBIUS *l. c.* & *Adrianus* BAILLETUS in Libro: *Iugemens des Savans T. II. P. III. p.* 205. de iisdem ſequens judicium ferre non dubitavit: *La Grammaire hebraique du P.* Mayr (*a*) *n' a pas été moins éſtimée que celle du Cardinal Bellarmin: et il paroit, qu' elle a été d' aſſez grand uſage par le nombre de ſes editions.* Hoc ipſum Opus fuſius deſcribendum ſibi quoque duxit *Auguſtinus* CALMETUS in *Bibliotheca ſacra*, *P. III.* ubi, poſtquam de BELLARMINI *Inſtitut. ling. ſanct.* egerat, addit: *Inſtitutiones etiam refert Opus* Georg. Mayeri *ſæpius & variis in locis recuſum, nonò ac poſtremo* (*b*) *Tubingæ.* 1693. *in* 8°. *In ſex partes diſtributum exhibet, in prima rationem legendi & pronuntiandi Hebræum, in ſecunda agit de nomine, in tertia de verbo, in quarta de dictione, in quinta de ſyntaxi, in ſexta de poëſi Hebræorum. In calcè legitur*

(*a*) Gallica hæc latinè ſic converti poſſent: *Haud minoris, quam Grammatica hebraica a Cardinale Bellarmino vulgata, æſtimata fuit Grammatica P. Mayr: et ex editionum numero patet, illam magno uſui fuiſſe.*

(*b*) Confer ſuperius dicta: et ex his corrige, quæ perperam narrat CALMETUS.

gitur exercitatio grammaticalis in Jonam , vel ſaltem id præfert editio Lugdunenſis anni 1622. *Vir erat Jeſuita , & florebat anno* 1622. *Hôc enim data eſt Epiſtola eius dedicatoria ad Bellarminum Cardinalem.* Confer LE LONG *Biblioth. ſacr.* quem , dum hæc ſcribo , ut ad manus haberem , fortuna negavit.

XI. *Vita S. Ignatii S. J. Fundatoris latinogræca , ex hiſpanica , quam R. P. Caſpar Quartemont eiusd. Societ. latinè reddidit. Interprete Georg. Mayr. in* 12°. *Auguſtæ Vindel.* 1616. In fine legere eſt : *Apud Chriſtophorum Mangium.* Præfigitur Effigies *S. Ignatii* à *Wolfgango Kilian* ſculpta.

Dicavit *Noſter* Mutio *Vitelleſco* S. J. Præpoſito generali.

XII. *Officium Angeli Cuſtodis Pauli V. P. M. auctoritate publicatum : in gratiam vero Congregationum B. Virginis Mariæ nunc primum latine ſimul ac græce editum operâ Georgii Mayr. in* 12°. *Antverpiæ. Apud Heredes Mart. Nutii & Ioann. Meurſium.* 1617.

XIII. *Officium Corporis Chriſti , de Feſto & per Octavam , latine & græce editum , ac Fraternitati euchariſticæ Auguſtanæ dedicatum.* in 12°. rubronigre. *Auguſtæ Vindel.* 1618. *Ibidem* 1649. in 12°.

In *dedicatione* laudat *Noſter* Marcum FUGGERUM , *cuius ſingulari pietatis ardore Fraternitas hæc, priorum temporum injuria obſcurata, priſtino ſplendori reſtituta fuit* : monetque , Libellum *nonnullorum, qui huic laudatiſſimo cœtui inſcripti erant , conſilio ac ſumptu primùm prodire.*

In fine addidit *Litanias de V. Sacramento Euchariſtiæ* & *Sequentiam S. Thomæ* : Lauda Sion. *græco - latine.*

XVI.

XIV. *Vita S. Ignatii centum imaginibus expreſſa*, quam (teſtante ALLEGAMBIO *l. c.*) nomine *Auguſtani Collegii* sereniſſimo *Bavariæ* Duci dedicavit. *Auguſtæ*. 1622.

Noſtri memoriam etiam agunt KOENIG in *Biblioth. vet. & nov.* WITTE in *Diar. biograph.* & JOECHERN in *Gelehrten - Lexicon.*

MOIBANUS (*Ioannes*)

MOIBANUM Virorum doctiſſimorum amicitiæ et elogia omnino dignum reddunt, ut eius memoria in hac *Bibliotheca* cum laude agatur. Quod dum facere paro, ducem aptiſſimum ſequi placet *Ioannem* CRATONEM *Vratislavienſem* Medicum, qui *Noſtri*, quippe amici ſui ſingularis, Vitam *Conrado* GESNERO Medico & Philoſopho eximio id petenti, non ſine maximo doloris ſenſu, deſcripſit, narrationem ſuam ſequenti *Virgilii* verſu orſus:

Infandum, Geſnere! jubes renovare dolorem.

Patrem habuit *Noſter Ambroſium*, SS. Theologiæ Doctorem, in *Wittebergenſi* Academia optimarum artium Profeſſorem, poſtea Paſtorem *Vratislavienſem* (*a*): matrem *Annam* ex antiqua & laudabili *Bonicorum* familia. His parentibus ad diem 3. Kalend. Martii, anni MDXXVII. procreato *Ioanni* noſtro tanta adfuit excellentia ingenii, ut valeret, ubi hoc vel mediocriter intenderet: atque ex ſe & naturâ ſuâ non modo plurimarum rerum cognitionis capax eſſet, verum etiam inveniendo ſagaciſſimus. Erat illi inſuper ea mentis felicitas, ut & in exquirendis rebus plurimum

 alere-

(*a*) De *Ambroſio* MOIBANO videri poterit *Melch.* ADAMUS in *Vit. Theolog.* PANTKE *de Paſtoribus Vratiſlavienſibus.*

aleretur : & agitandis magna cum induſtria oblectaretur. Hinc minime mirum videri debet, eum temporis lapſu Virum, abundanti doctrina excultum, inque artibus optimis, litteris & linguis verſatiſſimum ac exercitatiſſimum evaſiſſe.

In prima pueritia *hebraicas* litteras â patre didicit: in publica autem ſchola â *M. Andrea* WINGLERO Ludimoderatore veteri et optimo, atque â *M. Balthaſare* NEANDRO in *latinis* litteris et primarum artium ſtudiis eruditus eſt. Domi quoque præclaros magiſtros habuit primum quidem *Antonium* CARCHESIUM Virum in græcis & latinis litteris ſummum, judicio politiſſimo præditum, cuius nominis ſplendor, cum propter Juris ſcientiam eximiam *cæſareus* factus ſit *Conſiliarius*, in ſummorum Regum ac Principum aulis innotuit: deinde *Hieremiam* VENETUM, cuius ingenium excellens, doctrinæ eruditio, judicii acrimonia magno Reipublicæ *Vratislavienſi* tum ornamento, tum in judiciis publicis adjumento fuit. Hi eum in *græcis* litteris & arte *poetica* exercebant. VENETUS etiam in *Muſica* & *Arithmetica* ita inſtituit, ut per omnem ætatem primæ informationis vis enituerit.

Cùm vero ad γραφικὴν ſingulari naturæ impetu raperetur, non ſolum ſtudioſe imitatus eſt bonitatem manûs *M. Boni* ROSLERI Scriptoris optimi, & ad ſimilitudinem literæ eius prope acceſſit; ſed etiam imagines atque *picturas* exprimere conatus eſt. In iſta vero arte quantum, nullo unquam magiſtro uſus, naturæ vi atque incitatione profecerit, effigies præſtantiſſimorum hominum, quas ille pictas reliquit, teſtantur. Certe *Ioannes* CRATO, cuius verbis ipſiſſimis in hac narratione fere omni utor, in ſuo Muſæo tum *Ioannis*

nis Baptiſtæ MONTANI Medici celeberrimi (*b*) tum *Ioannis Baptiſtæ* HAINZELII (*c*) Conſulis Auguſtani imagines à *Noſtro* depictas adſervavit. Idemque CRATO ſubdit: *Meam etiam effigiem non ſolum artificioſiſſimè coloribus pinxit* (MOIBANUS videlicet) *verum etiam egregiè ſculptam non tam meo merito vel rogatu, quam ſuæ erga me voluntatis amiciſſima propenſione expreſſit.*

Hanc autem erga me illius affectionem amantiſſimam inde ſumpſiſſe initium arbitror: Quod cum adoleſcens ex Academia in patriam ante viginti duos annos reverſus eſſem, nec ille domeſticos præceptores haberet, rogatus a patre eius Ambroſio, cui nihil denegare poteram, aliquot menſibus illi, atque Georgio LAUREAE, *uſum præceptorum Dialectices & Græcæ linguæ in paternis meis ædibus, quanta maxima poteram diligentia, oſtenderim: atque ita illorum ſtudia adjuverim, ut me deinceps perpetuo, cum uterque Doctor artis medicæ factus eſſet, &, ſecundum vetus Dictum, magiſtrum ſuperarent, in præceptoris loco habuerint.*

Poſtea, cum MOIBANUS *Wittebergæ* ſupra quinquennium *Philippum* MELANCHTONEM audiviſſet, honorem, qui *Artium Magiſtris* tribui ſolet, quem nunquam affectaverat, ſibi delatum recepit, eodemque *Philippo* auctore ac hortatore *Norimbergam* profectus, ibi *D.* GEUDERI (*d*) liberos privatim erudivit, multosque verſus græce & latine ſcrip-

(*b*) Docuit is *Patavii* medicinam, de quo conſule *Freherum*, *Ghilinium*. *Keſtnerum*, *Teiſſierium*.

(*c*) *Io. Bapt.* HAINZELII, tanquam ſummi litterarum et litteratorum Mæcenatis, ſæpius in præſenti *Bibliotheca* mentio facta eſt. De eodem confer DOPPELMAYR in *Nürmbergiſchen Künſtlern*. *p.* 72.

(*d*) *Geuderi*, gens patritia *Norimbergenſis*.

ſcripſit: in qua exercitatione ſi diutius verſatus eſſet, haud dubie ad eum Poetices gradum in utraque lingua perveniſſet, quem non niſi ſumma ingenia, muſico incitata impetu, ſingularis ſtudii induſtriâ aſſequuntur.

Erat illo tempore ampliſſimæ Reipublicæ *Norimbergenſis* Medicus, Doctor *Cornelius* SITTARDUS *Colonienſis* vir in bonis literis præclare verſatus, et præſtantium ingeniorum amator et admirator maximus, qui plurimum *re herbaria* delectabatur. In huius igitur ſcientiæ cognitionem cum MOIBANUS quoque pervenire cuperet, conjunctiſſime cum *Sittardo* vivebat: et ſtudioſe deſcriptiones herbarum ex græcis Auctoribus, imprimis *Dioſcoride*, conquiſitas ita ſibi notas reddebat, ut memoriter recitare poſſet. Vires etiam inveſtigabat diligenter, et omni animi contentione, cum præclare in univerſa Philoſophia eſſet verſatus, ad rem medicam ferebatur. Id cum CRATO reverſus paulo poſt in *Germaniam*, et liberalitate atque benevolentia ſumma *D. Ioannis Baptiſtæ* HAINZELII, *Auguſtæ* retentus cognoſceret, pro ſua erga MOIBANUM ſingulari et propenſa voluntate, currentem, ut dicitur, excitavit, et ad eundem, quæ ſibi ad artem medicam diſcendam rectiſſima eſſe ratio videretur, ſumma fide perſcripſit. Quod amicitiæ obſequium quam ſibi gratum acciderit, quámque CRATONIS monitis adjutus ipſe fuerit, *Noſter* litteris ad CRATONEM tum ex *Italia*, tum *Germania* miſſis crebro poſtea gratiſſime profiteri non intermiſit — Sed filum orationis perſequi placet —

MOIBANUS, poſtquam CRATONEM morari *Auguſtæ* compererat, bona cum gratia â GEUDERO hero ſuo dimiſſus, illò advolat, amicum ſuum opti-

optimum conventurus. Sed cum ille iter in patriam jam iniviſſet, memoratus *Ioannes Baptiſta* HAINZELIUS, omnium litteratorum fautor maximus, ſingulari atque perpetua benevolentia MOIBANUM complectendum ſibi duxit, et gratia atque auctoritate, qua in Republica illa præcipue florebat, perfecit, ut *Noſter*, præfectus ſtudiis filiorum præſtantiſſimi Viri *D.* MANLICHII, cum illis in *Italiam* ablegaretur. In ea regione vixit *Ioannes* noſter omni mente, cura, et cogitatione ſtudiis artis Medicæ deditus *Patavii* atque *Bononiæ* fere quadriennium, ac non modo præcipuos Doctores audivit: verum cum propter Græcæ et Latinæ linguæ peritiam res illi in perfacili cognitione verſaretur, diligenter Veterum ſcripta evolvit, et de præcipuis doctrinæ partibus ſententias doctiſſimorum hominum cognovit. Erat etiam in eo tanta ingenii agilitas et memoriæ bonitas, ut facile, quæ legeret vel audiret, obſervare poſſet. Proinde magna celeritate *Italicam* atque *Græcam* linguam, qua nunc vulgò utuntur, ita addidicit, ut cum *Italis* et *Græcis*, de quibus vellet rebus, colloqui poſſet. Quia vero in *Poetica*, *Muſica*, et *Pictura* ſingularem in modum excellebat, et ſcientiæ ſuæ documenta dare poterat, in præſtantium virorum et præcipuorum artificum notitiam pervenit; ac, cum aliis plurimum, ſibi perexiguum tribueret: ita eorum benevolentiam conciliavit, ut facile ab iis diſcere, et de eorum præſtantia ſua meliora facere illi liceret. Sed a Philoſophis & Medicis raro diſcedebat, qui quantum illius ingenio tribuerint, vel ex eo apparet, quod MAYNETUS (*e*) eximius Philoſophiæ et Medici-

(*e*) De *Maynetto* vel *Mainetto* agit MANGETUS in *Biblioth. Script. medic. T. II. P. I. p.* 129.

dicinæ Profeſſor *Bononiæ* librum ſuum περὶ αἰσθήσεων καὶ αἰσθητῶν, verſibûs MOIBANI commendatum, in publicum exire voluerit. Scripſiſſe eum autem aliquid *de uſu atque abuſu ſenſuum* erudite atque piè, quod libro proponeretur, ſcire ſe CRATO: verum. an divulgatum fuerit, cum eiusmodi meletemata in *Germaniam* raro perferantur, pro certo affirmare non poſſe, ait.

Interim duæ maxime res noſtri ſtudia turbaverunt; nam cum primum in Italiam venit, Ioannes Baptiſta *Montanus*, propter quem, ut tanquam dogmaticæ Medicinæ reſtitutorem audiret, impellente *Cratone* præcipue Italiam appetiverat, correptus morbo eſt, ex quo et deceſſit. Tertio poſt anno, videlicet, qui a Chriſto nato numerabatur MDLIV. patrem *Ambroſium* fato ſibi raptum amiſit; unde matris ſollicitudini ſubventurus inſequenti anno in *Germaniam* rediit, et poſteaquam cum *Hainzelio* et *Manlichio*, ad quorum voluntatem tanquam parentum conformare ſe ſtudebat, de loco; in quo artem, quam recte didicerat, exerceret, deliberaſſet, in patriam venit. Sed cum videret, omnia difficilia eſſe, atque mediocritatem et quietem rebus omnibus anteferret, locum expetens, in quo Veterum ſcripta, ſine quibus neminem neque doctum neque prudentem Medicum fieri poſſe intelligebat, in otio penitus evolvere poſſet, *Ambergam Nariſcorum* ſe contulit, eique reipublicæ ſuam operam addixit. Dum in iſto loco fuit, cum CRATONE de interpretatione græcorum Auctorum in arte medica, de præceptis illius atque uſu plurima per litteras diſputavit: plurima inſigni diligentia per epiſtolas limavit, quibus ſe non modo excitatum,

ſed

ſed etiam magnopere adjutum fuiſſe, teſtari poſtea CRATO non erubuit.

Cæterum cum amici *Auguſtam* eum retrahere cuperent, uxoria re allicere conati ſunt. Itaque, oblatâ lectiſſimâ puellâ, conjugio eam ſibi jungi facile eſt paſſus. Sed neque ſic ſtatim *Auguſtæ* remanſit. Verum Eſtheram ſuam ſecum *Ambergam* deduxit. Inſtantibus autem amicis, ut rediret, et ſtipendio publico Senatus auctoritate ſibi decreto, anno MDLVIII. *Auguſtam* denuo venit; atque in iſta Republica cum ſumma integritatis, candoris, aliarumque virtutum laude ad extremum usque ſpiritum vixit.

Initio, cum nondum in hominum cognitione verſaretur, neque ſe more perverſo atque pervulgato Medicorum, in quibus minimum eſt veræ atque ſolidæ doctrinæ, oſtentare ingerereque poſſet, ne Senatui et Reipublicæ in vita otioſa videretur eſſe dedecori, convertendos ſibi e Bibliotheca publica *duos Libros* DIOSCORIDIS' *Anazarbæi ad Andromachum de facile parabilibus medicamentis* ſumpſit (*f*). Labente vero tempore cum optimi et ſapientiſſimi homines perſpicerent, eum in univerſa Philoſophia et Veterum cognitione ita verſatum eſſe, ut vix ulli ſcientiâ artis inferior videretur: uſu autem exercitationeque facile pleroſque alios ſuperaturum eſſe, illius conſilio in dubia vel adverſa valetudine uſi ſunt.

Qua fide autem, quàm ſollicita atque accurata conſiderantiâ, quàm diligente curâ munus ſuum obierit: quam ille æqualibus nunquam ſeſe præpoſuerit: quam ſenum conſilia non fuerit aſpernatus, ex viris illius ætatis optimis ac præſtanti-

(*f*) De his *Dioſcoridis* libris inferius pluribus dicetur.

ſtantiſſimis, quibus ille familiariter notus fuit, diſcere licuit. Verum ne ſic quidem malevolentiæ quaſi morſiunculas effugere potuit; quod ipſum tamen laudem illius augere atque illuſtriorem reddere judicamus.

Irritabilis quidem et ipſe erat, et movebatur ardentius; verum placabilem ſe facile præbebat. Utcunque ſit, morum et integritatis teſtes habuit maxime idoneos, ampliſſimos Viros *Hainzelios*, *Herwartos*, *Manlichios*: ſtudiorum verò, Virum illuſtriſſimum *Ioann. Iacob.* FUGGERUM, qui *Noſtro*, editionem *Dioſcoridis* paranti, Codicem MSS. *Oribaſii* e celebri ſua Bibliotheca utendum humaniſſime communicavit, ſicque ut *Dioſcorides*, mille locis depravatus, collatis veterum medicamentorum deſcriptionibus, integritati reſtitueretur, plurimum contulit: *D. Achillem* GASSARUM: *Hieronymum* WOLFIUM: multosque alios doctos Viros.

Agebantur ea ætate plerique magni viri *Auguſtæ* veluti quodam animi impetu ad diſcendas mathematicas artes. Horum exemplo, inprimis vero *D. Pauli* HAINZELII (g) excitatus, in iſto ſtudii genere, induſtria et laboribus *Cypriani* LEOVITII

(g) *Paulus* HAINZELIUS, quantum mathematica ſtudia adamaret, ſatis oſtendit, dum in prædio ſuo, *Göggingæ*, anno 1570. auctore celebri Mathematico *Tychone de* BRAHE ſub dio mobilem *Quadrantem aſtronomicum* ingentis magnitudinis ex abiegnis trabibus conſtrui fecit. cui ſimilem *Germania* univerſa non viderat. Semidiameter enim XXI. pedes geometricos continebat ac in limbo 90. pro artificio gradus, ad ſolis &c. elevationes obſervandas aurichalco ſatis notabili quantitate inſculptos habebat. Sed egregia hæc machina quarto poſt anno ventorum violentiæ ceſſit.

VITII (*h*) ita brevi temporis ſpatio profecit, ut CRATONI ipſi, in hac ſcientia verſatiſſimo, admirationi eſſet. Certe eidem in quadam *Epiſtola* quaſi præſagiendo ſcripſit, ſe tum conjugis, tum ſuæ ipſius vitæ ob fatalem ſignorum cæleſtium concurſum haud parum metuere: quem metum vanum non fuiſſe, exitus docuit.

Hinc triſtiora me vocant, et præmatura *Noſtri* mors finem narrationi imponere celerius ſuadet. Amiſerat is conjugem, difficili partu filiolum grandem ac validum enixam, *conjugem optatiſſimam*, *fidiſſimam*, *obſervantiſſimam*, cuius deſiderium ferre haud valens præ dolore, quem imâ mente premebat, in febrim incidit, qua vigeſimo octavo poſt obitum conjugis die, nono autem Maji anni MDLXII. extinctus eſt, cum vixiſſet annos XXXV. menſes II. dies XVI.

Mortuum tum alii, tum præcipue Hieronymus *Wolſius*, et Joachimus *Camerarius* carmine epitaphio defleverunt; hic quidem græco, ille latino vocans Noſtrum *Medicum*, *Aſtrologum*, *Poetam*, Virum optimum, *græce latineque doctiſſimum* (*i*).

De litterariis MOIBANI laboribus nonnulla in decurſu orationis dicta ſunt, quibus jam, quæ ſequuntur, addes, Lector! *Loca* quædam *Galeni et Hippocratis* diligenter emendavit, eorumque converſiones correxit. Traductionem *Vitæ Belliſarii* e Græco, ut ajunt, vulgari adornavit. *Verſus* eius paucos extare, ex quibus tamen ingenii *No-*

(*h*) De LEOVITTO videri poterit *Hofmannus* in *Lexico univerſ.* VOSSIUS *de mathematicis Scientiis.* TEISSIERIUS.

(*i*) Habes hæc *Carmina* ad calcem *Dioſcoridis*, de quo paulo poſt dicam.

Noſtri excellentia eluceat, monuit CRATO. Plura alia affecta reliquiſſe *Ioannem*, tradidit Melchior *Adamus* (*k*). Verum hæc omnia in publicum haud dimanaſſe, credibile eſt. Moriens *Verſionem Dioſcoridis* commendavit Achilli Pirminio *Gaſſaro*, petens, ut Conrado *Geſnero*, de quo præclare ſentiebat, abſolvendam perpoliendamque mitteret. Igitur edita eius, quæ ſequuntur, ſunt Opera.

I. Ἐπιθαλάμιον *in Cl. et D. Viri, D. Raphaelis* Seileri *Auguſtani, J. U. Doctoris eximii, et Comitis Palatini Nuptias, anno MDLIX. X. Cal. Octobr. Auguſtæ Vindelicorum.* in 8°. *Excudebat Philippus Ulhardus.* Eſt Carmen *Græcum* prolixum a nullo, qui de *Moibano* hactenus ſcripſere, memoratum, a me in Bibliotheca Monaſterii *SS. Udalrici et Afræ, Auguſtæ*, obſervatum. De Raphaele *Seilero* autem videſis, Lector! *Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ Alphabetum I.* in quo Vitam eius et Scripta fuſe propoſui pag. 174 - 188.

II. Εὐπόριστα *Pedacii Dioſcoridis Anazarbæi ad Andromachum, hoc eſt: de Curationibus morborum per medicamenta paratu facilia, Libri II. nunc primum et Græce editi, et partim a Ioanne* MOIBANO, *partim vero poſt huius mortem a Conrado* GESNERO *in linguam latinam converſi, adjectis ab utroque Interprete Symphoniis Galeni aliorumque Græcorum Medicorum.* in 8°. *Argentorati.* 1565. Titulum ſequitur Ach. Pirmin. *Gaſſari* Epigramma in librum ipſum; huic ſuccedit Dedicatio Conradi *Geſneri*, qua opus *Senatui Auguſtano* inſcripſit, his inter alia verbis: „ Nova hæc huius volu-„ minis . . . in illuſtre nomen veſtrum nuncupa-„ tio

(*k*) In *Vitis Medicorum*, p. 55.

„ tio ... non meo ſed Ioannis *Moibani* nomine, „ optimi ſane Viri et omni litterarum genere doctiſſimi ... ante biennium apud vos pie defuncti inſtituitur. Ereptus enim hic nobis eſt in „ ipſo ætatis & ingenii vigore, conjugem paucos „ ante dies extinctam, pupillis tribus relictis, ſe„ cutus". Dedicationem excipit Epiſtola *Gaſſari* ad Conr. *Geſnerum*, qua eum nomine *Ioannis* noſtri fatis defuncti rogat, ut ſuccedaneam *Dioſcoridi* operam impendat. Tum ſequitur Ioannis *Cratonis* Narratio de Vita *Noſtri* ad Conr. *Geſnerum*: *Geſneri* Epiſtola græca ad *Cratonem*, & Præfatio in Opus ipſum, cui inſertum habes Fragmentum Epiſtolæ *Noſtri* ad *Geſnerum*, quatenus illa *Dioſcoridis* editionem reſpicit. Opus claudunt Carmina ſuperius memorata *Camerarii*, *Wolfii*que, & *Index*. De reliquo hic *Dioſcorides* multo uſui fuit Ioann. *Schenckio*, quando is *Opus* ſuum *Obſervationum medicarum*, *rararum*, *novarum &c.* condidit.

III. Ex *Noſtri* Muſæo prodiit *Alexipharmacum* præſtantiſſimum, quod, a Ioanne *Cratone* acceptum, cum *Geſnero* communicavit. Extat id antidotum in Libello germanico, cui titulus: *Giftjager*, cura Wilhelmi *Triphyllodacni* edito, anno 1567.

ROTH (*Henricus*)

Henrici ROTH memoriam ſeræ poſteritati ſervavit clariſſimi nominis Vir, exoticarum præcipue linguarum illuſtrator doctiſſimus, *Athanaſius* KIRCHERUS *Soc. Jeſu*, in *China illuſtrata, fol. Amſtelodami.* 1667.

Fuit

Fuit *Noſter* patriâ *Auguſtanus* (*a*), *Mogoricæ* in *India* Miſſionis Operarius indefeſſus, & linguæ *Brachmanicæ* doctiſſimus, â quo multa ad Opus, quod de *China* ſcribendum ſibi ſumpſerat KIRCHERUS, attinentia didicit; quando is ex regno *Mogor Romam* venit: intérque alia eidém *Kirchero* inſolitæ virtutis *lapides ſerpentinos*, â *Luſitanis*, *la Pedra della Cobra*, vocari ſolitos dono obtulit. Quin audiamus KIRCHERUM ipſum, in *Præfatione* ad *Chinam illuſtratam* de *Noſtro* & *Ioanne* GRUBERO *Linzenſi Auſtriaco*, laborum & itinerum ſocio, in hæc verba loquentem:

Subſecuti ſunt . . alii duo Patres Germani, P. Ioannes GRUBERUS *unus, alter P. Henricus* ROTH *Auguſtanus, Viri ſtudiorum cultu inſignes, nec non magna rerum experientia docti, qui eam mihi rerum rariſſimarum ubertatem contulerunt, ut iis deſcribendis ingens copia pæne me inopem feciſſe videatur.* Et poſtquam multa de P. *Grubero* ſubjecit, addit: *Qui in laborum . . . ſocium P. Henricum* ROTH, *Virum prudentia & doctrina conſpicuum, Agræ tum rei chriſtianæ promovendæ intentum, adſcivit. Qui, dum hæc ſcribo, mecum continuo morantur, eaque, quæ ad divini Numinis gloriam & boni communis emolumentum quovis modo profutura nôrunt, communicare non ceſſant. Quoniam vero Patribus continuo in ſalute animarum procuranda diſtentis, neque otium tempusque & media ad rariorum quarundam rerum, quas in ſuis per vaſtiſſimas illas mundi regiones ſuſceptis itineribus obſervârunt, notitias tum deſcribendas tum in lucem*

(*a*) V. *Chinam illuſtratam*, in *Præfatione*. Utrum autem *Noſter* patritia familiâ huius nominis, quæ *Auguſtæ* extitit, cretus fuerit, etſi vix dubitem, tamen aſſerere nolim.

lucem edendas ſuppetat, hoc à me contenderunt, ut, quæ tanto labore et ſudore compererant, blattis ac tineis cedere non ſinerem, ſed in unum volumen congeſta, in Reipublicæ litterariæ bonum publicæ luci traderem. Quod hoc Opere me præſtiturum, eis pollicitus ſum.

Debentur itaque ſollertiæ *Noſtri* plura meletemata, quæ laudatus KIRCHERUS, non ſine grata commemoratione nominis *Henrici* noſtri, ſuæ *Chinæ illuſtratæ* inſeruit.

I. *Iter ex Agra Mogorum in Europam, ex relatione PP. Ioannis Gruberi & Henrici* ROTH, *quod bis confecerunt.* Vide *l. c. p.* 85.

II. *Itinerarium S. Thomæ Apoſtoli ex Judæa in Indiam.* De hoc ſcribit KIRCHERUS *l. c. p.* 91. ſequentia: *Multum ſane luminis ab eximio P. Henrico Rhodio* (ROTH) *qui univerſam pæne Indiam peragraverat, accepi. Siquidem ex* Goa, *in* Mogolum *regnum, miſſus in* Dalcan, *quod modo regnum* Viſipor *dicitur*, Gati *monte ſuperato venit in* Colconda; *& hinc in* Montipur; *et recto in Boream itinere* Bengalam & Decanum *regnum; & hinc per* Delli *urbem rectà* Agram, Moguli *regis curiam, pervenit. Quam autem rara et curioſa in tanto itinere obſervârit, ipſemet ſuo tempore in* ITINERARIO *ſuo luci dabit. Hic, inquam, cum de* Narſingiæ *regno, &* Meliaporæ *Reliquiis S.* Thomæ *celeberrimis rationaretur, dixit: in hunc usque diem in Chriſtianorum archivio præter alia* Iter *quoque, quod S. Apoſtolus ex* Judæa *in* Indiam *confeciſſet, conſervari, ſéque ex* ſyriaca *lingua in latinam verſum penes ſe habere: quod cum vehementer deſiderarem, votis meis non illibenter annuit. Eſt autem id, quod ſequitur &c. &c.*

III. *Dogmata varia fabuloſiſſima Brachmanum, præcipue de decem Incarnationibus Dei, quas credunt Gentiles*, Indiani extra & intra Gangem, *latinè interpretata, cum figuris.* Hæc exhibet KIRCHERUS *l. c. p.* 157. communicata ſibi â *Noſtro*, de quo idem monere non omiſit: *Ut erat Brachmanicæ linguæ peritiſſimus, ita quoque ex ipſorum arcanioribus libris præcipua extraxit dogmata, ea intentione, ut Miſſionariis inter Brachmanes verſantibus modum, quo tantas abſurditates facilius confutare poſſent, traderet. Verum quia res conſideratione haud indigna mihi viſa fuit, hîc brevem eorundem enarrationem ipſis ſupradicti P.* Rothii *verbis ſubjungendam cenſui....*

IV. *Elementa linguæ Hanſcret, ſeu Brachmanicæ in India orientali*, quæ, *Tabulis V. æreis* inciſæ, peculiari attentione dignæ videntur; et de quibus KIRCHERUS *l. c. p.* 162. monet: *Utuntur Brachmanes nonnullis litteris, quas arcanas vocant; nullique tradere ſolent, niſi quos ex ſua ſecta iudicant eſſe ad eas diſcendas aptiores. Verum, uti ſupra dixi, cum P. Henricus* Roth, *iis ad veram ſalutis ſemitam deducendis totus intentus, ſine lingua & litteratura eorum id veluti* ἀδύνατον *videret, per quendam Brachmanem, ſumma benevolentiâ ſibi devinctum, et jam ad Chriſti fidem ſuſcipiendam inclinatum, totam & linguæ et litteraturæ, philoſophandique rationem litteris hiſce conditam, ſex annorum impenſo ſtudio conſecutus eſt. Verum ne quidquam curioſarum rerum omiſiſſe videar, hîc* Elementa *eorum, manu P.* Rothii *eleganter deſcripta, adnectam...*

V. *Epiſtola* vernacule ſcripta *ad quendam Sacerdotem Societatis Jeſu in Germania*, data *Romæ*

mæ circa annum 1664. paulo ante prælium ad *S. Gotthardi.* Hanc exhibet *P. Joſephus* STOECKLEIN in Libro: *Der neue Welt-Bott &c. T. I. P. I. p.* 113. adjecta ſequenti præmonitione, quam latinis verbis reddere juvat:

„ *P. Henricus* ROTH, *Auguſtæ* in *Suevia* or-
„ tus multas *Aſiæ* regiones ſæpius peragravit,
„ tandemque *Agræ*, metropoli magni *Mogolis*,
„ anno 1653. reſedit. Inde quorundam negotio-
„ rum tractandorum juxta, ac novorum Opera-
„ riorum conducendorum cauſſâ *Romam* repetiit:
„ confectisque negotiis ſuis, una cum novis com-
„ militonibus *Agram* rurſus venit; ubi, diutur-
„ nis nec infructuoſis laboribus perfunctus, de-
„ mum ſpiritualis plenus ſolatii, anno 1668. die
„ 20. Junii, pie in Domino obdormivit. Plures
„ *Epiſtolas* exaravit, quarum non niſi una, â
„ me mox danda, et hæc quidem male tran-
„ ſcripta, ad manus meas pervenit. . . .“

Ita *P.* STOECKLEIN, qui *l. c. Epiſtolam* illam mox ſubjicit.

SENDERUS (*Clemens*)

Accidit SENDERO noſtro, docto Cænobitæ *San-Udalricano* & *Hiſtorico* induſtrioſiſſimo idem, quod compluribus Eruditis accidiſſe dolemus; de quorum commeritis laudibus tum ætas â noſtro ævo remotior, tum temporum, quibus vixere, turbulentia multum ſubtraxiſſe deprehenduntur. Profecto duæ res iſtæ efficiunt, ut pauca ſint, quæ de *Clemente* noſtro afferam. At vel hæc pauca, litteris mandata, ſeræ poſteritati ſervâſſe juvabit.

Primam lucem *Noſter* aſpexit *Lavingæ*, oppido ad *Danubium* ſito, anno Chriſti MCCCCLXXV.

in die *S. Clementi* ſacra, natus parentibus *Caſpare* SENDERO & Walburga *Reichenbeckin* de Aislingen, non omnino ignobilibus, uti conjicere ex eo licet; quod *patrem ſuum ſæpius Diætis & Tractationibus Principum interfuiſſe* narret: ſororemque ſuam Ioanni *Hitſtetter* de Laugingen, *Philippi* Comitis *Palatini*, & utriusque *Bavariæ* Ducis Interpreti, Præfectóque Coquinæ matrimonio junctam fuiſſe teſtetur.

De pueritia *Noſtri* & didaſcalis, quibus uſus eſt, dicere non habeo; cum horum nihil ipſe litteris prodiderit. Anno autem MCCCCXCVI. feria VI. poſt feſtum *S. Bartholomæi* Ordinem *S. Benedicti* in celeberrimo Aſceterio *Auguſtano* ad *SS. Udalricum & Afram* complexus eſt: ubi, jactis vitæ religioſæ fundamentis, anno ſequenti (1497) in feſto *Omnium Sanctorum* ſolennibus ad aram votis ſe totum Deo mancipavit. Quadriennio poſt (1501) ſacris Ordinibus initiatus, in feſto *Epiphaniæ Domini* primum ſupremo Numini Miſſæ ſacrificium obtulit.

Sic Deo & religioſæ familiæ addictus tempus, a ſacris occupationibus vacuum, ſtudiis laudabili admodum conatu ſacravit, incitatus (ut credere omnino fas eſt) ſyncænobitarum ſuorum, quos variis ſcientiis egregie imbutos tum Cænobium aluit *San-Udalricanum*, e: g: *Leonardi* WAGNERI, *Ioannis* GRIESHERR, *Wilhelmi* WITTWER, præcipue vero *Viti* BILDII (*a*) exemplis. Horum certè veſtigia quantâ diligentiâ ſecutus ſit *Noſter*, ex *Catalogo Opp.* infra ſubjiciendo quam clariſſime patet, in quo ingenii *Senderiani* partus ad annos 1503. 1504. 1505. 1507. comparent.

Exin-

(*a*) Horum omnium merita litteraria expoſui in *Bibliotheca* huius *Auguſtanæ Alphabeto I.* & *III.*

Exinde, proh dolor! annorum aliquot intervallum vitæ *Noſtri* ſeriem turbat usque ad annum 1517. quo eum in *Vrſinenſi*, prope *Kaufburam* civitatem imperialem, cænobio egiſſe, invenio & *inferiùs* liquide oſtendo. Quid vero ibi, aut quamdiu egerit, dicere haud queo.

Reverſus autem in ſuum monaſterium & ſcribendis libris ſtrenuam operam navare perrexit, & *Prioris* quoque munus annô 1527. geſſit (*b*). Vixit adhuc annô 1536. Obiit XVI. Calend. Februarii: quô annô, incertum.

Hæc de Vitæ *Noſtri* circumſtantiis — Iam de litterariis eius meritis — Præter *Poëſeos & Eloquentiæ* ſubſidia, quæ ſibi *Noſter* comparavit, *Juris* quoque *eccleſiaſtici* ſcientiam, et *Aſtrologiam* excoluiſſe eundem, omnino credibile eſt. Maximo autem *Hiſtorici ſtudii* amore ductum fuiſſe, commonſtrant tum *Chronicon* vernaculum *Auguſtanum*, tum *Volumina XI.* chronographica, in cænobii *San - Udalricani* Bibliotheca adhucdum aſſervata, de quibus omnibus dicere aggredior. Extant itaque â *Noſtro*.

I. Volumen *Juris canonici*, in cuius fine hæc legere eſt: *Finit Breviarius Decretorum ac Decretalium ſexti & Clementinarum totius canonici Juris excerptæ . . . per Fr. Clementem Sinder de Laugingen . . . anno ſalutis* 1507. in 4to.

II. Volumen *Adverſariorum aſtrologicorum*, in 8°.

III. *Armarius Animæ.* Eſt Codex ſpiſſus, chartaceus in 8°. dicatus *Ioanni* SCHROTT Abbati

(*b*) Narratas hucusque Vitæ *Noſtri* circumſtantias excerpſi ex *Manuſcriptis* ab eo relictis. De *Prioris* autem munere, â *Noſtro* adminiſtrato, teſtatur BILDIUS in quadam ſuarum *Epiſtolarum*.

San - Udalricano prævio *Carmine*, cuius hoc eſt initium :

I, Liber ! Auguſtam *fauſto omine*, *tramite recto*:
Ulrici *ſacri limina tutus adi* !
Salve natale (*) *ſolum* ! *Dominum*, *divosque Patronos*
Abbatem, *Fratres tuque ſaluta meos*.
Perlege, Ioannes ! *Fratrum venerabilis Abbas*,
Fratris Clementis *paucula Scripta tui &c. &c.*

In fine habentur ſequentia: *Explicit Armarius Animæ . . editus & conſcriptus . . . in monaſterio Urſinenſi . . . anno ſalutis* 1517. . .

IV. *Chronick von der Stadt Augſpurg*. in 4to. Vidi hoc Opus, corio nigro tectum, in Bibliotheca *Collegii* quondam *Societatis Jeſu*. Vidit ante me *Felix Andreas* OEFELIUS Bibliothecarius electoralis *Bavaricus*, dum in bello annis 1740 - 1750. à *Maria Thereſia* Auſtriaca adverſus *Carolum VII.* Imperatorem geſto exulem aulam ſecutus, *Auguſtæ* vixit: unde etiam in *Peutingerianis* ſuis (*c*) ſequenti illud elogio condecorare non dubitavit: *Opus eſt plenum bonæ frugis*. SENDERUS *res Auguſtanas ſæculi XV. ad quas poſt paucas pagellas delabitur*, *diligenter & ingenue complexus eſt eâ diligentiâ*, *ut non tam annales*, *quam diaria patriæ ſuæ* (Rectius dixiſſet: *Auguſtæ*) *ad poſteros transmittere voluiſſe videri queat. Dignum omnino Opus, quod in lucem edatur integrum*, *nullaque ſui parte mutilatum* ! Hæc OEFELIUS, Vir in dijudicandis Veterum Scriptis, dum fuit, perſpicax ſatis & aucutus; quod *Scriptores Rerum Boicarum* ab eo editi ſatis declarant. Idem *Chro-*

(*) Puta, *ob Profeſſionem religioſam*.

(*c*) Eſt Opus anecdotum, ab Viro hoc doctiſſimo, dum per illa triſtia tempora *Collegii Soc. Jeſu* Bibliothecam luſtrabat, congeſtum; quod mecum humaniſſime communicavit: uti ſæpius etiam *Epiſtolis* ſuis me ſalutare non eſt dedignatus.

Chronicon Noſtri ſub titulo *latino* laudat *Paulus à* STETTEN ſenior in *Geſchichte der Stadt Augſpurg. T. I.* in *Vorbericht von Scriptoribus Rerum Augu-ſtanarum.* §. *I. n.* 31.

De reliquo *Chronicon* hoc, ab origine urbis ad annum 1536. excurrens, dedicavit *Noſter* anno 1536. die S. Ioannis Baptiſtæ, Hieronymo *Fuggero* (*d*) Cæſareæ Regiæque Majeſtati Conſiliario, Civi Auguſtenſi, Fautori ſuo, inter alia dicens: *Nachdem ich yberfliſſig geſpirt hab, was Liebe und Naygung E. H. zu diſer Kayſerliche Stadt tregt... Aus ſolichen geurſacht zu diſer geſchwinder geverliche Zeit gern wolt wiſſen haben, was ſich doch vor langer vergangner Zeit.. hye ſich hab zutragen. Auf ſolichs hab ich die Handt angelegt, und kurtzlich beſchrieben, wie es gschrifftlich und mundlich mit groſer Mye, Arbait und Koſten an mich gelangt iſt: vil mit Beſcheydenheit umbgangen: nachtayllens verſchonet, ſo vil die Beſchreybung der Hyſtori hat künden gedulden* (*e*)... Ceterum SENDERUM in hanc *Chronicam* multa ex *Opere* ſuo *chronographico*, de quo mox agam, derivâſſe, cenſeo.

V. Multo majoris & molis, & momenti eſt ſic dicta *Chronographia Senderiana*, XI. Voluminibus in 4to. conſtans: cuius primus (quod ſcio) meminit *Bernard.* PEZIUS in *Diſſertat. iſagog. ad Tom. I. Theſauri Anecdotorum. p. XXXIII.* addens: eam *magno Bibliothecæ San-Udalricanæ or-*

L 3 *namen-*

(*d*) Natus is annô 1499. cælebs obiit annô 1538. de quo videri poterit Liber: *Imagines Fuggerorum & Fuggerarum. in folio.* 1618. *pag.* 7.

(*e*) En! ut SENDERUS diſerte proteſtetur: *ſe multa prudenter omiſiſſe, ſeque, quantum veritas hiſtorica valeretur, Proximo peperciſſe.* Hæc obſervâſſe, Lector! fructu non carebit in iis, quæ ſub finem huius Narrationis dicentur.

namento eſſe. Quare illam accuratius deſcribendam judico.

Itaque *Volumen* 1. à *Noſtro* anno 1523. finitum, continet Hiſtoriam ab orbe condito usque ad Chriſtum natum.

Volumen 2. anno 1524. finitum, res geſtas ab anno Chriſti 1. usque ad 311. complectitur.

Volumen 3. ab anno 311. in annum 564. patet.

Volumen 4. temporum curſu (*f*) intercidit.

Volumen 5. ab anno 1300. in annum 1439. circiter extenditur; in cuius fine leguntur: *Qua de cauſſa Dux Georgius p. m. dum generum ſuum Rupertum Palatinum hæredem ſui principatûs inſtituit, prætendebat, quod Ducatus ſuperioris Bavariæ ad eum non pervenerat jure hæreditario, ſed per modum emptionis: quare licite poſſit eundem Ducatum vendere ſeu ex teſtamento delegare ſecundum beneplacitum ſuum. Quæ res ſæpius in Diætis tractata et ventilata eſt, ut audivi à patre meo, qui ſæpius huiusmodi Diætis & Tractatibus interfuit, & demum Centenarius* 22. *die Maji, qui fuit dies S. Romani, feria ſexta ante feſtum Pentecoſtes, circa horam* 7. *noctis anno* 1523. mortalitatem explevit.

Volumen 6. anno 1526. à *Noſtro* abſolutum, Hiſtoriam ab anno 1440. ad annum 1493. exponit.

Volumen 7. itidem anno 1526 à *Noſtro* conſummatum, ab anno 1494. ad annum 1525. excurrit.

Volumen 8. ab anno 1525. usque ad annum 1528. extenditur. Huic *Noſter* titulum fecit: *Brevis Catalogus ſeditionum, tumultuumque, ac concurſantium Ruſticorum ſuperioris Germaniæ, doctrina Luthe-*

(*f*) Errat P. PEZIUS *l. c.* dicens: Volumen *quintum* periiſſe; cum tamen *quartum* hoc deſideretur.

Lutherana concitati &c. &c. Inferuntur multa alia hiſtorica.

Volumen 9. continet *Hiſtoriam ab anno* 1528. *in annum* 1529. Sequitur *Hiſtoria Obſidionis Viennenſis*, præmiſſa ſequenti Admonitione: *Veridica urbis Viennæ obſidionis per Turcas Deſcriptio, prout ego edoctus ſum ab his, qui huiusce rebus à principio obſidionis usque in finem inibi in urbe Vienna fuerunt; ſcilicet a nobili Viro Vito de Waldenburg SS. Regis Ferdinandi ſupremo Magiſtro virorum bellantium, Stipendiorum elargitore, atque Theſaurario: & Petro Stern de Labach eiusdem præfati Regis in bello latino Secretario: nec non à Sororio meo Ioanne Hitſtetter de Laugingen illuſtriſſimi Principis Philippi Comitis Palatini atque Ducis utriusque Bavariæ Interprete & coquinæ ſuæ Magiſtro.* Succedunt *Oratio ſacra* anni 1503. anni 1504. anni 1505. anni incerti: alia anni incerti: *Oratio capitularis* anni 1530. *Oratio* anni 1515. anni 1514. alia anni incerti (*) Totum Volumen clauditur *Vitâ S. Onuphrii*, à *Noſtro* deſcripta.

Volumen 10. res anni 1529. & Diætæ imperialis *Auguſtæ* anno 1530. habitæ exſequitur.

Volumen 11. narrat, quæ annis 1530 - 1533. evenerunt.

Volumen 12. varia *Acta publica*, ad Hiſtoriam *Ducatûs Würtembergici* attinentia, annorum 1520. 1532. 1533. & 1534. idiomate germanico ſcripta exhibet.

Ferme omnibus Voluminibus *Indicem Rerum* ſubjecit *Noſter*; cuius Opus (præprimis quod ad res ſui ævi attinet) optimæ notæ eſt, atque ita

 fuſe

(*) Has *Orationes* omnes *Noſtro* tribuendas eſſe, vix dubito. Illa anni 1530. plane *Clementis* eſt, ut *ſubſcriptio* docet.

fuſe geſta plura exponens, ut Auctor ephemerides ſcribere voluiſſe videatur. Sæpius etiam *Inſtrumenta publica* inſerta conſpiciuntur. Sinceritatem Auctoris, quæ propria dos eſt Hiſtorici, certiſſime vel hoc commonſtrat, quod ne quidem Abbatibus ſui monaſterii parcat.

VI. Hæc eſt Collectio *Senderiana*, ex qua poſt unius, à *Noſtri* morte, ſæculi ſpatium excerptus prodiit Liber: *Relatio de ortu & progreſſu Hæreſum in Germania, præſertim verò Auguſtæ Vindelicorum, ex antiquis Annalibus MSStis. cuiusdam contemporanei fideliter deſcripta, & nunc publici juris facta.* in 4to. *Ingolſtadii.* 1654. Opus ſimplici eſſe quidem, ſed ſincero ſtylo ſcriptum, uti reliqua *Noſtri* Opera, affirmare non dubitavit *Corbinianus* KHAMMIUS (g). At cenſuram Acatholicorum nonnullorum effugere illud haud potuit; ac ſi Auctor nimis acerbo ſcriptionis genere uſus ſit. Addunt tamen iidem, multa illud notatu digna continere, ac rarum eſſe (*h*). Confer, ſi lubet, *Io. Georg.* SCHELHORNII *Sammlung für die Geſchichte &c.* 8o. 1779. *Hiſtoriam litterariam Ord.* S. *Bened.* *T. I. & IV.*

(*g*) In *Hierarch. Auguſt.* *T. III.* *Regul.* *p.* 110.
(*h*) In *Hiſtorie von Augſpurg*, *T. I.* in *Vorbericht de Script. Rer. Auguſt.* §. 2. *n.* 2.

SUPPLE-

SUPPLEMENTA

AD

I. II. III. IV. V.

ALPHABETUM

BIBLIOTHÉCÆ

AUGUSTANÆ.

Digitized by Google

ALPHABETUM I.

ANEMOECIUS (*Wolſgangus*)

Pag. 9. *lin.* 34. poſt verba: *in Pandect. Brandenburg.* adde:

Hanc *ſecundam* editionem, cui præmittitur ANEMOECII *Dedicatoria ad optimæ indolis puerum Antonium Meutingium diſcipulum ſuum*, data *Auguſtæ*, *pridie Kalend. Junias*, anno 1533. fuſius deſcripſit *Michael* DENIS in Libro: *Wiens Buchdruckergeſchicht. pag.* 373. à quo ſequentia, ad Vitam ANEMOECII noſtri magis illuſtrandam, facientia diſcimus: „ nimirum eum, dum *Monachii* ad „ *S. Petrum* docuit (præter *Tatium* ALPINUM, Ju„ ris poſtea in Academia *Ingolſtadiana* Profeſſo„ rem) *Simonem* LEMNIUM, celebrem Poetam, „ à *Luthero* ſic dicta *Epiſtola paſtorali* impetitum; „ itemque *Wolfgangum* HUNGERUM, ſucceſſu tem„ poris in memorata Academia *Ingolſtadienſi* Ju„ ris Profeſſorem, Cancellarium *Friſingenſem*, Ad„ ſeſſoremque Judicii Cameræ imperialis *Spirenſis* inter diſcipulos ſuos numerâſſe: eundem cum „ quodam PREITNERO *juniore* profectionem in „ *Italiam* præparâſſe: ſed ab illa à Decano *S. Petri* præpeditum fuiſſe; quod *Anemoecius* Veſperis „ intereſſe omiſiſſet, fors etiam animum ad eo „ tempore magis magisque increbeſcentes doc„ trinas propenſiorem oſtendiſſet: hinc eum, vo„ catione accepta, *Ulmam* annô 1532. ſeceſſiſ„ ſe, ibique haud ita diu commoratum *Auguſtam* „ veniſſe annô 1533."

Pag. 10. *lin.* 20. poſt verba: in *Pandect. Brandenburg.* adde:

IV. *Aurea Dicta Pythagoræ.* Horum *Dictorum* explanationem ANEMOECIUM emiſiſſe, teſtis docet

cet certiſſimus *Georgius* PRECHTIUS, qui poſt *Noſtrum* illa *Dicta* anno 1558. *Viennæ* in 4to. edidit, monens in *Dedicatoria*: „ Explanationem *Ane-„ moecianam* ineptam; *ſuam fuſiorem*, *nec verbis „ alligatam*, *ſed Religioni noſtræ magis conſenta-„ neam eſſe*". V. *Michaelis* DENIS *Wiens Buchdrucker - Geſchichte*. *p.* 558. 559. Ceterum quô titulô, locô, annove editio *Anemoecianæ* prodiverit, hactenus indagare haud quivi.

FABRI (*Ioannes*)

Pag. 69, *lin.* 5. poſt verba: *merito legendum &c. &a.* adde:

Hanc *Noſtri* lucubrationem *Nicolaus* OLAHUS *Hungariæ* Primas recudi fecit haud dubie *Viennæ*, annóque 1558; uti bene conjicit *Michael* DENIS in *Wiens Buchdrucker - Geſchichte*. *p.* 679.

Pag. 70. *lin.* 31. poſt verba: *&* QUETIF *l. c.* adde:

His editionibus annumeranda eſt *Viennenſis* latina, anni 1558. in 4to. quam mox memoratus *Olahus*, Archiepiſcopus *Strigonienſis*, ſuis ſumptibus publicavit, teſte *Michaele* DENIS in *Wiens-Buchdruckergeſchichte*, *p.* 567. qui affirmare non intermiſit, „ *Ioannem* FABRI in hoc Opere, mul-„ ta S. Scripturæ, Patrum, & Antiquitatum ec-„ cleſiaſticarum lectione ſeſe exercitatiſſimum pro-„ didiſſe".

GLETLE (*Joſeph Bernardus*)

Pag. 77. *lin.* 23. poſt verba: *Univerſit. Salisburgenſ. l. c.* adde:

GLETLEII noſtri cum laude nuper memoriam egit, provocans inter alia ad meam *Bibliothecam Auguſtanam*, *Judas Thaddæus* ZAUNER in Libro: *Biographiſche Nachrichten von den Salzburgiſchen Rechts-*

Rechts - Lehrern. in 8°. *p.* 38. ex quo, in ſupplementum à me in mox citata *Bibliotheca Auguſtana* dictorum, ſequentia excerpere libet:

„ GLETLEIUS juri diſcundo *Salisburgi* ſub *Her-*
„ *manno* HERMETE & *Ioanne Balthaſare* BRAUNIO
„ operam impendit. Fuit eorum e numero Juris-
„ Conſultorum *Salisburgenſium*, quos ſolida & re-
„ purgata doctrina commendat. Vir multæ lec-
„ tionis ac vaſtæ, & in Scriptis dijudicandis na-
„ ris oppido emunctæ. Videantur in eum finem
„ eius *Quæſtiones ex Parte III. Pandectarum. C.* 21.
„ *n.* 1. ubi Pandectarum Interpretes luſtrat, ac
„ ſecernit: & præcipue eius *Selecta Juris publici*,
„ *C.* 1. in quo eorum, qui ad illud usque tem-
„ pus *de Jure publico* ſcripſerant, Auctorum lu-
„ cubrationes tam rectô, quam liberô judiciô no-
„ tat. Præterea ſtylo uſus eſt puriore, & docen-
„ di ratione magis ſyſtematica, quam illius æta-
„ tis Jurisconſulti catholici conſueverant".

Editiones Operum GLETLEII, à me ignoratas, ZAUNERUS memorat ſequentes: *Tractatus canonico-civilis de Teſtamentis. Pars. I. Salisburgi.* 1733. in 4to. *Selectæ Quæſtiones Juris ex Parte I. Pandectarum.* in 4to. *ibidem.* 1733. *Selectæ Quæſtiones Juris ex Parte II. Pandectarum.* in 4*to ibidem.* 1706. *Jurisprudentia fundamentalis, ſeu prima &c. ibidem.* 1735. 4*to.*

Ad Librum: *Anatomia Legis Amortizationis & Immunitatis eccleſiaſticæ*, quod attinet, ZAUNERO non probantur, quæ *P. Franciſcus* SCHMIER, & *Hiſtoria Univerſitatis Salisburgenſis* de eo, tum ad GLETLEII, tum ad ipſius Univerſitatis famam ſervandam, monuerunt. Contra placent illi, quæ perſonatus Editor, qui primum *octodecim* ab obitu *Noſtri* annis partum illum produxit in lucem, ipſe

ipſe lucifuga, aſſeverare non dubitavit. At huius Editoris haud tanta eſſe videtur auctoritas, ut fidem mereatur. Deinde (ut dem, GLETLEIUM de Immunitate eccleſiaſtica præter ſolitum ſenſiſſe) quis eſt, qui in ſe recipiat, larvatum editorem in *Opere*, ut ait, *poſthumo*, cui nomen ſuum præfigere ſtudioſe omiſit, non omnia licere ſibi putâſſe: adeo ut de vera jactati Auctoris mente jam certi quidquam ſtatui, amplius haud queat.

Utcumque ſit: memorata *Anatomia* rurſus anno 1740. *Heidelbergæ*, in 8°. typis excuſa fuit.

MARIANUS (*Chriſtophorus*)

Pag. 127. lin. 24. poſt verba: *Bibliotheca theolog. T. I. p. 114.* adde:

De hoc Opere *Noſtri* egit quoque *Frid. Gotthilf.* FREYTAG in *Adparatu litterario*, ubi *libros partim antiquos partim raros* recenſet. *T. I. p.* 109. candide profitens, ſe plane ignorare, quis, qualisve MARIANUS fuerit? Sed hoc ſatis abundéque ex iis, quæ ego de illo narro, diſcet, quisquis volet: atque inde cognoſcet, *non tam altum eſſe de Auctoris Vita ſilentium*, ac FREYTAGIUS pertendit. Vocat deinde idem hoc Opus „*Argumentum Satyræ abſurdiſſimæ in Evangelicos Proteſtantes*, iocis, riſu, ineptiis, laſcivia plenæ, Plautinis magis, quam Paulinis dictis diſtinctæ, *ut Auctor ait.*" Equidem hæc ſunt verba MARIANI in *Dedicatoria*, ſed, ut verus eorum ſenſus percipi queat, ecce tibi, Lector! locum iſtum non mutilatum, ſed integrum & omnibus ſuis verbis perſcriptum:

Sed fallor, an (neſcio quis) mihi aurem vellicat, & immurmurat: Tantóne Viro tantulum Convivium

vivium dicari, et quidem à theologo, riſu, jocis, ineptiis, laſcivia plenum, Plautinis magis quam Paulinis ſententiis diſtinctum &c. *Sane, Reverendiſſime Præpoſite! rem iſte meram et meam loquitur. Et hic fuit hactenus mihi, quod aiunt, unguis in ulcere. Norunt enim amici cæteri, ſimilia me judicia & cavillationes pertimuiſſe, atque adeo vix tandem conceſſiſſe, ut* Convivium *hoc emitterent: non quod defenſio juſta deeſſet, ſed quod quietem turbis & litibus, quas mihi paratas ſciebam, anteferrem. Ceteroquin quod ad ipſum genus hoc ſcribendi attinet, tantum abeſt, ut iſta commentatum eſſe poeniteat, ut à quibusdam etiam gratiam ſperare poſſe aut debere videar. Quid enim eſt, in hoc* Convivio *Theologo Auctore indignum; ſive rem, ſive modum, ſive finem ſcriptionis huius conſideres?* Tum tria hæc capita: *Rem, modum, Finem,* multis exponit, ac purgat Auctor, quem, ſi lubet, vide.

REMUS (*Ægidius*)

Pag. 153. *lin.* 21. poſt verba: *donec tempus plura doceat*, adde:

Multiplici indagandi labore perfunctus ſequentia, ad *Noſtrum* ſpectantia, ulterius detexi:

Paviæ in *Italia* commorans, una cum *Ulrico* HUTTENIO Equite, græcis litteris ſtuduit. *Matthæo* LANGIO Cardinali &c. Archiepiſcopo *Salisburgenſi*, cuius *Vitam* in *Alphabeto V. Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ* fuſe expoſitam habes, *à ſecretis Epiſtolis*, poſtea etiam *à ſecretis Conſiliis* fuit. Quando idem Cardinalis à rebellibus Subditis anno 1525. in Arce *Salisburgenſi* obſeſſus fuit, una cum illo manſit, malorum ſocius. Unde &

II.

II. *Hiſtoriam Obſidionis eius* ſcripſit: quam poſt duo ferme ſæcula *Marcus* HANSIZIUS in *Metropoli Salisburgenſi*, *pag.* 605 — 608. luci dedit.

De *Noſtro Caſparus Urſinus* VELIUS hæc cecinit:

Ægidius præſtante REMUS *cognomine*, *quo non*
Candidiorem animam Lucina in luminis auras.
Protulit, *ipſe* ſacras leges, Romanaque jura
Novit, *& eſt inter Conſultos Principis unus.*

& *Richardus* BARTHOLINUS (Vide FREHERI *Script. Rer. German. T. II. p.* 640 & 664.) in hæc verba ſcripſit: *Interim ego ad* COLOMITIUM *meum*, *quem Mecoenati ſimillimum judico*, *me contuli; ubi & Pierium* GRACCHUM (*Callimachum aut Philetam alterum*; *ita elegos ſcribit*) STABIUM, STIBORIUM*que Mathematicos*, *ac* Ægidium REM Jureconſultum, Virum tum moribus cultiſſimum, tum Hiſtoriarum diſputatorem ſubtilem ac eruditum, *conveni: qui apud* COLOMITIUM *convictores fuerant*, *nullusque non dies eſt*, *in quo & diſputando*, *& legendo quippiam præclarum aſſequi non poſſis* . . . Hoc BARTHOLINI teſtimonio adductus *Fauſtinus* PROCHASKA in Libro: *Miſcellaneen der Böhmich-und Mähriſchen Litteratur*, *T. I. p.* 75. noſtrum *Ægidium*, membrum *Sodalitatis Danubianæ* fuiſſe, aſſerere non dubitavit. Vide *Indicem* citati *Libri*: & *Michaelis* DENIS *Wiens Buchdruckergeſchicht. p.* 218: et *Alphabetum V.* meæ *Bibliothecæ Auguſtanæ*, *p.* 63.

Cum variæ ſint Scriptorum de anno, quo *Noſter* epiſcopatum *Chiemenſem* adivit, item quô annô vivendi finem fecit, ſententiæ; optimum fore judico, ſequi ea, quæ tradit Liber: *Parnaſſus Boicus.* in 8. *CLXV. Bericht*, *pag.* 424. ubi ſeries Epiſcoporum *Chiemenſium* ex monumentis

Chie-

Chiemenſibus accurate diſponitur, ſuoque ſinguli loco nominantur; etſi hinc inde lacunæ occurrant, quæ ſuppleri haud poterant. „ Antecedit „ ibi *Noſtrum Bertholdus* PURSCHTINGER, non „ PIRSTINGER, qui anno 1508. epiſcopatui „ præeſſe cæpit, vulgavitque Librum: *Teutſche* „ *Theologey*, quem anno 1527. ex *Rottenhaſlach*, „ die 4. Decembris, *Matthæo* LANGIO Cardinali „ & Archiepiſcopo *Salisburgenſi* dedicavit. Unde „ corrigi debet *Catalogus Epiſcoporum Chiemenſium*, „ *Hiſtoriæ Salisburgenſi FF.* MEZGERORUM ſubne„ xus, qui jam anno 1520. *Bertholdo* ſucceſſo„ rem in epiſcopatu malè aſſignat (*). *Berthol*„ *do* ſuccedit *Ægidius* REMUS, *ex antiquiſſima fa*„ *milia Remiorum Auguſtæ, Canonicus cathedralis* „ priùs *Paſſavienſis*: qui *rexit epiſcopatum annis* „ *ſex.* Hunc ſequitur *Hieronymus* MEITTINGE„ RUS, itidem Canonicus *Paſſavienſis*, qui anno „ 1536. epiſcopatum obtinuit &c". Hæc ſufficiant pauca quidem, at certa.

(*) *Eſt, cur dubitem, utrum hoc rectè moneat* Parnaſſus Boicus; *nam cum* Matthæus LANGIUS *in* Epiſtola, *anno* 1528. *ad* Bertholdum *data, inferius in* Addendis ad Alphabetum V. *afferenda, eum vocet* Epiſcopum quondam Chiemenſem, *factum eſſe ſuſpicor, ut* Bertholdus *anno* 1520. *vel poſtea*, ob decrepitam ætatem (*ut ipſemet haud obſcure innuit*) *epiſcopatu deceſſerit.*

REMUS (*Georgius*)

Pag. 163. *lin.* 3. poſt verba: *Francof.* 1612. *excuſis*, adde.

Duo etiam *Carmina* noſtri *Georgii*, minime inſipida, in laudem *Epitaphiorum Auguſtanorum* à *Daniele* PRASCHIO in 4to. editorum habentur in limine eius Operis.

Pag. 164. *lin.* 28. poſt verba: *vulgatam migraverunt*, adde.

Similiter *Q. Aurel.* PRUDENTIUM illuſtrare non intermiſit, teſte *Io. Alberto* FABRICIO *Biblioth. lat. T. II.* dicente: *Notæ Georg.* REMII *in loca quædam* PRUDENTII *Cathemerinon*, *Apotheoſin*, *Hamartigeniam*, *Pſychomachiam*, & *contra Symmiachum*, *leguntur in editione Weitziana*, *p.* 508. 519. Sancto inſuper *Auguſtino* operam navaſſe, REMUM, vel ſaltem navare cogitâſſe, teſtis eſt HOESCHELIUS, in *Epiſtola XV.* ſuperius *pag.* 95. allata. Idemque nos docet in *Epiſtola VIII.* ſupra *p.* 87. propoſita, REMUM editionem *Hypomnematum Græcorum Patrum in Proverbia Salomonis* meditatum fuiſſe.

Pag. 166. *lin.* 8. poſt verba: *Vol. I. n.* 10 (*f*) adde.

Epiſtolas XI. ad *Ioannem* MEURSIUM habes in Editione noviſſima *Florentina Opp. Meurſii. T. XI.*

Pag. 168. *lin. ult.* poſt verba: *vix crediderim*, adde.

XXIII. *Carmen* autographum, quô *Noſter* catholicum de Meritis bonorum Operum dogma taxavit, in *folio*, eóque unico, inter manuſcripta ſuæ Bibliothecæ habuit *Io. Wern.* HUBERUS *Baſileenſis*, teſte *Catalogo eius Bibliothecæ*, *p.* 13. *n°.* 60.

In Addendis & Emendandis

Ad Diatriben: de Origine & Incrementis Artis typographicæ in Urbe Auguſta Vindelica: *pagina penultima*, ubi de *Erhardo* RATDOLT ſermo eſt, adde poſt verba (*Vide litterariſches Muſeum. Vol. II. faſc.* 2. *p.* 273.)

Saliſburgenſis pariter metropolitica Eccleſia *Erhardi* opera utendum ſibi cenſuit, dum ei *Statuta provincialia*, in Synodo anni 1490. conſcripta, tranſmiſit: quæ *Noſter* anno ſequenti (1491.) in

folio

folio, typis excudit. Extant in Bibliotheca *Sanctudalricana*, *Auguſtæ*. Confer, ſi lubet, *P. Placidi* BRAUN, Amici mei inprimis colendi, *Notit. hiſtor. litterar. P. II. p.* 217. ubi plura de *Ioanne* quoque BÆMLERO et controverſis *Bibliis*, anno 1466. ab eodem excuſis, videre eſt in *Præfatione.*

Pag. ultima, *lin. ultima*, poſt verba: *qui annis &c. &c. &c.* adde.

In numerum Typographorum *Auguſtanorum* venit inſuper *R. Paulus* ÆMILIUS, à quo in Bibliotheca electorali *Bavarica*: *Pentateuchus Legis*... *cum Lectionibus in lingua germanica per manus R. Pauli Æmilii in Auguſta*, *Anno* 304. *in folio.* extat: qui ÆMILIUS in fine ſuarum *Epiſtolarum* ad inclytiſſimum Virum *Widmanſtadium* ſe nominare ſolebat *Typographum* ad *S. Urſulam* (bei Santt Urſtſil) *Auguſtæ*; uti monet *Gerhoh.* STEIGENBERGER in *Verſuch von Entſtehung &c. der churfürſtlichen Bibliotheck in München. p.* 21. Confer *Paul.* à STETTEN *junioris Kunſt-Gewerb-und Handwerck-Geſchichte von Augſpurg*, *T. II. p.* 10. ex quo diſcimus ſequentia, *pag.* 9. 10.

„ *Erhardum* RATDOLTUM, antequam ad artem „ typographicam ſe contulit, ſcriniarium, non trivia-„ lem, ſed artificio ſummegiſſe: eumque anno 1473. „ quadriennio nimirum, priusquam *Venetiis* ad cu-„ dendos libros incubuit, ſtatuam Viri ex gypſo in „ Curia, haud proletariæ artis opus, finxiſſe„.

De Libro: *Tewrdannck*, anno 1517. *Norimbergæ* excuſo, diſputant, utrum Textus litteris mobilibus excuſus, an buxo inſculptus ſit? Hoc poſtremum in *Præfatione noviſſimæ Editionis* eius Libri, *Auguſtæ* anno 1679.. publicatæ, diſertîs verbîs aſſeritur: et ocularis accuratior inſpectio, ductúsque, ſupra infraque elementa ſeu litteras

 con-

conſpicui, probant. Eiusmodi enim typos typographi componere neſciunt. Quare ego argumenta, quibus litteris mobilibus eſſe procuſum, afferere quidam conantur, poſthabens, veteri ſententiæ, Textum buxo inſculptum affirmanti inhærendum reputo: mecumque reputant plures, à me conſulti, typographi, quorum hac in quæſtione auctoritas magni ponderis eſſe cognoſcitur.

★ ★ ★

ALPHABETUM II.

CÆSAR (*Ioannes*)

Pag. 32. *lin.* 7. poſt verba: *appellatum eſſe innuit*, adde.

Hunc *Ioann. Baptiſtam* Cl. *Henr. Chriſt.* SENCKENBERG in *Præfat. ad T. I. Selectorum Juris & Hiſtoriarum*, *p.* 33. ubi de litterariis Urbis *Francofurtenſis* laudibus agit, unà cum *Pio Felice* CÆSARE, Eruditis eius Civitatis annumerat; et *l. c. p.* 549. *Syndicum* urbis eum nominans monet, *Ioannis Baptiſtæ*, haud dubie noſtri, „ *Notas in Statutum Francofurtenſe*, paucas illas, in quadam „ Bibliotheca privata ſe vidiſſe, at Bartolum et „ Baldum adeo ſonantes, ut his Monarchis magis, quam Reformationi intentus fuiſſe videatur.

CÆSAR (*Pius Felix*)

Pag. eadem, *linea ultima*, poſt verba, *Verſionem Germanicam*, adde.

Excutiens forte *H. C.* SENCKENBERG *Selecta Juris &c.* repperi, memorata duo Opuſcula *Pii Felicis* noſtri diverſa inter ſe eſſe; nam *prioris* titulum ſic effert SENCKENBERGIUS:

Recht-

Rechtliche Deduction, Bedencken, und Antwort auf die frage: Ob (*) dem eingeriſſenen Unweſen in des H. R. Stadt Franckfurt die Rädleinsführer und Uhranheber deſſelben, vermög habenden Kayſerl. und Königl. Privilegien, vor des H. R. Acht, und andern Beſtraffungen befreyet ſeyn, oder nicht? *Gedruckt zu Höchſt im Iahr* 1615. *in* 4*to.* Hæc *Deductio* latine etiam anno eodem, in 4to. emiſſa fuit.

(*) Addendum videtur: *bey.*

DREXELIUS (*Hieremias*)

Pag. 55. *lin.* 16. poſt verba: *Germanica* 4000. adde.

Opus hoc, in linguam *gallicam* verſum â *P.* COLOMME *Barnabita*, nuper prodiit *Pariſiis*, apud *Briand*, ſub titulo: *Eternité malheureuſe &c.* Vide *Religions-Journal. Maynz. XIII. Jahrgangs V. Stück, pag.* 471.

IMHOF (*Auguſtinus*)

Pag. 83. *lin. ultima*, poſt verba: *S. Auguſtini*, adde.

Memoriam *Noſtri* etiam agit *Io. Chriſtoph.* ADELUNG in *Fortſezung-und Ergänzungen des Jöcherſchen Gelehrten-Lexicon. T. II. p.* 2278. ubi ei adſcribit:

VIII. *Leben der S. Margaretha von Kreuz*, ex latino *Nicolai de Roncaglia.* 4to. *Auguſtæ.* 1687.

Errat autem ADELUNGIUS, Noſtrum *Auguſtinianum* faciens; nam aliud eſt, *Auguſtinianum*: aliud *Canonicum Ord. S. Auguſtini* eſſe.

MARSCHALLUS (*Matthæus*)

Pag. 36. *lin.* 3. poſt verba: *annis creverat*, adde.

Et ſtudiis in Academia *Ingolſtadiana*, in cuius *Annalibus*, *T. I. p.* 10. eum inter *Inſcriptos* ad annum 1475. lego, vacaverat.

VANNIUS (*Udalricus*)

Pag. 126. *lin.* 18. poſt verba: *virginei partûs* 1509. adde.

Condiderat nimirum circa illa tempora *Maximilianus* I. Imperator, Princeps litterarum bono natus, *Collegium* quoddam *Viennæ*, in quo *clariſſimi & ætate provectiores adoleſcentes* optimarum diſciplinarum præceptis erudiri ſolebant. Hoc ipſum nomine *Palæſtræ Viennenſis* (niſi me fallunt omnia) vocat *Noſter*: in quod tum PEUTINGERI commendatione, tum PEUTINGERO amiciſſimi *Blaſii* HOELZELII interventu admiſſus, inter alios complures etiam *Joann.* VOLSCIUM *Zwollenſem*, *Nicol.* GERBELLIUM, *Joach.* VADIANUM commilitones ſtudiorumque ſocios habuit; qui egregii juvenes in ſcribendis verſibus tractandaque poëſi inter ſeſe mira æmulatione certârunt: prout *Fauſtinus* PROCHASKA in Libro: *Miſcellaneen der Böhmiſch-und Mähriſchen Litteratur*, *T. I. p.* 72. 73. & VADIANUS ipſe in *Præfatione* ad Eclogam: *Fauſtus*: anno 1516. *Viennæ* in 4to. impreſſam teſtantur.

Pag. 126. *lin.* 19. poſt verba: *Noſtri & Ioann.* FRUTICENI, adde.

(Hunc *Sodalitatis Colomitianæ* membrum fuiſſe repperio in *Fauſtini* PROCHASKA *Miſcellaneen der Böhmiſch- und Mähriſchen Litteratur*, *T. I. p.* 74. 76. 79. ubi *Caſp.* VELIUM *Urſinum* citat, de FRUTICENO in hæc verba canentem:

Inſigni mihi ſede collocetur
Facundo Fruticenus *ore notus.*)

tum perge: *juvenum adhucdum* &c.

VELSE-

VELSERUS (*Marcus*)

Pag. 183. *lin.* 17. poſt verba: *texere in animo eſt*, adde:

Profectò quam acutè in Scriptis *Hiſtoricis* viderit, ſatis declarat eius de THUANI *Hiſtoria* iudicium. Miſerat ille Vir doctus *Noſtro* Opus ſuum, *Noſtri*que de eo ſententiam exquirebat: qui reſcribens THUANO, cum ei ſtyli elegantiam non ademerit, plerisque tamen gravioribus rebus ab eodem narratis vix quidquam veritatis ineſſe, modeſte quidem, ſed tamen ſatis aperte ſignificavit. En illius verba: *De Cenſura*, inquit, *quod petis; magna eſt futura Scriptionis ad omnem poſteritatem ſine controverſia commendatio. De rebus; Palaemon ego non ſedeo. Nimis quam difficile homini nato affectus exuere, et ſemper rectà ad veritatis ſcopum collineare. Caroli et Franciſci, exempli cauſſa, hiſtoriam quî non aliter Gallus, aliter Germanus narret? Nec unquam alter alteri, quod veriſſimum eſſe ipſe credat, et quovis pignore contendat, tamen perſuadeat. Iam in ceteris eadem eſt ratio; ubi præſertim ad conſilia, ad jura provinciarum, ad bellorum cauſſas, ad privatam Principum vitam, et multo maxime ad cauſſam Religionis ventum. Veritas fere imo puteo latet. Nos ſummam ſæpe pro ea aquam libamus, aliena præſertim fide, tanquam hauſtris, uſi*: Apertius deinde *Noſter* ſuam de eo Opere mentem *Scipioni* GENTILI, id quidem ægre ferenti, cùm *Auguſtam* tranſiret, verbîs explicuit. Contra idem VELSERUS de BARONIO eiusque *Annalibus eccleſiaſticis* pro merito honorificentiſſimum judicium tulit. Sed, cum me breviorem eſſe, multa cogant, de his omnibus conſule *Hieronymi* LAGOMARSINII *Actionem in Thuanum*, inter *Julii* POGGIANI *Epiſt. & Orat. T. II. p.* 384. & 401.

 item

item *Caſp.* SAGITTARII *Introduct. in Hiſtoriam eccleſiaſt. p.* 155. & 295.

Pag. 207. *lin.* 8. poſt verba: *ausnehmend gezeigt*, adde.

Cum in hoc Opere plura Numiſmata proponat VELSERUS, ob id *Anſelmus* BANDURUS *Noſtro* locum in *Bibliotheca* ſua *numiſmatica* aſſignare nullo modo dubitavit, in qua ſequens eidem encomium ſcripſit, *pag.* XX.

Marcum VELSERUM *Auguſtanum, præcipuam inter Germanos ſuæ ætatis Antiquarios eruditionis, diligentiæ, iudicii laudem merito jure conſecutum eſſe conſtat. Huius ſunt* Rerum Auguſtanar. Vindelicarum Libri VIII. &c. *cuius in Operis Libr. VI. Numiſmata quædam in Rhætia et Auguſtæ Vindelicorum, ut quidem opinatur, cuſa: nec non alia in VII. et affabre ſculpta exhibuit, & accurate interpretatus eſt.*

Pag. 223. *lin.* 6. poſt verba: *à ſe denuo editos*, adde.

XI. Epiſtolam unam ad *Joſephum* SCALIGERUM (aliam ab editis inter *Opp. Velſeri Norimbergæ.* fol.) exhibet *Thomas* CRENIUS in *Animadverſ. philolog. & hiſtor. T. IV. p.* 147. Exordium ſequens eſt: *Salve, Vir illuſtris! Liturgiæ Româ Venetias jam redierunt: inde cis paucas dieculas hîc exſpectamus &c. &c.* XII. Epiſtolas *duas* ad *Cæſarem* BARONIUM reperire eſt in eiusdem *Cardinalis Epiſtol. & Orationibus. Romæ in* 4to. 1759. *Tom. I. p.* 277. & 465. in quarum prima *Annales eccleſiaſticos* laudat, tantúmque Opus ab alio, quam *Baronio* non potuiſſe perfici arbitratur: quasdam de Sanctorum Geſtís quæſtiones proponit: demum *Fulvio* URSINO officioſam â ſe ſalutem nunciari flagitat; in *ſecunda* vero mittit BARONIO exemplar Frag-

Fragmenti *cuiusdam Synodi*, ſæculo VIII. celebratæ, *nono Annalium Tomo* inſerendum.

Pag. 226. *lin.* 12. 13. poſt verba: *fors etiam p.* 803. 804. adde.

Certiora ſunt, quæ de *Catalogo Epiſcoporum Auguſtanorum*, à *Noſtro* contexto, monuit *Iacob.* GRETSERUS, in *Præfatione*, ad *Catalogum hiſtoricum Epiſcoporum Eichſtettenſium*, dicens: *Bonam operam navavit Caſpar* BRUSCHIUS ... *cum Catalogum Epiſcopatuum, et qui eos adminiſtrârunt, Epiſcoporum collegit, collectosque in lucem dedit: cuius veſtigia alii poſtea ſecuti accuratius quarundam Dioeceſeon & Præſulum indices texuerunt, ut* SERARIUS *Moguntinenſium*, GUILLIMANNUS *Argentoratenſium, Marcus* VELSERUS *paulo ante mortem ſuam* (Obiit ille 1614. die 23. Junii) *Auguſtanorum, et Viguleius* HUNDIUS *eorum, qui metropoli Salisburgenſi ſubjiciuntur.* Prodiit certe anno 1614. appoſito *Pinûs* inſigni, *Auguſtæ*, in 4to. *Epiſcoporum Auguſtanorum Vindelicorum Catalogus. Inſertis nominibus plerorumque Canonicorum et Civium Auguſtanorum, qui ad eccleſiaſticas dignitates evecti. Excudebat Chriſtophorus Mangus.* Dicavit *Ioann.* KRUEGERUS Civis & Bibliopola Auguſtanus *Henrico* Epiſcopo Auguſtano, in *Dedicatoria* his verbis uſus - *Honorati & eruditi hominis Catalogus Epiſcoporum, Auguſtanorum, quam maxima potuit, cura ſtudioque compoſitus cum mihi nuper offerretur, feci non gravate, ut eum ſumptu meo excudendum darem. Nec videre potui, cui* συνταγμάτιον *iſtuc, vel pro ſucceſſione iuſtius, vel pro tempore* (in xeniolum videlicet anni huius novi) *commodius dedicarem, extra Celſitudinem veſtram.* ... Tribuunt *Catalogum* hunc *Wolfgango* HARTMANNO Perilluſtris *Paulus à* STETTEN *ſenior* (Vide eius *Hiſtorie von Augſpurg, T. I.*

 in

in *Vorbericht de Scriptoribus Rerum Auguſtanarum*) et haud dubie huius auctoritate motus WEGELINUS in *Bibliotheca Scriptorum Rerum Suevicarum*, *pag. LXII.* Sed ego hunc eſſe *Catalogum* illum, à GRETSERO indicatum: et (quod ſequitur) VELSERI eſſe, quaſi pro certo reputo. Perſuadet hoc teſtimonium GRETSERI ſynchroni; perſuadet locus impreſſionis, et typographeum ipſum, ex quo prodiit; perſuadet adeo tempus editionis; perſuadet denique, quod nullus alius *Catalogus Epiſcoporum Auguſtanorum*, circa illa tempora typis procuſus, habeatur. Interim non negârim, *Hartmannum* forſitan editorem *Catalogi* huius eſſe (quod infirma valetudo, familiaris rei triſtis perturbatio, aliæque tacitæ rationes VELSERO ſuaſerint, ut ne ſuum nomen præponeret) quanquam nec KOENIGIUS in *Bibliotheca veteri & nova*: nec Liber: *Allgemeines hiſtoriſches Lexicon*, dum alia HARTMANNI Opera recenſent, hocce ei attribuant.

* * *

ALPHABETUM III.

FREHERUS (*Marquardus*)

Pag. 36. *lin.* 8. poſt verba: *Commentarium*, *pag.* 194. & 352. adde.

Poſt SCHUTZIUM etiam *Anonymus* quidam ex Ordine *Minoritarum Conventualium*, in Opere à ſe vulgato: *Romani Pontificis ſumma Auctoritas*, *Jus*, & *Præſtantia* &c. in 4to. *Faventiæ.* 1779. multis FREHERUM redarguit, dignus, quem conſulas, Lector!

Pag.

Pag. 45. *lin.* 20. poſt verba: *filum abrumpit*, adde.

Quid de *Originibus* hiſce, tum etiam de *Corpore Juris Græco-Romani*, deque FREHERO ipſo ſenſerit *Conrad. Samuel* SCHURZFLEISCHIUS, exponit *Godefredus* WAGENER in *Schurzfleiſchianis* ſuis, *pag.* 76. verbis ſequentibus: *Marquardus* FREHERUS *Aſſertor Juris Palatini maximus. Videatur Liber* de Originibus Palatinis, *Liber* (*dico*) *multæ eruditionis et tuendæ Palatini Electoris cauſſæ peridoneus. Magis intellexit veterem Reipublicæ Germanicæ ſtatum, quam hodiernum* (*Goldaſtus de Regno Bohemiæ, II.* 16. *n.* 1.) *Edidit Tomos luculentos Juris Græco-Romani.*

STENGELIUS (*Carolus*)

Pag. 181. *lin.* 14. 15. poſt verba: *de hoc ipſo* Scripto *detineam*, adde.

Superat unum, quod monere plane debeo, nimirum *Noſtri Epiſtolas*, numerô XLI. ad *P. Ioannem* RIEBER. Cænobitam *Weingartenſem* (Non BUCELINUM; uti male ſcripſit *G. G.* ZAPF in *Reiß-Beſchreibung durch einige Klöſter Schwabens.* 4to.) in dicto monaſterio exſtare; ex quibus res eo tempore geſtæ non parum illuſtrari poſſent.

THOMÆ (*Hieronymus*)

Pag. 208. *lin.* 27. poſt verba: *curavit recudendam*, adde.

Aſſuere hôc loco oportet, quæ de *Noſtro Godofr.* WAGENER in *Schurzfleiſchianis*, *pag.* 108. memoriæ prodidit: *Hieronymus* THOMÆ, *Auguſtanus, Gieſſæ æqualis meus* (videlicet SCHURZFLEISCHII) *& Poetices teutonicæ gnaviter ſtudioſus ac litterarum humaniorum mediocriter gnarus, animum*

ad

ad Jus applicavit, non oblitus Hiſtoriæ; modo non præcipitaſſet conſilium, cum uxorem Gieſſæ duceret: ex quo factum, ut, propter rem tenuem, Auguſtam Vindelicam recipere ſe, corrigendæ fortunæ cauſſâ, coactus fuerit.

TRADELIUS (*Georgius*)

Pag. 218. *lin.* 2. poſt verba: *hilaritatem provocabat*, adde:

Facilis hæc et amoena converſandi ratio ita *Salomonem* FRENZELIUM *Vratislavienſem*, *Poëtam laureatum*, affecit, ut is *Noſtro* eiusque filio *Philippo* ſuam *Brevem et ſuccinctam Adumbrationem Auguſtæ Vindelicorum urbis in Germania Auguſtiſſimæ*, verſibus conſcriptam, dedicandam omnino cenſuerit: Nam, cum ab iis non ſolum in amicitiam receptus, ſed ſpecialibus benevolentiæ ſignificationibus exceptus eſſet, cohibere ſe nequiit, quin publico ſcripto, tum ad gloriam urbis *Auguſtanæ* perpetuandam maxime idoneo, tum noſtris temporibus ob ipſam ſui raritatem plurimum commendabili, gratum eisdem animum palam teſtaretur.

* * *

ALPHABETUM IV.

KNOERINGEN (*Io. Egolphus de*)

Pag. 10. *lin.* 12. poſt verba: *quoad viveret, remaneret* (*b*) adde.

Ibi ita STIBLINO & DINNERO placuit, ut ii, ſua *de Cæde Melchioris Zobell Epiſcopi Wirceburgenſis Carmina* Noſtro dedicantes, non ſolum ſe *eiusdem multas ob cauſſas ſtudioſiſſimos*, libere *profeſſi ſint*; ſed etiam præclarum ſtudiorum teſtimonium

nium eidem dederint hisce verbis: *Deus opt. max. ſtudia tua, quæ fæliciter & magno bonorum virorum applauſu ſuſcepiſti, ſemper gubernare ac provehere velit! ut olim te talem Reipublicæ præſtes, qualem te fore non modo ſperamus, ſed jam pro certo habemus ... Friburgi Briſgoiæ, die* 16. *Febr.* 1561. Vide *Ign.* GROPP *Script. Rer. Wirceburgenſ. T. I. p.* 317.

Pag. eadem, lin. 15. 16. poſt verba: *Canonicus Herbipolenſis et Scholaſticus*, adde.

(Et poſſeſſionem quidem huius Canonicatus per Reſignationem *Martini de Helldritt* anno 1556. 20. Octobr. accepit: *Capitularis* dein factus eſt anno 1561. Ad *Scholaſtici* vero dignitatem adſcendit anno 1564. die 20. Novembris; uti monet mox citatus GROPP *l. c. p.* 717.)

Pag. 15. *lin.* 11. 12. poſt verba: *Eccleſiæ profuturos ſperabat*, adde:

Minime hôc locô prætereundum mihi eſt, quod de *Noſtro* in *Ignatii* GROPP *Scriptoribus Rer. Wirceburgenſ. T. I. p.* 57. narratur verbis ſequentibus: *Io. Ægolph. à* KNOERINGEN, *ſummi Templi* (Herbipoli) *Scholaſticus ... anno* 1565. *puerorum Scholam ad ſummam Ædem* (ibidem) *reformavit & redditibus annuis dotavit. Munificam Reformatoris operam Inſcriptio ſupra Scholæ januam exarata omnibus prætereuntibus, cum perenni eiusdem præconio, commendat:*

D. O. M.

Cum ad Dei laudem et Reipublicæ huius felicem diuturnitatem non minus pertineat, juventutem una cum pietate bonis litteris, probisque moribus inſtitui: quam urbem mæni-

mænibus cingi ac firmari; tutiſſimum quippe præſidium longæ incolumitatis in prudentum Virorum conſiliis & ſapienti omnium rerum adminiſtratione poſitum eſt. Quare Ioannes Egolphus ex nobili et equeſtri â Knoëringen familia natus, huius Templi Scholaſticus, & Auguſtanus Canonicus hancScholam & Muſarum Domicilium, authoritate ſummi huius Templi Senatûs, ex officio, quo fungebatur, legibus reformavit, ac certis quibusdam redditibus dotavit, Opusque præſens ſuis ſumptibus P. C. Anno Chriſti M. D. LXV.

SCHAUMBURG (*Petrus à*)

Pag. 26. *lin.* 78. ubi de *Ioanne a* WERDENBERG agitur, poſt verba: *peritis ubique munita*, adde.

Non ſolum autem ſuis, ſed & exteris ob doctrinam admirationi fuit; Hinc fama eius excitatus *Rudolphus* AGRICOLA *Friſius*, Vir in orbe litterato notiſſimus, a ſe *latine* verſum LUCIANI *Libellum de non facile credendis Delationibus* nomini *Ioannis* noſtri inſcribere non dubitavit, in *Dedicatione* præter alias Antiſtitis laudes hanc præcipue mirari ſe profitens, quod is adverſus Delationes, quas apud ipſum, utpote in principatu poſitum, multas fieri neceſſe ſit, tam invictum tamque immotum præſtet animum. V. *Rudolphi* AGRICOLÆ *Lucubrationes*. 4to. *Coloniæ*, *p*. 245.

Sub hoc digniſſimo Antiſtite vixit *Magnus* PIRGMANN vel PIRCKMAYER Plebanus in *Pfrontzen*, *Poenitentarius generalis* memorati Præſulis,

et

et *Vicarius Chori* Eccleſiæ *Auguſtenſis*, ut ſemet ad annum 1478. vocat. Ab hoc vidi in Bibliotheca Eccleſiæ Cathedralis *Auguſtæ* manuſcriptum *Modum emendandi publicos peccatores in Indulgentiis plenariis pro S. Cruciata per Innocentium Papam VIII. conceſſis pro partibus Alamanniæ & præcipue in Dioeceſi Auguſtenſi obſervatum.* Obiit annô 1502. 5. Kal. April.

Pag. 27. *lin.* 34. ubi de *Friderico a* ZOLLERN ſermo eſt, poſt verba: *gloriari liceat*, adde.

Sub *Friderico* Epiſcopo exſtitit *M. Sixtus* HAUGEN, cuius memoriam ſervavit nobis Liber quidam Bibliothecæ Eccleſiæ cathedralis, hac ſubſcriptione: *Hoc Opus*, Graduale *dicier vulgo ſolitum, permaximis & cura et ſollicitudine* Magiſtri Sixti Haugen *reviſum et caſtigatum finit feliciter, impreſſum Auguſtæ induſtria & impenſis Erhardi Ratdolt.* 1494. *XII. Kalend. Julii.*

Sub eodem *Friderico* vixit quoque *Ioannes* ZIEGLER, à quo vidi in Bibliotheca RR$^{mi.}$ Capituli Eccleſiæ cathedralis *Directorium*, in 4to. rubronigre impreſſum ab Erhardo *Ratdolt* anno 1497. 18. Kalend. Februar. in cuius capite leguntur ſequentia: *Quapropter* Fridericus *Dei et apoſtolicæ Sedis gratia Auguſtenſis Antiſtes* .. *Erhardo* Ratdolt *præbuit ſuum conſenſum ad imprimendum ſupradictum* Indicem . . . *Quale Opus ſagacitas ſua diligenti diſcuſſione ac emendatione per venerabilem Virum Ioannem* Ziegler, *ſacerdotem ac vicarium chori Auguſtenſis, in hac parte expertum* ... *ſub debita diſpoſitione Feſtorum ſolennium celebrandorum, tam mobilium quam etiam fixorum, per Rubricas, ad modum Kalendarii conſummari fecit; pro quo orate.*

Pag.

Pag. 28. *lin.* 20. ubi de *Henrico à* LICHTENAU agitur, poſt verba: STEINER 1766. *vulgato*, *p.* 137. adde.

2. *Litteras Indulgentiarum* 40. *dierum*, Fraternitati *S. Crucis* in oppido *Schwarzach*, petente *Nicolao de* TETTELBACH *Armigero*, à *Noſtro* datas annô 1510. pridie Idus Martii, integras exhibet *Ignatius* GROPP in *Script. Rer. Wirceburgenſ. T. I. p.* 24.

Pag. 30. *lin.* 24. ubi de *Henrico de* KNOERINGEN ſermo eſt, poſt verba: *Academiæ T. II. p.* 113 & 117. adde.

Dehinc luſtravit *Italiam*, eiusque mores et ſtudia litterarum, *ut experientiam*, *prudentiam*, *civilis & eccleſiaſtici Juris peritiam*, *velut pretioſas merces*, *ſecum inde referret.*

Pag. 32. *lin.* 18. ubi de eodem *Henrico* ſermo eſt, poſt verba: *ſtudium vetat*, adde.

4. *Epiſtolam ad Cæſarem* BARONIUM, quâ *Noſter* luculentas non minus, quam ſinceras perſolvit gratias, quod *Cardinalis* huius fultus auxilio *Auguſtanam* adeptus ſit Eccleſiam, ſeque ei totum devovet ac conſecrat, habes in BARONII *Epiſt. et Oration. Romæ* in 4to 1770. *Tom. III. p.* 271.

Pag. 35. *lin.* 30. poſt verba: *commendatum habere velit*, adde per modum *Notæ* (*)

(*) Vixit ſub Cardinale *Petro* Magiſter *Rudolphus*, Plebanus Eccleſiæ majoris *Auguſtenſis*, cuius *Collectanea Sermonum* adſervat Bibliotheca monaſterii *S. Crucis Auguſtæ*. Aliquibus horum *Sermonum* adſcripti ſunt anni 1426. 1427. 1428. 1429. 1430. 1433. Huius *Rudolfi* meminit *Burckardus* ZENCK in *Chronica Auguſtana*, vocans eum *Doctorem*, & *Canonicum cathedralem*. V. OEFELII *Script. Rer. Boic. T. I. p.* 243. Fuit etiam ſæculo XV. (ſive hic, ſive alius) *Rudolphus*, Archipresbyter *Auguſtenſis* Eccleſiæ majoris; à quo in Bibliotheca eiusdem Eccleſiæ repperi *Tractatum de Benedictione Auræ adhibito SS. Sacramento.* De vi vocis: *Archipresbyter*, conſuli poterit DU-FRESNE in *Gloſſario Latinit.*

Digitized by Google

STADION (*Chriſtophorus à*)

Pag. 60. *lin.* 18. poſt verba : *nunquam moritura nominis fama*, adde.

In ſinu *Wolfgangi Andreæ* REHMI, de quo inferius dicetur (teſte *Georg.* ABERZHAUSER in quodam ſuorum *Manuſcriptorum*) immortuus;

Pag. 61. *lin.* 9. 10. poſt verba : *Angelus pacis dictus*, adde.

Funebri eum Carmine *M. Sebaſtian.* SOLIDUS *Guntianus* in *Necrophilorum ſeu Funerum Libro I.* proſecutus eſt, teſte *Michaele* DENIS in *Wiens Buchdruckergeſchichte*, *p.* 658. & 659. qui adjicit: *Virum plane excellentem fuiſſe Chriſtophorum, cui ne quidem* WERLICHII *plenum amarulentiâ Chronicon*, *T. II. p.* 277. *commeritas laudes denegare potuit.*

Pag. eadem, *lin.* 29. poſt verba : *Corpus Dillingam*, adde.

Comitantibus Reipublicæ *Norimbergenſis*, ut habet mox citatus ABERZHAUSERUS (Tanta, etiam poſt mortem, ei reverentia habita eſt) Conſulibus aliquot.

Pag. 63. *lin.* 8. 9. poſt verba : *et inſignem Mathematicum*, adde.

Poſt obitum à *M. Sebaſtiano* SOLIDO *Guntiano* epicoediô in *Necrophilorum Libro II.* jure ac merito celebratum.

Pag. eadem, *lin.* 25. poſt verba : *Roffenſi Epiſcopo*; adde.

Sic anno 1530. editum à ſe *Ioannem Chryſoſtomum* dedicandum *Noſtro* cenſuit, quem ſancto huic Antiſtiti æquiparans ait: *Incomparabilis Epiſcopus felicibus laudatiſſimi Præſulis auſpiciis prodit in lucem. Neque enim parum multa inter vos conveniunt: vitæ integritas, divinarum litterarum amor, judicii*

rectitudo, *veritatis libera profeſſio*; *nec vulgaris Zelus erga Chriſti ſponſam Eccleſiam*....

Pag. eadem, *lin. ultima*, poſt verba: *Catal. Teſt. Verit. p.* 200. *b.* adde.

Præcipue autem videſis *Ignatii* GROPP *Script. Rerum Wirceburgenſ. T. I. p.* 300.

Pag. 64. *lin.* 7. poſt verba: *infra videbimus*, adde.

Hinc et *Ioannem* ECKIUM multâ gratiâ complexus eſt: quare is Epiſcopo noſtro ſuos *Commentarios in S. Dionyſii Areopagitæ Theologiam myſticam*, non ſine præclaro encomio, anno 1517. gratus dicavit.

Pag. 68. *lin. ult.* poſt verba: *& lectu digniſſimum*, adde.

Cuius præcipuos compilatores *Conradum* BRUNUM, *Iacobum* HENRICHMANNUM, & *Wolf. Andream* REHMUM, *Viros candore animi*, *rerum experientia*, *doctrina & ſapientia incomparabiles* fuiſſe, rurſus tradit allegatus ABERZHAUSERUS.

V. *Litteras Indulgentiarum* 40. *dierum* Fraternitati *S. Crucis* in oppido *Schwarzach* à *Chriſtophoro* noſtro, *Wormatiæ* anno 1521. die Veneris, 22. menſis Martii, petente *Nicolao de* TETTELBACH *Armigero*, conceſſarum exhibet *Ignatius* GROPP in *Script. Rer. Wirceburgenſ. T. I. p.* 24.

S. SYMPERTUS.

Pag. 79. *lin.* 11. poſt verba: *No. I. videri poterit*, adde.

Compertiſſimum deinde eſt, *Sanctum* noſtrum Concilio *Salisburgenſi I.* in oppido Boioariæ *Riesbach*, hodie Dynaſtiæ *Landishutanæ*, anno 709. celebrato adfuiſſe et ſubſcripſiſſe, uti videre eſt in *Conciliis Salisburgenſibus* à *P. Floriano* DALHAM vulgatis, *p.* 35.

TRUCH-

TRUCHSESSIUS (*Otho*) de Waldburg.

Pag. 97. *lin.* 18. poſt verba: *Herbipolenſem Præpoſituram*, adde.

Cardinali FARNESIO â *Paulo III.* commendatam, anno 1554. obtinuit, poſſeditque usque ad annum 1562, teſte *Ignat.* GROPP in *Script. Rer. Wirceburgenſ. T. I. p.* 701.

Pag. 117. *lin.* 12. poſt verba: *emporium habeat*, adde.

Iſta ſufficiant de Academia *Dillingana*, cuius initia & progreſſus fuſius enucleatiusque tradidit *Joſephus de* SARTORI *in Monumento Gratitudinis in Reſtaurationem Academiæ Ottoniano-Clementinæ &c.* 1782. in 4to. quem, ſi lubet, conſulas.

Pag. 127. *lin.* 22. poſt verba: *Noſtro ſacraverunt*, adde.

In hunc cenſum quoque venit *Valentinus* PACÆUS (ſive *Valentinus Hartung*, *Frid*) de quo *p.* 115. memini; qui *S. Ignatii Antiocheni Opuscula*, *græce*, anno 1557. *Dillingæ*, per Sebaldum *Mayer* nitide excuſa Cardinali noſtro dedicavit longâ, lectúque oppido dignâ *Epiſtola.*

AITINGER (*Wolfgangus*)

Pag. 147. *lin.* 23. poſt verbum: *Colonienſis*, adde.
Imo *Correctoris* munus, quod ea ætate multam doctrinæ commendationem habuiſſe nôrunt omnes, apud *Erhardum Oeglin* & *Georg. Nadler* typographos *Auguſtanos* ab anno 1508. usque 1512. ſuſtinuiſſe *Wolfgangum*, monet Perilluſtris *Paulus â* STETTEN *junior*, in *Kunſt-Gewerb-und Handwercks-Geſchichte von Augſpurg*, *T. I. p.* 38.

KRETZ (*Matthias*)

Paucula de *Matthia* KRETZ attuli in *Alphabeto IV. Biblioth. Auguſtan. p.* 167. 168. Hisce addi debent omnia, quæ modo expoſiturus ſum.

Patria *Noſtro* fuit *Landſperga*, urbs in finibus *Bavariæ ſuperioris* ad fluvium *Lycum* poſita; Patet iſtud ex *Iac.* HENRICHMANNI *Inſtitut. Grammatic.* & ALTENSTAIGII *Vocabulario Vocum* &c. in quorum fronte Epigrammata *Matth.* KRETZ *Landſpergii* occurrunt. Prodiviſſe autem eum in hanc lucem ſæculo XV. exeunte, inde conjicere licet, quod in fronte Operis: *Triumphus Veneris Henr.* BEBELII, *cum commentario Io.* ALTENSTAIGII. 4to. 1515. excuſi, *Noſter* jam *Theologiæ cultor* appelletur. Fratrem habuit *Paulum*, qui poſtea monaſterio *Indersdorfenſi*, Abbas poſtulatus, præfuit. *Matthias* autem noſter *Tubingæ* ſtuduit litteris humanioribus ſub Viro harum peritiſſimo, magnamque in orbe litterato ex iisdem famam conſecuto, *Henrico* BEBELIO; quem poſtea, ut gratum decebat diſcipulum, *Epiſtolâ* ad ALTENSTAIGIUM anno 1513. 16. Calend. Junii ex *Pollinga*, monaſterio Canonicorum Regularium S. *Auguſtini*, in *Bavaria ſuperiore* ſito, datâ (Vide mox laudatum *Triumphum Veneris &c.*) contra adverſariorum cavillationes defendere non omiſit. Quamdiu *Noſter* in *Tubingenſi* Schola manſerit, dicere non habeo; Tubingâ *Pollingam* venit, ubi ab anno 1513. usque in annum 1516. menſemque *Auguſtum*, religioſorum *Fratrum Inſtructorem*, ut aiunt, egit, haud dubie in eo munere Ioanni *Altenſtaigio* (de quo in *Alphabeto hoc p.* 151. vide) ſuffectus. Hinc in fronte mox dicti *Triumphi Veneris &c.* ipſe profitetur: ſe per illa tempora,

pora, unà cum ſuis, a *Conrado* HARTMANNI Decano *Pollingenſi* multis beneficiis cumulatum fuiſſe.

Agebatur annus MDXVI. cum abs *Ioanne* AVENTINO, *Erneſti* Ducis *Bavariæ* præceptore, *Societas litteraria Ingolſtadii* conſtituta fuit, de qua *Io. Nep.* MEDERER in *Annal. Academ. Ingolſtad. T. I. p.* 100. ſequentia monet:

Nec vero annus eſt alius, qui huius Societatis *initio magis conveniat; invenio enim plerosque, qui huius* Sodalitatis *membra ſcribuntur, tum Ingolſtadii commoratos fuiſſe; atque Leonardum imprimis* ab ECK *Sodalitatis Principem ac Patronum; Ioannem* Aventinum *illius Auctorem; Georgium* Behamum *Salicetanum ſive Weidenſem; Ioannem* Kneiſſelium *Ingolſtadienſem; Urbanum* Riegerum *ſive* Rhegium *Lindavienſem; Hieronymum* Anfang *Pfaffenhovenſem; Matthiam* KRETZIUM *Landsbergenſem (Acta artiſtica Tubingenſem dicunt; ideo puto, quod in illa Academia Artium Magiſter ſit creatus) Georgium* Schackium *Wemdinganum; Davidem* Rottmundum *Buchornenſem &c. Hos vero præcipua quadam cum* Aventino *amicitia conjunctos fuiſſe, ex* Actis artiſticæ Facultatis *colligo; referunt enim ad primam Septembris, Magiſtrum Ioannem* Aventinum *comparuiſſe in* Concilio Facultatis, *ac nomine Illuſtriſſimi Principis* Arioniſti, *hoc eſt*; Erneſti *petiiſſe* novam Burſam *erigendam, cui præeſſe debeant M. Urbanus* Rieger, *et M. Matthias* KRETZ. *Quod autem* LIPPERTUS (Vide eruditiſſimi Viri huius Commentationem: *Nachricht von ehemaligen gelehrten Geſellſchaften in Bayern*, quam habes in *Abhandlungen der churbayeriſchen Akademie. T. I. p.* 13.) *referat, pleraque carmina ab huius* Sodalitatis *hominibus edita, ex* Liliorum contubernio *ſubſcripta eſſe, mire iterum favet: in-*

venio enim ad decimam tertiam Octobris hæc verba: Eodem die Magiſter Matthias KRETZ admitti petiit pro regimine Burſæ Lilii, cui petitioni Facultas annuit, et ei regimen Burſæ commiſit, conventoremque conſtituit, ea tamen conditione; ut ſtatuta et leges Facultatis ſuper regimine Burſarum obſervet. *Videntur itaque in* Burſa *ſeu* contubernio Liliorum *ſuos quaſi conventus celebraſſe, atque ex illo tanquam Muſæo partus ingenii ſui in lucem emiſiſſe* — KRETZIUM *ſubſequentibus etiam annis ſpeciali quadam gratia apud Sereniſſimos Bavariæ Duces valuiſſe, ut eadem* Acta *commemorant, haud dubie Leonardi* ECKII *et Ioannis* AVENTINI *commendatio fecit.*

Tenuit *Noſter Burſam Liliorum* biennii ſpatio, quo elapſo, jam *Theologiæ Baccalaureus formatus* renuntiatus, anno 1518. die 28. Januarii *novo Collegio Regens* præficitur. Elegerant quidem *Artiſtæ novi Collegii* in Regentem *Ioannem Schröttingerum Marcklenſem* neglecto KRETZIO, etſi litteras commendatitias â *Wilhelmo* Duce attuliſſet. Litigatum aliquamdiu hac ſuper re fuit; cum die 16. Januarii, 1518. novæ Litteræ â ſereniſſimo Duce advenerunt, quibus prohibebatur: *ne Facultas, nec verbo nec facto, ullo modo impediat Matthiam* Kretz *in ſua Regentia &c. &c.* His litteris lectis *concluſit tam Univerſitas quam Facultas: in hoc negotio quieſcendum eſſe. &c.* Sic â regimine *Collegii* remotus *Schröttingerus*, præfectus eſt *Burſæ Liliorum, in locum ſcilicet* KRETZII: qui *Regentis novi Collegii* dignitatem occupârat. V. *Io. Nep.* MEDERER *Annal. Academ. Ingolſtad. T. I. p.* 107. 109. 157.

Muneribus ſuis dum probe fungitur *Noſter*, dumque ad ſtudium theologicum gnaviter incumbit,

bit, annus 1519. eidem ſummos in dicta Facultate *doctoratûs* honores attulit: quibus inſignitus *Auguſtam* ſub eiusdem anni finem ad concionandi munus in æde *D. Virginis* advocatur, relinquens in Regimine *novi Collegii* ſucceſſorem memoratum *Ioannem Schröttingerum*, ſibi die 5. Decembr. ſubſtitutum. Vide mox citatos *Annales*, *T. I. p.* 100.

Cum cathedralis Eccleſia *Auguſtana* duos habeat Concionatores, antemeridianum unum, alterum pomeridianum, ſuſpicor *Noſtrum* primò vices pomeridiani Eccleſiaſtæ egiſſe; donec anno 1522. *Ioanne* VOEGELINO *Viennam* ſecedente, antemeridiani partes ſuſcipere à Chriſtophoro *à Stadion* juſſus eſt. Fors etiam VOEGELINUS cathedram *Noſtro* ceſſit, aliquanto ante tempore, quam *Auguſtam* liquit. Utcumque ſe illud habeat; conſtitutus in Concionatoris munere *Noſter* populum catholicæ doctrinæ pabulo reficere, & contra naſcentia eo ævo dogmata præmunire ſtrenue allaboravit: qua re fieri plane debuit, ut adverſæ partis præcones in ſe concitaret. Sed de hoc inferius —

Quantâ doctrinæ famâ *Matthias* fuerit, vel inde colligi poteſt, quod anno 1530. in famigeratiſſimis Comitiis *Auguſtanis* jubente *Carolo* Cæſare *Confeſſionis Auguſtanæ* diſcutiendæ, examinandæque provinciam, una cum aliis catholicis Theologis, acceperit: annóque 1540. ad *Wormatienſe Colloquium* à Duce *Bavariæ Wilhelmo*, cum ECKIO & aliis, ablegatus fuerit.

Verum cum *Auguſtæ à Lutheranis* (Verba ſunt *Annalium* Academiæ Ingolſtadianæ) *miſere inceſſeretur vexareturque, deſerta Auguſtana conditione Monachium migravit, ubi rurſus Eccleſiaſtæ munere functus eſt aliquamdiu.* Eò ſeceſſiſſe *Noſtrum* annô 1534. vocante *Wilhelmo* Duce, atque

ab eodem *Decani ad S. Mariæ* honorem obtinuiſſe, tradit *I. G.* SCHELHORNIUS *junior* in *Beyträgen zur Erlauterung der Geſchichte, IV. St. p.* 165. Sed jam annô 1533, ſe â prædicto Duce *ad Decani munus Monachii apud D. Virginem abſcitum fuiſſe: nihilque diligentius ab eodem Principe ſibi commiſſum fuiſſe, quam ut populo verbum Dei crebro exponeret*, ipſe tradit in *Dedicatione* ad Libellum ſuum *de Miſſa*.

Eraſmi, quem *prior ad amicitiam provocârat Noſter*, extant binæ ad eum litteræ (V. *Eraſmi Opp. Lugduni Batav. T. III. P. II. p.* 1361. 1425.) In harum una anno 1531. 22. *Decembr.* data *Virum abſolutiſſimum* vocat *Matthiam* noſtrum: in altera, prolixa admodum, data 1531. 11. *Mart.* de illorum temporum geſtis familiariter edocet *Noſtrum*, demúmque ſic affatur: *Tuam eximiam perpetuámque pietatem non ſolum ex tuis litteris, verum etiam ex aliorum Scriptis cognovi, Dominique benignitatem in te exoſculor: Gratulor etiam felicitati tuæ, qui tot annos eadem in urbe* (Auguſtæ) *facta verbi divini ſemente, cum bona gratia collegarum tuorum ad ampliorem fortunam* (Monachium, puto) *vocaris*. Hæc de *Eraſmo* — Humanitatem *Noſtri* et philanthropiam prædicat *Carmen*, quod in ROEDERI *Hiſtoria de Colloquio Wormatienſi, p.* 173. legere eſt.

Iam de Scriptis *Noſtri* paulo fuſius, quàm in *Alphabeto IV.* meæ *Bibliothecæ* dixi, dicendum eſt. Sunt ſequentia.

I. Præter varia, eaque minime inficeta, *Carmina*, propemptica Librorum ea ætate vulgatorum, quæ inter maxime memorandum eſt prolixius illud, BEBELII *Triumpho Veneris*. 1515. præfixum: præter *Epiſtolam* apologeticam pro *Henrico*

rico BEBELIO, de qua ſuperius memini: habetur inſuper à *Matthia* noſtro, *antiquitatis & meliorum litterarum ſtudioſiſſimo* (Sic inſcriptio habet) *Carmen in laudem Io.* AVENTINI; quod inter alia *Sodalitatis litterariæ Ingolſtadienſis Carmina, Auguſtæ*, 1518. in 4$^{to.}$ procuſa, extat.

II. *Von der Meſs; und wer der recht Prieſter ſey, der Meſs habe; auch zum Theil, ob ſie ein Opfer ſey durch D. Matthiam* KRETZ *zu Augſpurg zu unſer Frauen im Thum gepredigt: im Iahr* MDXXIIII. *in der Antlas-Wochen.* in 4to. In fine legitur: *Gedruckt in dem Augſtmonat.* MDXXIIII. Rurſus prodiit *Friburgi in Briſgovia*, anno. 1525.

Oſtendit *Noſter* iſta lucubratione, ſe in S. Scripturæ lectione apprimè verſatum, & ſermonis *hebraici* ac *græci* non ignarum fuiſſe. Hæc tamen non obſtiterunt, quin eum anno 1525. *Leo Judæus*, amicus *Zwinglii*, edito Scripto impugnaret; de quo vide SCHELHORNIUM *l. c.*

III. Tractatus *de Confeſſione auriculari.* Utrum hæc *Concio*, quâ *Noſter*, in æde ſumma *Auguſtana*, Confeſſionem auricularem anno 1524. ex catholicæ Eccleſiæ ſententia defendit, excuſa fuerit, hactenus dubitatum fuit. Sed mihi illa ex Bibliotheca *Pollingenſis* Canoniæ communicata eſt, hoc titulo: *Ain Sermon von der Peicht, ob ſie Gott gebotten hab, durch D. Matthiam Kretz zu Augſpurg, zu unſer Frawen im Thum gepredigt. Im Iahr MDXXIIII. auff Sonntag Letare.* Adverſus eam *Anonymus* quidam Libellum vulgavit hoc titulo: *Geſpräch-Büchlein von einem Webern und einem Kramer über das Büchlein des Matth. Kretz von der himmliſchen* (heimlichen) *Beicht, ſo er zu Augſpurg in unſer Frauen Thom gepredigt hat.* 1524. in 4to. V. Librum: *Miniſterium*

evangelicum Auguſtanum, in 4to. & SCHELHORNIUM *l. c.*

IV. *Tractatus tripartitus*, cuius titulum in *Alphabeto IV.* meæ *Bibliothecæ* ſatis accurate expoſui, ita ut nihil ultra ſit, quod hoc loco addam.

V. Concio *de Purgatorio*, quam indicavi in mox dicto *Alphabeto IV.* In titulo exemplaris, quod oculis meis uſurpavi, additus quidem eſt annus impreſſionis, ſed adeo male expreſſus, ut noſci haud queat.

VI. *Brevis & plana ſacratiſſimæ Miſſæ Elucidatio* in 4to. 1535. Proluſit unus ex præcipuis Ducis Bavariæ Miniſtris, Baro *Chriſtophorus de Schwarzenberg* Libello huic *decaſtichô encomiaſticô.* Poſt *Titulum* ſequitur Dedicatio eiusdem *Baronis* ad *Albertum* juvenem, Principem *Bavariæ*: tum *Simonis Minervii*, ab archivis Senatûs Monacenſis, *Carmen* in laudem Operis: denique *Matthiæ* KRETZ nuncupatoria ad eundem Principem *Albertum.* Succedit Opus, quod prolixo *Wolfgangi* SEDILII monachi *Tegrienſis Carmine* ad eundem *Albertum* clauditur.

Præter *Leonem Judæum*, & *Anonymum*, de quibus mentionem feci, habuit *Matthias* alium quoque adverſarium ſibi *M. Michaelem* KELLERUM, ſive CELLARIUM, quem civitas patria, primum omnium, conſtituerat, ut, ex doctrina *Lutheri*, ad populum in Eccleſia *Nudipedum* (vulgò *Barfüſſer*) diceret. Provocârat hunc *Noſter* ad *Colloquium Religionis*, in quo de quatuor capitibus: nimirum *de merito bonorum Operum*; *de Conſiliis evangelicis*; *de Turbis & Seditionibus*, *quas excitari per prædicationem novorum dogmatum Catholici affirmabant*; *de invocatione Sanctorum*, inter ſe diſputarent. Diſputationem habitam, ut fieri aſſolet,

let, varii ſermones ſecuti; quare petitum à CELLARIO, ut *relationem* de illa publicaret; quod is et fecit. Vide SCHELHORNIUM *l. c.*

Tum huic, tum aliis adverſùs ſe vulgatis Libellis reſpondiſſe *Noſtrum*, ſuamque cauſſam Scriptis in contrarium editis defendiſſe, etſi minime dubitem, tamen horum expiſcari hactenus quivi nihil.

Hæc geſtorum *Matthiæ* laudabilis ſeries — Hæc KRETZII, Viri academicîs honoribûs, Eruditorum ſui ævi amicitiâ, Principum denique favore inclyti verior imago.

De CELLARIO plura ſcire quisquis cupit, conſulat SCHELHORNIUM ſæpius nominatum *l. c.* qui Scripta illius ac geſta fuſius expoſuit. Unum hoc loco adjiciendum cenſui, quod, quiqui CELLARII meminerunt, commemorare neglexerunt omnes: ſolus vero *Clemens* SENDERUS in *Chronica vernacula Auguſtana MSS*[ta.] quam *Hieronymo* FUGGERO dedicavit, memoriæ prodidit; cuius verba latinè reddere juvat.

M. Michael CELLARIUS *Straubingæ, quod docendo populum commoveret, à Duce Wilhelmo comprehendi juſſus, & Monachium in jus raptus, non niſi multis lacrymis, & plusquam ſupplici corporis habitu Degradationis poenam, ſibi intentatam, ægre evaſit; poſtquam dogmata ſua ejuraverat, eaque amplius nunquam ſparſurumſe, edito ſacramento firmârat. His geſtis judices Duci multa tandem interceſſione perſuaſerunt, ut ipſis Cellarium donaret, liberúmque dimitteret. Is paulo poſt Auguſtam veniens, & Præco ad Nudipedes inſtitutus, neglecto juramento, quo ſe obſtrinxerat, contra Sacramentum Altaris, Virginem Mariam, Sanctos &c. vehementiſſime concionari coepit.* Taceo reliqua SENDERI, cuius narrata in *Rela-*

Relatione hiſtorica de ortu & progreſſu Hæreſum &c. in 4to. *Ingolſtadii* 1654. excuſa, confirmantur.

Ad illuſtrandam porro hiſtoriam turbarum in Eccleſia Lutherana *Auguſtæ* â CELLARIO, utpote *Zwinglio-Lutherano* (nam in articulo: *De Coena*, mordicùs *Zwinglii* ſententiæ inhæſit) excitatarum faciunt, quæ in alia *Anonymi Chronica Auguſtana MSSta.* lego: *Bey des* (Ulrich REHLINGER Conſulis) *Regierung haben ſich vill ſeltzamer Spaltung unnd Irrungen zuegetragen zwiſchen den Predigcanten hie zu Augſpurg; dann es waren vil feiner Predigcanten hie, die predigten das Wort Gottes wol, unnd auf die Weiſs, wie es der Churfürſt zue Sachſſen, und der Luther inn Sachſſen, der Landgraff von Heſſen, zue Nürnberg, unnd ſunſt an vilen Ortten von heiligen Sacramenten des wahren Leibs unnd Bluets Chriſti, unnd von dem Tauff hielten. Es begab ſich aber daſs der* Zwinglin *zu Zyrch vil Buechlin lieſs ausgehen, und die Strasburgeriſchen, Ulmiſchen, und ander mer Stett dieſelb Lehr vonn Sacramenten, die ſie faſt unnd allein auff ein Gedechtnuſs, unnd vil anderſt, dan die Luteriſchen, geſtellt, annamen. Da khamen dieſelben zwingliſchen Prediger auch her: derſelb Leer gefiel dem Burgmaiſter unnd villen Leuten, mer dan die Lutheriſch; dann es hette ſie* Magiſter Michel Keller *Predigcant, der auſs dem Bairlandt herkham, gewaltig angenomen. Der was dem Burgermaiſter, und viellen Leithen angenem. Als waren andere Predigcanten mehr von Strasburg, der Zwingliſchen Mainung anhengig, hergebracht: die predigten wider die Lutheriſchen Prediger: unnd* M. Michel Keller *unnd die von Strasburg herkhomen, vertrieben die andern Prediger: unnd ward wharlichen von den heiligen Sacramenten des Leybs und Pluts Chriſty, und Tauff vill ſeltzames*

mes Dings ſchimpfflich gepredigt. Daz iſt alſo angeſtanden, biſ das der Churfürſt zu Saxen, der Landtgraff von Heſſen &c. &c. der zweyſpaltigen Leer von dem heiligen Sacrament des wahren Leibs und Bluts Chriſty, unnd des Tauffs, halben ain Tag ward fürgenommen, ſich in dem Zwiſpalt zue vergleichen: Und ward furgenommen, unnd alle andere Stend, dem Evangellio unnd derſelben Religion anhieng, ire Gelerten ſollten auf ein Tag gen Augſpurg khommen: welliches alſo beſchehen, und ward ein Vergleichung gemacht; aber ſchlechtlich gehalten.

REHMUS (*Wolfgangus Andreas*)

Pag. 172. *lin.* 34. poſt verba: *multis depradicans*, adde.

Ab hoc *Wolfgango* extat Libellus, à me viſus, ſequenti epigraphe: *Ain andächtiger und zu Beſſerung sündigen Lebens nuzlicher Tractat des heiligen und chriſtlichen Lehrers Aurelii Auguſtini von der Ueppigkeit der Welt . . . aus deſſen Lateyn in das Teutſch gebracht.* 4to. *Augſpurg.* 1522. *durch Sig. Grimm Doctor und Marx Wirſung.*

BRUNUS (*Conradus*)

Pag. 193. *lin.* 3. 4. poſt verba: *Obſervationibus Librum unum*, adde.

Operibus hactenus indicatis annumeranda venit.

XXI. *Chunradi Bruni Juriſconſulti & RRmi. D. Epiſcopi Herbipolenſis Cancellarii, de Labore et Quiete Oratio, in feſtivitate Jubilæi D. Ioannis à Liechtenſtein, Eccleſiæ Herbipolenſis Canonici, et ſupremi Ducatus Franciæ Orientalis Judicis pronunciata, die 8. Menſis Novembris, Anno a Chriſto nato MDXXXV.* in 4to. Dicavit *Noſter* die 12. Novembris *Philippo* SUPPON Eccleſiæ S. Ioannis in Haugis extra muros Herbipolenſ. Decano, et *Ioanni* SUPPON Eccleſiæ *S.* Ioannis Novi Monaſterii Cano-

Canonico, germanis fratribus. Ita teſtatur *Michael.* DENIS in *Wiens Buchdrucker-Geſchichte p.* 638. 639. ſubjiciens: orationem iſtam *terſa latinitate conſcriptam, doctrinæ plenam, ac patheticam* eſſe.

Præterea *Joſephus de* SARTORI in *Monumento Gratitudinis, in Reſtaurationem Academiæ Ottoniano-Clementinæ* (Dillingæ) *Clementi Wenceſlao Archiepiſcopo Trevirenſi &c. dicato*, 1782. in 4to. ſequentia Scripta *Bruno* noſtro, *Viro* (inquit) *inſigni*, adſcribit; penes quem etiam horum fides eſto:

XXII. *Opera omnia Juris feudalis. Moguntiæ.* 1548.

XXIII. *De S. Severino* Tractatus *de Judiciis & Torturis* 8°. *Lugduni.* 1553.

XXIV. Tractatus *de Ceſſione Bonorum* in 4to. *Venetiis.* 1575.

AGRICOLA (*Stephanus*)

Pag. 199. *lin.* 17. poſt verba: *Gottesgelehrten T. III. p.* 452. adde.

Conſulendus quoque *Io. Georg.* SCHELHORNIUS in *Ergözlichkeiten aus der Kirchenhiſtorie &c. T. II. p.* 713. ubi duæ MELANCHTONIS *Epiſtolæ* extant, quibus *Noſtrum* Senatui *Auguſtano* commendavit tanquam Virum *religioſum, probe doctum, prudentem, pacis amantem, multis virtutibus ornatum.*

WERDENSTEIN (*Ioannes Georgius à*)

Pag. 207. *lin.* 26. poſt verba: *pecuniæ cupiens*, adde

Huic anno 1605. *Dominicus* CUSTOS, Chalcographus *Auguſtanus*, *Clariſſimorum litteris, ingenio, famâ Virorum Effigies*, in folio, *ut ſubtilium, & ele-*

& elegantium eruditarumque artium perito, ita amatori earundem eximio, quà *Præpoſito Geiſſenhuſſano, & Conſiliario Principum Boiariæ, Cantori Eccleſiæ Eichſtettenſis*, conſecravit: cúmque is anno 1612. idem Opus recuderet, *Noſtro* iam fatis functo, illius effigiem reliquas omnes præire juſſit: cui hæc ſubſcripta leguntur:

Hos, WERDENSTEINI*! vultus ac ora gerebas*
Quæ manus artificis cœlavit, Jane Georgi!
Doctus eras, humanus eras, et dotibus iſtis
Conciliare tibi mentes et pectora nôras.
Nobilitas, quamvis ſervato, comis, honore
Rara quidem, ingenti tamen eſt digniſſima laude.

Et in huius editionis *Dedicatione* idem *Dominic. Cuſtos* vocat Noſtrum *litteratæ nobilitatis Germanicæ* (*ut ſcimus*) *non poſtremum: & huiuscemodi opellæ meæ, aliarumque antidhac patronum non illiberalem*.. pauloque inferius, *Wolfgango à Wildenſtein, et ingenio & genere nobili, Conſiliario Comitum Palatinorum, Ducum Boiariæ, perfamiliarem fuiſſe*, monet.

Cum *Marco* quoque VELSERO litteratam amicitiam coluiſſe inde patet, quod ei Codicem apographum, *Reliqua Librorum Friderici II. Imper. de Arte venandi cum avibus &c.* complectentem, utut recentiorem mendoſioremque, ſtudioſè procuravit. Nec minus *Hoeſchelio* amicum fuiſſe, oſtendunt, quæ *ſuperius* in *Catal. Opp. Hoeſchelii, No. XXX.* attuli.

De Vita Io. Georg. WERDENSTENII (an noſtri, an alius, neſcio) *Collectanea, a I. G. Hubero, ex Epiſtolis eius, excerpta*, ſervavit *Io. Wern.* HUBERUS *Baſileenſis* inter *MSSta.* ſua, teſte *Catalogo eius Bibliothecæ, p.* 58. *n.* 26.

* * *

ALPHA-

ALPHABETUM V.

BETULEIUS (*Xyſtus*)

Pag. 21. *lin.* 24. poſt verba : *exhibitas agens*, adde.

IX. *Ein kurtze Erzelung von einem Döchterlin, welliches ſein Leben fürt ohne leypliche Speyſs und Tranck: wöllichem glaubwirdig Kundtſchofft gibt, Doctor Gerhartt* Bucoldianus *K. M. Hoffartzt, newlich' auſz dem Latein ins Teutſch gewent, durch Xyſtum* Byrck. in 4to. 1542.

LANGIUS (*Matthæus*)

Pag. 34. *lin.* 21. poſt verba : *De his ſatis!* adde :

Quisquis de hac controverſia penitius erudiri cupit, conſulat Libellum hoc titulo. *Darſtellung der unrechtmäſſigen Ausſchlieſſung augsburgiſcher Patricier und Bürgerſöhne vom dortigen hohen Domſtifte. in 8°. Francfurt und Leipzig.* 1789.

Pag. 66. *lin.* 10. poſt verba : *narrantur omnia*, adde.

Conſule etiam *Ignatium* GROPP in *Scriptoribus Rer. Wirceburg. T. I. p.* 272. ubi fata *Packii*, ac ſupplicium, quo affectus fuit, fuſe exponuntur. Eodem anno (1528) *Matthæus* priſcæ Religionis conſervandæ, quo flagrabat, ſtudium rurſus prodidit. Ediderat nimirum anno præcedenti (1527.) *Bertholdus* PURSCHTINGER *J. V. Licentiatus, Præſes Cameræ Salisburgenſis*, Vir longè doctiſſimus, geſto etiam Epiſcopatu *Chiemenſi* inclytus, Librum ſub titulo: *Deutſche Theologey*, dicaverátque *Matthæo* noſtro : qui, eô perlectô, plurimum inde utilitatis, ſicubi in latinum traductus prodiret, ad Eccleſiam univerſam rediturum judicans, *Bertholdum*, ut

ut id laboris in ſe ſuſciperet, ſequenti *Epiſtola* vehementer incitavit:

Matthæus miſeratione divina Cardinalis, Archiepiſcopus Salzeburgenſis, Apoſtolicæ Sedis Legatus &c. Venerabili Fratri, Amico noſtro chariſſimo, Domino Bertoldo, Epiſcopo quondam Chiemenſi. Pervenit ad manus noſtras Liber, noſtro idiomate vulgari conſcriptus, et a Fraternitate veſtra anno proxime elapſo in lucem æditus, et Nomini noſtro nuncupatim dedicatus; cui titulus erat: Theologia Germanica. *Quem cum perlegeremus, comperimus pluribus ſalubribus doctrinis et præceptis refertum, et præcipue adverſus dogmata Lutheranorum, et nonnullorum aliorum, qui, hoc calamitoſo ſæculo, populos paſſim a via ſalutis ſeducunt. Cum itaque hic Liber videatur plurimum conducturus ad confirmandam ſanctam fidem catholicam, præcipue in cordibus eorum, qui titubantes et ambigentes, in quam partem declinent, nondum aperte a fide deſciverunt, exiſtimamus utile admodum fore, ut Liber hic quam latiſſime etiam apud aliarum linguarum Chriſti fideles divulgetur. Quapropter Fraternitatem veſtram, quam pro ſola gloria nominis Chriſti hos labores ſubiiſſe non ambigimus, in Domino hortamur atque rogamus, ut eundem Librum in linguam latinam quo quam ampliſſime evulgari queat, traducat, et in ea edat atque publicet. Pro quo ſperamus eam accepturam ampliſſimam mercedem a remuneratore bonorum omnium Deo. Nobis vero Fraternitas veſtra rem faciet admodum gratam, mutua benevolentia compenſandam. Datum in Civitate noſtra Salzburgenſi. XVII. Menſis Decembris. Anno Domini M. D. XXVIII.*

His litteris acceptis *Bertholdus*, Epiſcopus quondam *Chiemenſis*, ut ſemet in *Reſponſoria* ſua vocat, nulla mora interpoſita Archiepiſcopi votis obtemperans; juſſaque eius *pro virili artuum ſuorum ſenilium* adimplere ſtudens, ad traducendum Opus ſuum aggreſſus eſt: Hinc in fine illius additur: *Supraſcripta Traductio edita eſt in oppido Salfelden, vallis Pinzgeu : atque completa eſt Idibus Aprilis. Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo nono.* Poſt tabulam *Erratorum* autem hæc leguntur: *Excuſum Auguſtæ Vindel. per Alexandrum Weyſſenhorn. Expenſis perdiligentis viri Martini Silbereyſen. Anno MDXXXI.* in *folio.*

Pag. 116. *lin.* 7. poſt verba: *Tom. VI. pag.* 134. adde.

Litterariis IANGII noſtri monumentis accenſeri quoque debent.

XIII. *Litteræ Indulgentiarum* 100. *item* 40. *dierum*, Fraternitati *S. Crucis* in oppido *Schwarzach*, *Wormatiæ* anno 1521. die 29. Aprilis, ob petitionem *Nicol. de* TETTELBACH, *Armigeri*, conceſſarum, quas *Ignatius* GROPP in *Script. Rer. Wirceburgenſium*, *T. I. p.* 18. recitat.

PONTANUS (*Iacobus*)

Pag. 149. *lin.* 15. poſt verbum: *interpretata*, adde.

Hucusque ALLEGAMBIUS — Reſtat monere, quæ *Marcus* VELSERUS in *Epiſtola ad Goldaſtum* (V. *Opp. Velſeri*, *p.* 858.) ſcribit ſequentibus:

17. *Hieroclis Facetias ex Codice Auguſtano auctas P.* PONTANUS *jam pridem convertit*, *& edendi occaſionem exſpectat*, *quam brevi obventuram confidit*: *Adjunget autem*, *neſcio*, *quæ alia etiam Opuſcula*, *à ſe ex Græco converſa* ...

RADE-

RADERUS (*Matthæus*)

Pag. 170. *lin.* 32. poſt verba: *p.* 33. *habetur*, adde.

Item una ad *Andream* SCHOTTUM extat in *Ioann.* MEURSII *Opp. Florentiæ* à *Ioanne* LAMIO editis, *T. XI. p.* 414.

ROSEFFIUS (*Gregorius*)

Pag. 202. *lin.* 29. ubi de *Georg.* MYLIO ſermo eſt, poſt verba: *Nachrichten T.* 27. 30. 37. adde.

Præcipue autem conſulenda eſt *Io. Chriſtoph.* MYLII *Hiſtoria Myliana.*

SELDIUS (*Georg. Sigiſmundus*)

Pag. 213. *lin.* 28. poſt verba: *debitaque obſervantia eſſet*, adde.

Anno ſeqnenti (1551) â *Carolo V.* & *Ferdinando I.* coorta per *Germanicum* regnum ſuſpicione, ac ſi iſtiPrincipes dignitatem *Imperatoris* ac *Regis Romanorum* domui ſuæ propriam hæreditariámque facere vellent, eius negotii tranſigendi ergò ad *Sebaſtianum* Moguntinum, & *Adolphum Colonienſem* Electores atque Archiepiſcopos miſſus eſt; qua ſuper re datam Noſtro *Inſtructionem*, quam vocant, integram exhibuit *Phil.Erneſt.* SPIESS in Libro: *Archiviſche Neben-Arbeiten &c. T. I. p.* 42. Sed SELDII noſtri in hoc conatus nihil: tum parum ea, quæ priori anno (quoad Libellum INTERIM) geſta fuerant, profuerunt; quandoquidem *Mauritius* &c. &c.

Index univerſalis
in
Alphabeta, ſeu *Tomulos ſex*, qui hactenus in lucem prodiverunt.

Numerus *Romanus* Tomulum denotat: *Arabicus* paginam Tomuli.

Abelin, Matthias, Abbas *Weltenburgenſis*. Eius Vita &Scripta. I, 1.
Abertzhauser, Gregorius. Eius Vita & Scripta. III, 1.
Acta Concilii oecumenici VIII. publicantur. V, 161.
S. Adalbero Epiſcopus. Eius Vita & Scripta. IV, 1.
Adamus, Melchior, corrigitur. V, 207.
Adilbertus, Prior monaſterii *San-Udalricani Auguſtæ*. Eius Vita & Scripta. IV, 70.
Adriani Iſagoge SS. Litterarum editur. VI, 58.
Adelbertus, Comes *Marckthalenſis*, in prælio occiditur. IV, 215.
Adelmann, Bernardus. Eius Vita & Scripta. II, 1.
Adelmann, Conradus. Eius Vita & Scripta. II. 17.
Adolphi Roman. Regis *Conſtitutio* editur. III, 65.
S. Ægidii Sacellum *Auguſtæ* reſtauratur. VI, 114.
Æmilius, R. Paulus, Typographus Auguſtanus. VI, 179.
Agapetus, *de Officiis boni Principis*, heroico carmine translatus. III, 118.
Agathias, *de Bellis Gothorum*, latine editur. I, 150. 152.
Agricola, Stephanus, *junior*. IV, 134. Eius Vita & Scripta. IV, 197. VI, 206. *Magnus*, Ord. S. Bened. Eius Vita & Scripta. V, 1.
Aichinger, Gregorii, Vita & Scripta. III, 178.
Aitinger, Wolfgangus. Eius merita litteraria. IV, 145. VI, 195.

Alan-

Alantſee, Ioannes, fautor litterarum. I, 12. 13.
Alberti, Ducis *Bavariæ* Epiſtola commendatitia *Othonis Truchſeſſii*, ad *Pium V.* IV, 122. *ſeqq.* Bibliothecam multis incrementis auget. IV, 207. *Moguntinus* Elector purpura cardinalitia ornatur. V, 52.
Alcuini vel *Albini* Opuſcula nonnulla primò eduntur. III, 117.
Alexandri VII. Epiſtolæ tres ad *Carol. Stengelium.* III, 147.
Alpinus, Tatius, diſcipulus *Anemoecii*. I, 6.
Alſaharavius, Medicus *Arabs*, editur. V, 97.
Altenſteig, Ioannes. Eius Vita & Scripta. IV, 151.
Altheimenſis Synodus. IV, 213.
Aman, Caſpar, Lavingenſis, Ord. Eremit. S. Auguſt. I, 15. Eius Epiſtolæ MSStæ ubi? I, 32.
Amantius, Bartholomæus, a quo adjutus fuerit in edendis *Inſcriptionibus ſacroſanctæ Vetuſtatis*. IV, 165.
Amberger, Paulus. Eius Scriptum. VI, 1.
Anabaptiſtæ refutantur. I, 68.
Andlo, Petrus de, *de Imperio Romano*, cum aliis Scriptis editur, III, 57.
Andreæ Ratisbonenſis *Chronica* eduntur. III, 54.
Andronicus, Rhodius, *de Animi affectionibus* editur. VI, 40.
Anemoecius, Wolfgangus. Eius Vita & Scripta. I, 5. VI, 171.
Anhauſen, monaſterii Ord. S. Bened. in *Wurtembergia*, triſtia fata. III, 138. *ſeqq.* Monumenta ad eius hiſtoriam pertinentia, ubi? III, 174.
Antonius, Petrus, *de Dignitate Principum* editur. III, 71.
Apoſtolii, Michaelis, *Parœmiæ* vulgantur. VI, 71. Quis fuerit? *ibid.*
Appiani Illyrica eduntur. VI, 50.
Arnulphus, Dux Boiorum, IV, 212.
Aucuparii, Thomæ, *Carmen.* II, 116.
Aventinus, Ioannes, Scriptor *Annalium Boicorum.* II, 23.
Auguſta, Urbs. Variæ ad eam pertinentes Notitiæ. II, 106. *ſeqq.* Varia Manuſcripta eius hiſtoriam illuſtrantia, ubi? III, 3. 89. - 93. Eam *Freuzelius* carmine panegyrico celebrat. VI, 188. Eius Urbis *Chronicon* primum omnium editum. III, 104 - 107. Infeſtatur ab *Hunnis.* IV, 212. 215. Ibi habetur à *Carolo M.* Conventus multorum Epiſcoporum. IV, 214. Ibi formula: *Interim*, introducitur. V, 212. Regimen *tribunitium* aboletur. V, 213. 214. Eius Merita in Rem litte-

terariam deſcribuntur. VI, 1. 2. 3. *Schola San-Annæana, ibidem*, conditur. I, 145. 146. V, 5. In ea docent *Anemoecius*. I, 7. *Geldenhaurius*. I, 9. *Dietherus*. I, 42. *Wolfius*. I, 154. *Hoeſchelius*. I, 163. VI, 3. *Mertenſius*. II, 130. *Heniſchius*. III, 9. *Fabricius*. III, 9, *Schenckius*. III, 10. *Henningus*. III, 138. *Heupoldus*. III, 222. *Betuleius*. V, 7. *Reiſnerus*. VI, 4. *Schola cathedralis Eccleſiæ*, ſive *ad S. Mariam* condita à *S. Symperto*. IV, 79. Ut bene conſtituta eſſet, curat *S. Udalricus*. IV, 221. In ea docent *Ioannes Voegelinus*. IV, 63. *Gerochus*, vel *Gerhohus*, poſtea Abbas *Reicherſpergenſis*. IV, 79. Ioannes *Holthuſius*, Kempenſis. IV, 199. *Scholæ* plures latinæ, *ibidem*. I, 141. Gymnaſii *ad S. Salvatorem* origo. V, 123. Primæ nobilitatis Auditores in illo, ſæculo 17. ineunte. V, 150. *Scholæ triviales tres* catholicæ ibi eriguntur. V, 191. *Societas litteraria*, ſæculo XVI. ineunte, *ibidem* conditur. II, 4. Quæ eius membra? II, 5. *Templum cathedrale*. In eo concionantur Ioannes *Fabri* Ord. Prædicatorum. I, 63. Petrus *Caniſius* S. J. I, 64. 67. Carolus *Peutinger*. I, 130. Ioann. *Geiler* de Kayſersberg. IV, 27. *Oecolampadius*. IV, 63. *Rhegius*. IV. 63. Ioannes *Voegelinus*. IV, 167. Matthias *Kretz*. IV. 167. Marcus *Avunculus*. IV, 168. Michael *Dornvogel*. IV, 203. 204. Gregorius *Roſeſſius*. V, 183. 184. Martinus *Stevartius*, & Hermes *Halbpaurius*. V, 184. Vide infra: *S. Mariæ &c. Senatus ibidem*, munificus in Litteratos. III, 106. V, 14. 122. 123. VI, 3. 4. Bibliothecam publicam condi curat ex deſertorum monaſteriorum bibliothecis. V, 11. Huius Bibliothecæ Hiſtoria editur. VI, 2. Nonnulla de eadem. VI, 11, 12. *ſeqq.* 44. *Epiſcopi docti ibidem*. V. *Alphabetum IV. totum*. Epiſcoporum ibidem *Catalogus*, anno 1614. vulgatus, *Marco Velſero* vindicatur. VI, 185.

Auguſti iunioris, Ducis *Brunsvicenſis &c.* Epiſtolæ doctæ ubi habeantur? I, 165.

S. Auguſtini Liber *de geſtis Pelagii* vulgatur. VI, 66.

Avitus, Alcimus, *de Origine mundi &c.* editur. III, 120.

Auſonii Moſella cum commentariis editur. III, 73.

Avunculus, Marcus. Eius Vita & Scripta. IV, 168.

Baier

Digitized by Google

Baier, Leonardus. V. *Boius.*
Baldi Peruſini *Diſputatio* editur. I, 47.
Bartholini, Richardi, *Deſcriptio Conventus Auguſtenſis* anno 1518. typis vulgatur. II, 21.
Barzia, Joſephus de. I, 40.
S. Baſilii M. Homiliæ vulgantur: itidem *Epiſtolæ IV.* VI, 32. 57. *Baſilii* Seleucienſis Homilia *de Infanticidio* editur. VI, 49.
Bavarus, Leonardus. V. *Boius.*
Baumgartner, Philippus. III, 4. *Hermannus.* Eius Vita & Scripta. IV, 202.
Beauxalmis, Fr. Thomas, Vocabularium theologicum *Altenſtaigii* in compendium redigit. IV, 161.
Bebelius, Henricus. I, 19. Defenditur. VI, 196.
Bechlerus, Hieronymus, Vir doctus. VI, 99.
Beckius, Matthias Fridericus, refutat Thomam *Reineſium.* II, 216.
Bemelius, Georgius, J. V. D. III, 5.
Benedictoburanum monaſterium. IV, 217.
Benedictus quidam, monachus doctiſſimus. IV, 221.
Benignus, Georgius, O. S. F. Vir doctiſſimus. V, 94.
Benvenuti, Cæſar, *Cremenſis.* Eius Epiſtolæ MSStæ, ubi? I, 170.
Berckmüller, Symperti, Vita & Scripta. III, 135.
Berg, Marquardus *a*, Epiſcopus *Auguſtanus.* Eius Vita & Scripta. IV, 28.
Berno Augienſis, Scriptor *Vitæ S. Udalrici.* IV, 210.
Beroii, Auguſtini, *Conſilia* recuduntur. I, 48.
Beſemerus, Adrianus. IV, 111. 115. 137. 196.
Betuleius, Xyſtus. I, 43. Eius Vita & Scripta. V, 2. VI, 208. *Emanuel.* Eius merita litteraria. V, 13. 18. *Chriſtianus.* Nonnulla de eo. V, 14.
Biart, Ioann. Baptiſta, Abbas *Domaprenſis* in Lotharingia. Eius Epiſtolæ MSStæ, ubi? I, 170.
Bidermanni, Iacobi, laus. V, 151.
Bild, Vitus. Eius Vita & Scripta. I, 10. Vocatur etiam *Imagius* & *Iconius.*
Birck. V. *Betuleius.*
Biſſelius, Dominicus. Eius Vita & Scripta. II, 27.
Blanckenſtein, Kilianus. IV, 115.
Bloſii, Ludovici, nonnulla Germanice eduntur. IV, 203.

Bnyn, Andreas *de*, Epiſcopus *Poſnanienſis*. Eius laudes ubi? V, 161.
Boedeccerus, Bonaventura, Mæcenas litterarum. VI, 54.
Boeſchenſtein, Ioannes, docet linguam hebraicam. I, 141.
Boius, Leonardus, docet *Auguſtæ*. I, 5.
Bolſter, Georgius, Monachus *Andecenſis*. Eius Carmina MSSta, ubi? I, 216. 217.
Bonagarſus Piſtorienſis *de vera Nobilitate* recuditur *Auguſtæ*. V, 21.
Bonis, Sebaſtianus *de*, Præceptor Domûs S.Antonii *Memmingenſis*. V, 33.
Bozenhart, Hieronymus, *Wettenhuſanus*. Eius Epiſtolæ MSStæ, ubi? I, 170.
Brachmanicæ Linguæ elementa vulgantur. VI, 160. item *Brachmanum* Dogmata fabuloſa. *ibidem*.
Brand, Sebaſtianus. IV, 145.
Brandi, Theodorus & Bernardus *Baſileenſes*, mæcenates ſtudiorum. V, 10.
Brenggerus, Io. Georgius, Medicus. Eius *Epiſtola*. VI, 122.
Breuningus, Sebaſtianus, Vir doctus, & doctorum fautor. V, 160.
Bruckerus, Iacobus, corrigitur. VI, 38. 42.
Brunus, Conradus, J. V. D. Canonicus cathedralis. Eius Vita & Scripta. IV, 176. Laus. VI, 194. 205.
Bucerus, Martinus, *Auguſtæ* in templo *S. Ioannis* aliquamdiu concionator. IV, 173.
Bunaviani Librorum Catalogi mendum turpe corrigitur. VI, 68.
Burgheſii, Scipionis, *Cardinalis* Epiſtola. III, 145. 146.
Bzovius, Abraham. Eius Epiſtolæ MSStæ, ubi? III, 159.

Nic. Cabaſilæ Opuſcula eduntur. V, 144. Eius *Oratio contra Foeneratores*, græce vulgatur. VI, 48.
Cæſar, Ioannes. Eius Epiſtolæ MSStæ, ubi? I, 32. II, 29. Ioannes alius. II, 30. VI, 180. *Wolfgang. Dietericus*. II, 31. *Pius Felix*. II, 32. VI, 180. *Theophilus*. II, 33.
Cajetani, Conſtantini, *Epiſtolæ MSStæ*, ubi? III, 149.
Calatin, nobilis familiæ *de*, Genealogia ubi? II, 84, 91.
Camarıotæ, Matthæi, *Synopſis Rhetoricæ* editur. VI, 4.

Cami-

Cameræ imperialis Judicium juſſu *Caroli V.* â *Conrado Bruno* & *Conrado Viſch* reformatur. IV, 179. 188. *Catalogus Perſonarum*, qui in eo *Judicio* fuerunt, texitur. *ibidem*, & I, 186.
Cameracenſe Fædus *Maximilianum I.* inter & *Ludovicum XII.* Galliarum Regem. V, 38.
Camerarius, Joachimus, carmine funebri laudat *Moibanum.* VI, 155, 157.
Campidonenſe monaſterium. IV, 217. 222.
Caniſius, Petrus. I, 64. 67. IV, 95. 116. 117. V, 164. 183. Eius *Catechiſmus* græce, hebraice, aliisque linguis editur. VI. 141. 142. 143. *Theodoricus.* V, 164.
Io. Cantacuzeni Hiſtoria editur. V, 141.
Caraſæ, Petri Aloyſii, *Epiſtolæ.* II, 40. Laudes eius ubi inveniri queant? II, 55.
Carniola, Henricus & Ioannes *de*, Monachi *San - Udalricani* ſæculo 15. Eorum Scripta. III, 125.
Carolus M. reformat Muſicam eccleſiaſticam. IV, 6. Eius pro Eccleſia *Auguſtana* ſollicitudo. IV, 76.
Caroli III. Conſtitutio *de Feudis* editur. III, 47.
Caroli IV. Bulla aurea editur. III, 39.
Carolus V. Imperator creatur. V, 54. Alia de eo V, 210. 211. 212. *ſeqq.* VI, 211.
Caroloſtadius. II, 26.
Carvagiale, Bernardinus, *Cardinalis*, Vir doctiſſimus. V, 37. 95. 107.
Caſaubonus, Iſaacus, amicus *Hoeſchelio.* VI, 22. 50. 53. 55. 63. 64.
Caſparus, Abbas Roggenburgenſis. Eius Vita & Scripta. I, 34.
Caſtellus, Ioannes *Auguſtanus*, Medicus, & eius Scriptum. VI, 117.
Caſtriotti vulgò *Scanderbegi*, Georgii, *Vita* Germanice editur. I, 146.
Catechiſmus Romanus in Germaniam introducitur. IV, 140.
Cellarius, Conradus. III, 195. *Michael.* VI, 202.
Celtes, Conradus. Nonnulla de eo. V, 13. 93.
Centuriatores Magdeburgenſes refelluntur â *Bruno.* IV, 183. 191.
Chartaginenſis Eccleſia in *Hiſpania.* V, 58. 59.
Chiſii, Flavii, *Cardinalis* Epiſtola. III, 147.
Cholerus, Ioannes. Eius merita literaria. IV, 163.

Chronicum Alexandrinum publicatur. V, 164.
Ciaconius de Vitis Pontificum, corrigitur. IV, 33.
Ciceronis Officia edita. I, 10. V, 14. Alia *eius* Scripta eduntur. V, 14. 17. 18.
Claus, Ioſ. Ignat. Eius Vita & Scripta. I, 36.
Clementis VII. Litteræ apoſtolicæ, ad Eccleſiam ***Salisburgenſem*** pertinentes, ubi? V, 61.
Io. Climaci Liber ad religioſum Paſtorem editur. V, 163. Opera omnia græce & latine publicantur. V, 168.
Cneulinus, Hieremias, Medicus. Nonnulla de eo. VI, 116. *Tobias*. VI, 116.
Cochlæus, Ioannes, edendis *Conr. Bruni* Operibus operam impendit. IV, 187.
Collegium Germanicum *Romæ* patronum habet *Ottonem Truchſeſſium*. IV, 112. *Dillinganum S. J.* IV, 116. ***Auguſtanum*** *S. J.* IV, 117. 118. V, 123. 143. 192. *Evangelicum*, Auguſtæ. V, 200.
Comnenæ, Annæ, *Alexias*, editur. VI, 65.
Concordantiæ græcæ *N. T.* primò eduntur. V, 16. item hebraicæ *V. T.* VI, 130.
S. Conradi, Epiſcopi *Conſtantienſis*, Vita ab *Udalſcalco* ſcribitur. I, 211.
Conſtantini M. Donatio editur. III, 63.
Contareni, Caſparis, *Cardinalis*, Catechiſmus & de Poteſtate Papæ Libri germanicè eduntur. IV, 198.
Contzeler, Ioannes, *Auguſtinianus*, Vir doctus. IV, 58.
Corteſii, Ferdinandi, Hiſtoria de *Hiſpania Nova* germanice editur. I, 45. V, 17.
Coſmæ Pragenſis *Chronicon* editur. III, 60.
Crato, Ioannes. Nonnulla de eo. VI, 147. 148. et *ſeqq.* 157.
Cujacii, Iacobi, & aliorum *Commentarii in L. Frater a Fratre D. de Condict. indeb.* eduntur. III, 42.
Cumani, Marcelli, *Obſervationes medicæ* publicantur. VI, 129.
Q. Curtii Hiſtoria editur. V, 165. 167.
Cuſtos, Dominicus, Chalcographus eximius *Auguſtæ*. VI, 100. 105.
Cyri Homiliæ eduntur. VI, 32.
S. Cyrilli, Alexandrini, *Commentarius in Prophetas minores* editur. V, 144.

Daſſinger, Franciſcus. Eius Vita & Scriptum, III, 96.

Dal-

Dalham, Florianus, editor *Conciliorum Salisburgenſium.* V, 108 111. *ſeqq.*
Degen, Theodoricus. Eius Scripta. I, 41.
Delius, Michael, Profeſſor *Argentinæ.* I, 43.
Demetrius Cydonius de Morte contemnenda, editur. I, 180.
Denckius, Ioannes. Eius Epiſtolæ MSStæ ubi? I, 32.
Denichii, Joachimi, *in Erlau*, & filiorum eius laudes, ubi? III, 198.
Dexippi, Athenienſis, & aliorum *Eclogæ Legationum* publicantur. VI, 60.
Dietherus, Andreas. Eius Vita & Scripta. I, 42.
Dilbaum, Samuel. I, 46.
Dillinganæ Academiæ origo. IV, 95. 112. 113. *ſeqq.* 130. Eius initia & progreſſus deſcribit Joſephus *de Sartori.* VI, 195.
Dionyſius, à S. Euphroſina. I, 46. *Henricus.* IV, 116.
Dioſcoridis Anazarbæi, *Libri II de medicamentis paratu facilibus*, eduntur. VI, 153. 154. 156.
Diſtelmayr, Cleophas. Eius Vita & Scripta, IV, 204.
Drexelius, Hieremias. Eius Vita & Scripta. II, 33. *Epiſtolæ MSStæ* ubi? III, 150. Eius laus. V, 151. VI, 181.
Drezlerus, Ioannes, J. V. D. Eius Vita & Scripta. I, 47.
Druthmarus, Chriſtianus, editur. III, 119.
Eccius, Ioannes, diſputat *Bononiæ.* I, 56. Funebri oratione laudat Henricum *à Lichtenau*, Epiſcopum *Auguſtanum.* IV, 28.
Eccleſiaſticus, editur ab *Hoeſchelio.* VI, 62.
B. Egino, Abbas San-Udalricanus *Auguſtæ*, ſæculo XI. I, 205.
Ehingeri, Eliæ, *Verſus* ad *Carolum Stengelium.* III, 153. *Samuel.* Nonnulla de eo. VI, 79. 80.
Elers, Bonaventura. Vita & Scripta. I, 49.
Ellenbogius, Nicolaus, Monachus Ottoburanus. Eius Epiſtolæ MSStæ, ubi? I, 32.
Ellerbach, Burcardus *ab*, Epiſcopus *Auguſtanus.* Eius Vita & Scripta. IV, 24.
Emmanuel, à S. Maximiliano. I, 52.
Endavianus, Petrus, IV, 112.
Eppius, Conradus, Pædotriba *Auguſtæ* ſæculo XVI. ineunte, poſtea Medicus *Campidonæ.* V, 2.
Eraſmus, Roterodamus, muneribus afficitur. IV, 63. V, 103. *ſeqq.* Alia de *eodem.* IV, 163. 175.
Euſtratius, Leontius, *Hoeſchelio* amicus. VI, 23. *ſeqq.* 59.

Faber, Ioannes, O. PP. Eius Vita & Scripta. I, 53.
Fabri, Ioannes, O. PP. Eius Vita & Scripta. I, 62. VI, 172.
Fabricius, Simon, Rector Scholæ San - Annæanæ. Eius Vita & Scripta. III, 10. *Ioann. Baptiſta* ICtus. III, 10. *Hieronymus* Medicus. III, 10. *Andreas*, Leodienſis V, 187.
Ficini, Marſilii, Tractatus *de Epidemiæ morbo* latine editur. II, 11.
Fiſcher, Frid. Chriſtoph. Ionathas, corrigitur. III, 75.
Flaccius refutatur. I, 69, 71.
Floegelius, Car. Fridericus, ſuppletur. V, 21.
Foeniſeca. V. *Mader*.
Fonti, Bartholom. *Orationes* recuduntur. I, 164.
Forcatuli, Stephani, & Petri *de Bellapertica Commentarius de Feudis* editur. III, 58.
Forſtenhauſer, Chriſtophorus, edit *Conſilia Henrichmanni*. I, 88. 92.
Francofordia, Ioann. *de*, *Tractatus contra Feymeros* editur. III, 71.
Francus, Caſpar, docet *Ingolſtadii* &c. IV, 134.
Freherus, vel *Freer*, Marquardus, Medicus. III, 6. *Marquardus* J. V. D. III, 7. *Marquardus*, ICtus & Hiſtoriographus *Palatinus*. Eius Vita & Scripta. III, 6. In quo culpandus? III, 34. 43. 44. 53. 58. 68. Amicus *Hoeſchelio*. VI, 58. 59. Alia de eo. VI, 186. *Paulus*. III, 9.
Freimonius, Wolfgangus, Vir doctus carmine celebratur. VI, 106.
Freytag, Fried. Gotthilf, corrigitur. VI, 174.
Friedberger, Balthaſar. II, 26.
Friderici Barbaroſſæ collum non calcatum a Pontifice. I, 164.
Fries, Henricus, Abbas *San - Udalricanus* ſæculo XV. Eius merita litteraria. III, 124.
Froelich, Georgius, V. *Latus*.
Fruticenus, Ioannes. II, 126. VI, 182.
Fuggerus, Raymundus, Matheſeos amans, & fautor litteratorum. I, 25. 26. IV, 165. V, 206. *Antonius*, Matheſeos amans. I, 26. V, 209. Iacobus, & Georgius mecænates. V, 10. 20. Iacobus, Epiſcopus *Conſtantienſis*. V, 161. *Philippus Eduardus*, *Octavianus Secundus*, *Antonius*. V, 183. *Georgius*, *Marcus*, Io-

annes

annes, *Chriſtophorus*. V, 192. *Antonius* VI, 36. *Antonius* & *Udalricus* Mecænates. VI, 127. *Ioannes Iacobus* promovet litteras. VI, 154.
Fultenbach, Abbatum eius loci Catalogus, ubi? I, 30.

Gabelmannus, Nicolaus. I. 132.
Gablerus, Medicus & Profeſſor *Tubingenſis*, ad catholica Sacra revertitur. IV, 103.
S. Galli Monaſterium. Nonnulla de eo. IV; 3. 7.
Gamerius, Hanardus. I, 45. Quem maxime Patronum habuerit? IV, 15.
Gaſſarus, Achilles Pirminius, corrigitur. III, 107. IV, 19. 58. 67. IV, 146. 228. Alia de eo VI, 156. 157.
Gaſtel, Gregorii, Vita & Scripta. III, 135. 160. VI, 121.
Gebehardus, Cardinalis ſæculo XII. Diploma. I, 209. *Gebehardus*, Comes *de Ammerthal*, Epiſcopus *Auguſtanus*. Eius Scripta. IV, 209
Geiger, Malachias, Medicus. II, 48.
Geldenhaurii, Gerardi, *Epiſtolæ*. I, 145. 146. Auguſtam linquit. I, 172. V, 7.
Gemmingen, Io. Otho *de*, Epiſcopus *Auguſtanus*. Eius Vita & Scripta IV, 29. V, 190. *Julius Henricus*. Eius Vita & Scripta. IV, 20.
Gennadius Scholarius de Prædeſtinatione vulgatur. VI, 41.
Gentilis, Albericus, *de Legationibus* editur. III, 40.
Geographica Marciani & *aliorum* eduntur. VI, 53.
Gerhardus, Scriptor *Vitæ S. Udalrici Auguſtani Epiſcopi*. IV, 208.
Germani Homiliæ eduntur. VI, 32.
Geroldseck, nobilis familiæ *de*, Genealogia ubi? II, 96.
Gerzen, Thomas *de*, ſæculo 15. Eius Scriptum. III, 125.
Geſnerus, Conradus, poſt *Moibanum* edit *Dioſcoridem*. VI, 156. 157.
Gewoldus, Chriſtophorus, Antagoniſta *Freheri*. III, 19. 66. 69. Alia de eo. V, 164. 167.
Giltlingen, Ioannes *de*, Abbas *San-Udalricanus*, ſæculo XV. Eius merita litteraria. III, 129.
Ginther, Antonius. Eius Vita & Scripta. I, 39.
Glettle, Ioſ. Bernardus. Eius Vita & Scripta. I, 73. VI, 172.
Glettle, Io. Melchior, Scriptor muſicus. I, 77.
Mich. Glycæ nonnulla publicantur. V, 144.
Grabaldi, Marii. *Dictionarium* recuditur. I, 144.

Gra-

Graphæi, Cornelii, *Formulæ Colloquiorum* recuduntur. I, 145.
S. Gregorii Nazianzeni nonnulla eduntur. VI, 32. 35. 37. 52.
S. Gregorii Nyſſeni nonnulla eduntur. VI, 32. 36. 38. 67.
S. Gregorii Neo-Cæſareenſis Panegyris *in Origenem* vulgatur. VI, 62.
Gretſeri, Iacobi, *Epiſtolæ MSStæ*, ubi? III. 149. Moriens Adverſaria ſua *Georg. Stengelio* commendat. III, 190.
Griesherr, Ioannes, monachus *San-Udalricanus*, ſæculo 15. Eius merita litteraria. III, 129.
Grimm, Sigiſmundus. I, 19. Eius merita litteraria. V. 96. *Simon.* Paucula de eo. V, 97.
Gruberus, Ioannes, *S. J.* Nonnulla de eo. VI, 158.
Gruterus, Ianus, *Livium* edere cogitat. VI, 86.
Grynæus, Simon. III, 116. 117. V, 7. 8.
Grueber, Io. Georg. Eius Vita & Scripta. II, 69.
Gugl, Thomas. I, 78.
Gundlingius, corrigitur. VI, 55.
Guttenberg, Georg. Hermannus à, favet Litteratis. I, 101.
Gutwillig, Martinus. I, 78.

Hagen, V. *Indagine.*
Hagerus, ICtus. Nonnulla de eo. V, 208.
Hainhofer, familia illuſtris inter *Auguſtanas*, VI, 89. *Philippus.* Eius Vita & Merita litteraria. VI, 99.
Hainzelii, Ioann. Baptiſta & Paulus mæcenates ſtudiorum. V, 10. 11. 12. 13. VI, 149. 150. 151. 154. *Fridericus* VI, 30.
Hainzelmann, Ludovicus. III, 91.
Haller, Leonardus. Eius Vita & Scripta. I, 79. Ad Concilium *Tridentinum* ablegatur. I, 81.
S. Hariolphi Vita, à *S. Adalberone* deſcribitur. IV, 8.
Hartbertus, Epiſcopus *Curienſis.* IV, 215.
Hartmannus, Georgius. I, 19. *Hartmannus junior*, doctus monachus *San-Gallenſis.* IV, 210.
Haſſenſtein, Bohuslai *de*, Opera recenſentur. II, 16.
Haugen, Sixtus, ſæculo XV. VI, 191.
Hay, Romani, *Epiſtolæ MSStæ*, ubi? III, 150.
Hegenmiller vel *Hagenmiller*, Ioannes, Procancellarius S. R. I. Nonnulla de eo. V, 205. 224.
Heilbrunneri, Iacobi, Narratio *de Colloquio Ratisbonenſi* refutatur. IV, 206. *Heim-*

Heimburg, Gregorii *de*, Scripta eduntur. III, 59. 62.
De *Heinecken*. Litterati Viri huius mentio fit. III, 127.
Helfenſtein, Ulricus *de*, ad catholica Sacra revertitur. IV, 103. 202.
Heniſchius, Georgius. Nonnulla de eo. VI, 92. 96.
Henning:, Marci, *Epiſtolæ MSStæ* initium affertur. III, 137. 138. Scripta. VI, 104.
Henrichmannus, Iacobus, J. V. D. Eius Vita & Scripta. I, 86. IV, 158. Laus. VI, 194.
Henricus Moguntinus Archiepiſcopus. II, 106. *Henricus IV.* Rex Galliarum, favet Societati Jeſu. V, 145.
Hermannus Ord. PP. *ſæculo XIV.* II, 71. *Hermannus*, Georgius, vir doctus. VI, 37.
Hermetii, Antonii, *Speculum perfectionis* germanice editur. IV, 204.
Hermetis Triſmegiſti Jatromathematica eduntur. VI, 49.
Hermias, contra Philoſophos gentiles, editur, I, 180.
Herwart, Io. Georgius, ab Hohenburg. V, 164.
Heſychius Hieroſolymitanus *in Prophetas* editur. VI, 58.
Heupoldi, Bernardi, Scripta. III, 222. VI, 68. 69.
Hierapollinis Hieroglyphica eduntur. VI, 45.
Hieroclis Facetiæ eduntur. III, 59.
Hippocrates de VII. Gradibus Vitæ humanæ vulgatur. VI, 67.
Hoechſtetterus, Philippus, Medicus. Eius Scripta. VI, 119. *Ioannes Philippus*, Medicus. Eius Scripta VI, 119. 120. *Joſephus.* Eius Scriptum. VI, 120.
Hoeſchelius, David. Eius Vita & Scripta. VI, 3. Aliorum Eruditorum labores adjuvat. VI, 69. Eius *Epiſtolæ* editæ recenſentur. VI, 73. *Epiſtolæ* eius *XVII.* anecdotæ vulgantur. VI, 73. 79. *ſeqq.* Eius *Opera promiſſa vel meditata* enumerantur. VI, 73. Nonnulla de eo. VI, 131. *Daniel.* VI, 30. *Paulus.* VI, 30. *Michael.* VI, 31.
Hoelzel, Blaſius, inſignis Mecænas litteratorum. II, 226.
Hohenzollern, Eitel Fridericus ab. Eius laudes ubi habeantur. I, 47.
Holthuſius, Ioannes. Eius Vita & Scripta. IV, 199.
Homiliæ variorum *Patrum*, editæ ab *Hoeſchelio.* VI, 32.
Hoſius, Stanislaus, Cardinalis. IV, 109. 110. 135.
Hoxius, Andreas, *Weingartenſis.* V, 160.
Huberinus, Caſpar, ad *Lutherum* mittitur concordiæ in Religione faciendæ ergò. I, 173.

Hungerus, Wolfgangus, diſcipulus Anemoecii. VI, 171.

S. Iacobi Cænobium *Moguntiæ*. De Bibliotheca *ibidem* nonnulla aſſeruntur. V, 229.

Iaeger, Clemens. Eius Scripta. III, 89.

Iajus, Claudius. Nonnulla de eo. IV, 91. 92. 110. 111.

Illecinus, Iacobus. IV, 110. 135. V. *Noguera*.

Illſung. Patritiæ familiæ *Auguſtanæ* Origo. III, 94. *Leopoldus*. Eius Vita & Scripta. III, 94. *Georgius*. V, 192.

Imhofius, Frid. Raymundus, ſuo ære *Conſilia Beroii* recudi facit. I, 48. *Auguſtinus*. Eius Vita & Scripta. II, 72. VI, 181.

Indagine, Ioannis *ab*, Ord. Carthuſ. Liber *de Conciliis* una cum Vitæ eius Synopſi, germaniee editur. IV, 198.

Ingelheimenſis Synodus. IV, 213. Alia Synodus ibidem. IV, 218.

Ingolſtadienſis Academiæ ſtatus præclarus ſæculo 16. medio. IV, 9. Eidem ſuam Bibliothecam aliaque vivus dono dat Io. Egolph. *à Knoeringen*, Epiſcopus *Auguſtanus*. IV, 15. Ab aliis quoque augetur dicta Bibliotheca. IV, 16. Eiusdem Bibliothecæ *Incunabulorum Catalogus* vulgatur. IV, 16. *Societatis litterariæ* ibidem â Io. *Aventino* inſtitutæ membra recenſentur. VI, 197.

Interim, Formula Fidei, *Auguſtæ* introducitur. V, 212.

Ioannes Anglicus. Eius *Roſa medica* editur. VI, 109.

Ioannes Auguſtanus, Monachus Ord. S. Bened. ſæculo XV. I, 93. *Ioannes*, Monachus, *ſæculo* 15. III, 126.

Ioannes Kampenſis. Eius *Pſalterium* germanice editur. I, 103. *Ioannis* Carpathiorum epiſcopi nonnulla vulgantur. V, 144. *S. Ioannis* Chryſoſtomi nonnulla eduntur. VI, 32. 40. 51. 58. 59. *S. Ioannis Damaſceni* nonnulla eduntur. VI, 34.

Ioſephus, Epiſcopus *Auguſtanus*, transfert oſſa *S. Udalrici*. IV, 220.

Iſidori, Peluſiotæ, *Epiſtola de Judæorum abolita Politia* vulgatur. VI, 60.

Iſocratis de Regno Liber latinè editur. I, 104. Germanicè vulgatur. IV, 161.

Iudex, Matthæus, refutatur â *Mutio Juſtinopolitano* IV, 111.

Julii II. Epiſtola ad *Matthæum Langium*. V, 40.

Iulii III. Epiſtola de *Othone Truchſeſſio*, ubi? IV, 124. 125.

Iun-

Iungermannus, Godofredus. Nonnulla de eo. VI, 131.
Iuſtus Urgellitanus editur. III, 119.

Kammerlander, Iacobi, *Epiſtola*, ubi? III, 119.
Kauffringer, Paulus, Grammatodidaſcalus. I, 95.
Kayſer. V. *Cæſar*.
Keller, Michael. V. *Cellarius*.
Kempis, Thomæ à, Libellus *de Imitatione Chriſti* græce editur. VI, 144.
Khager, Matthias, celebris Pictor *Auguſtanus*. III, 162.
Franciſcus Antonius. I, 79.
Khellnerus, Guilielmus, *à Zinnendorf*, J. V. D. Nonnulla de eo. IV, 171. 175. *Guilielmus* filius. *ibidem*.
Kholbornius, Canonicus *ad S. Stephanum* Moguntiæ, *Orationem* Chriſtoph. *à Stadion* Epiſcopi *Auguſtani* ſynodalem denuo recudi curat. IV, 65.
Kircherus, Athanaſius, S. J. Eius *Epiſtolæ* aliquot eduntur. I, 113. Amici eius *Auguſtæ* aliquot. *ibid.* Quos adjutores habuerit in edenda *China illuſtrata*? VI, 158.
Conradus, Auguſtanus. Eius merita litteraria. VI, 130.
Kiſtler, Ignatius. Eius Scripta. II, 79.
Kleindienſt, Bartholomæus, Ord. PP. Eius Vita & Scripta. IV, 193.
Knoeringen, Io. Egolphus *de*, Episcopus. Eius Vita & Scripta. IV, 9. VI, 188. *Henricus*, Epiſcopus *Auguſtanus*. Eius Vita & Scripta. IV, 30. VI, 192.
Knoeringer, Gallus, Monachus Faucenſis. Eius *Epiſtolæ MSStæ*, ubi? I, 32.
Koehlerus, I. D. corrigitur. V, 84.
Koenigſeck, Ioann. Iacobus *à*, Canonicus *Auguſtanus* &c. Eius Vita & Scripta. V, 23.
Kramer, Balthaſar, Calligraphus. I, 97.
Kretz, Matthias. I, 90. IV, 158. 160. Eius merita & Scripta. IV, 167. VI, 196 - 203.

Lactantii, Opera eduntur. V, 18.
Lamprias de Scriptis Plutarchi editur. VI, 48.
Langenmantel, Gens patritia *Auguſtæ*. Eius origo. I, 108. *Hieronymus Ambroſius*. Eius Vita & Scripta. I, 108. *Ulricus* in favorem quatuor *Studioſorum* Stipendium aſſignat. V, 4.

Langius, Matthæus, Cardinal. & Archiepiſc. *Salisburgenſis*, fautor Virorum doctorum I, 56. Ad lites, inter alumnos Ord. Prædicat. exortas, componendas unà cum aliis à *Maximiliano I.* deputatur. I, 57. Eius Vita, Dotes animi, Doctrina & Scripta fuſe exponuntur. V, 25. Vindicatur ab adverſariorum convitiis. V, 55. 56. 82. *ſeqq.* Elogia eius. V, 73. *ſeqq.* 90. *ſeqq.* 98. *ſeqq.* Alia de eo. VI, 208.

Lapide, Ioannis *de*, Libellus *de Reſolutione dubiorum circa celebrationem Miſſæ* recenditur. IV, 140.

Lapides ſerpentini a Luſitanis, *La Pedra della Cobra*, dicti. VI, 158.

Lateranenſe Concilium ſub *Julio II.* V, 42.

Laubius, Georgius, Medicus. VI, 35. Eius Vita & Scripta. VI, 107. *Hieronymus*, Auguſtanus, Medicus Regis *Daniæ* aulicus. Eius Scripta. VI, 111.

Lauriſhemenſe Cænobium. Nonnulla de eo. IV, 2. 8.

Leib, Kilianus, *Rebdorſenſis*. II, 20. 22.

Lemnius, Simon, diſcipulus Anemoecii. VI, 171.

Leonis X. Epiſtola ad *Matthæum Langium*, ubi? V, 47. 51. *Conſultatio* de Expeditione contra Turcam. V, 51.

Leunclavii, Ioann. *Jus græco-romanum* editur. III, 40.

Leyſerus, Polycarpus, refellitur. IV, 205.

Libanii Characteres editi. I, 9.

Lichtenau, Henricus *à*, Epiſcopus Auguſtanus. Eius Vita & Scripta. IV, 27. VI, 192. *Conradi*, Abbatis Urſpergenſis, *Chronicon* editur *Auguſtæ*. IV, 150.

Liebenthalii, Chriſtiani, *Collegium politicum* editur. III, 207.

Lindanus, Guil. Damaſus. IV, 115. 135. 202.

Lippertus, Ioann. Caſpar, Eques, Boius *Velſeri Librum V. & VI. Rerum Boicarum* edit. II, 219.

Lipſii, Juſti, *Notæ in Tacitum* eduntur. III, 57.

Locher, Iacobus, Philomuſus. I, 14. Eius Epiſtolæ MSStæ ubi? I, 32.

Loetus, Georgius. Eius Vita & Scripta. I, 98.

Lucaris, Conſtantinus, *Hoeſchelio* amicus. VI, 23. *ſeqq.* 59.

Ludolphus filius in patrem *Othonem I.* rebellat. IV, 214. 215.

Luitolphus, Epiſcopus *Auguſtanus* impetrat Canonizationem *S. Udalrici*. IV, 220.

Ludewig, Io. Petr. *de*, corrigitur. III. 110. 111.

Ludovici IV. Bavari *Sententia Separationis &c.* una cum aliis Scriptis editur. III, 41.

Ludo-

Ludovici, Germanici & *Karoli* Regis Galliarum *Formulæ* Foederis eduntur. III, 64.
Luſcinius. V. *Nachtgall.*

Macer, Caſpar, Profeſſor *Ingolſtadii.* I, 44.
Mader, Ioannes. I, 19. Eius Scripta. IV, 147.
Magius, Octavianus, *de Legationibus* editur. III, 40.
Maigretii, Georgii, *Martyrographia* germanice editur. I, 42.
Marcius, Martinus, Theologus *Pariſienſis* docet *Dillingæ*. IV, 115.
Margunius, Maximus, Epiſcopus *Cytherenſis* amiciſſimus *Hoeſchelio*. VI, 23. *ſeqq.* Eius *Poemata* eduntur. VI, 38. Eius *Epiſtolæ* ubi ? VI, 39. *ſeqq.* paſſim. Eius *Anacreontica* publicantur. VI, 57.
S. Mariæ Eccleſia, ſeu *cathedralis*, *Auguſtæ*. Plures ad eam pertinentes Notitiæ. II, 106. *ſeqq.* IV, 76. V, 32. 44. Mos in ea oſtendendi SS. Reliquias populo in pervigilio S. Michaelis. V, 185. Vide *Auguſta.*
S. Mariæ Theodotæ monaſterii Privilegia confirmantur. IV, 2.
Marianus, Chriſtophorus. Eius Vita & Scripta. I, 117. VI, 174.
S. Marinus, Pontifex Romanus, prophetiæ dono celebris. IV, 211.
Marius, Auguſtinus, Vir perdoctus. IV, 63.
Marſchallus, Matthæus. Eius Vita & Scripta. II, 84. V, 3. VI, 181. Varia ad familiam *Marſchallorum* attinentia. II, 113.
M. V. Martialis Carmina publicantur. V, 157. 158.
Martin, Alipius. Eius Scripta. II, 80.
M. Maruli Spalatenſis Memorabilium Libri VI. germanice eduntur. IV, 203.
Matthæi, Ioannes, Prior *Auguſtinianus* ſtudia promovet *Mindelhemii.* IV, 155.
Mattſperger. V. *Marianus.*
S. *Maximi* Martyris *Myſtagogia*, & *Definitiones* vulgantur. VI, 51.
S. Mauritii Eccleſia, *Auguſtæ.* Plures ad eam pertinentes Notitiæ. II, 106. *ſeqq.* Ibi concionantur *Paulus Hofæus.* IV, 95. *Georgius Mayr.* VI, 135.
Maximilianus I. Concio in obitum eius, I, 60. Congreſſus eius cum *Ladislao* Hungariæ Bohemiæque, et *Sigiſmun-*

giſmundo Poloniæ Regibus, ac fædera nuptialia. V, 49. 57. Sacri belli ducatûs inſignia a Card. Thoma *Cajetano* accipit. V, 52. Obit diem ſuum. V, 53.. Eius Dictum memorabile. V, 80. 81.
Maximiliani, Ducis *Bavariæ*, ſtudium promovendi litteras. V, 135. Favor in *Societatem Jeſu*. V, 135. 143. 192. *Bavariam ſanctam* ſcribi curat & imprimi. V, 152. 165.
Maynettus, Profeſſor Medicinæ. Nonnulla de eo. VI, 151.
Mayr, Georgius, *S. J.* Eius Vita & Scripta. VI, 133. *Georgius* alius, & eius Scripta. VI, 133. *Paulus Hector*. Eius Scripta. III, 76. *Sebaldus*, peritiſſimus typographus *Dillingæ*. IV, 116.
Mayſterlin, Sigiſmundus, *ſæculo XV.* Eius Vita & Scripta. III, 99.
Meichſnerus, Ioannes, I. V. D. Eius Vita & Scripta. V, 117. *Sebaſtianus*. V, 119.
Menchuſius, Iacobus. IV, 115. 196.
Mercerii, Ioann.. *Opinionum Libri II.* eduntur. III, 42.
B. Methodii Revelationes eduntur. IV, 145.
Miconius, Oſwaldus. II, 25.
Miller. V. *Mylius*.
Minderer, Raymundus, Medicus. Eius Vita & Scripta. VI, 114. Cum *Aetio Cleto*, & Petro *Caſtello* in controverſiam incidit. VI, 117.
Mirandulanus, Ioann. Franciſcus, implorat patrocinium Matthæi *Langii*. V, 106. *Ioannis* Carmina pia, ubi? VI, 57.
Moeſchus, Georgius, Vir doctus. VI, 33. 47. 92.
Moibanus, Ioannes, Medicus. I, 179. Eius Vita & Scripta. VI, 147.
Moltherus, Menradus. Eius Vita & Scripta. III, 116.
Morhofius corrigitur. IV, 154.
Munzingerus, Henricus, *Baſileenſis*, Medicinæ Doctor. V, 6.
Murbacenſe Cænobium in *Alſatia*. Nonnulla de eo. IV, 74. *ſeqq.*
Muſculus, Wolfgangus, diſcipulus *Betuleii*. V, 10.
Muzenhart, Antonius. Eius Scripta. II, 80.
Mylius, Georgius. Lis ab eo excitata. V, 187. 195. 200. Eius Vita & Merita litteraria. V, 200. Vide etiam: VI, 211.

Nacht-

Nachtgall, Othmarus. Eius Epiſtolæ *MSSta*, ubi? I, 32. Nonnulla de eo. IV, 163. 164. 172.
Nadler, Ioannes, Eius Scriptum. VI, 2.
S. Narciſſi ædicula, *Auguſtæ*. Nonnulla de ea. V, 46.
Neoburgenſis Epiſcopatus, utrum exſtiterit? IV, 77. Qui ſcripſerint de *Colloquio Religionis* ibi habito? IV, 206.
Neumayr, Ioſephus, *O. PP.* Eius Scripta. I, 129.
Nicetas, de VII. Admirandis Mundi vulgatur. VI, 67.
Noguera, Iacobus. IV. 110. Eius Liber *de Eccleſia Chriſti* editur. IV, 198.
Notingus Epiſcopus *Conſtantienſis*. IV, 213. 225.
Nunneſius, Petrus. Eius merita litteraria. VI, 56.
Nyſæus, Ioannes, *Auguſtanus*, docet *Baſileæ* &c. V, 22.

Occhinus (Bernardus) Eius Conciones nonnullæ in linguam germanicam traducuntur. VI, 120.
Occo, Adolphus *I.* I, 19. Eius Carmina MSSta, ubi? I, 216. *Occones III.* Medici docti *Auguſtani* carmine laudantur. VI, 104. *Occo II.* I, 173.
Oecolampadius, Ioannes. Eius Epiſtolæ MSSta, ubi? I, 32, II, 26. IV, 63.
Oefelius, Andr. Felix, Bibliothecarius *Bavaricus*. Nonnulla de eo. III, 78. IV, 207. VI, 164.
Olave, Martinus *de*. IV, 115. 128.
Optatiani, Publilii, *Panegyricus* editur. II, 232.
Oreſmii, Nicolai, Liber *de Origine &c. Monetæ* editur. III, 58.
Origenis & *Africani* Epiſtolæ mutuæ *de Suſanna* vulgantur. VI, 58. Opus *contra Celſum* editur. VI, 62. Alia *Eiusdem* prodeunt. VI, 63.
Ortelius, Abraham. I, 129.
Orto, Oberti *ab*, Opus *feudale* germanice editur. IV, 144.
Oſiander, Lucas, antagoniſtam habet Gregorium *Roſeffum*. V, 195.
Oſterroth, Chriſtophorus, confutatur. III, 221.
Ottoburanum monaſterium. IV, 217.
Oudinus, Caſimirus, refutatus. I, 34.
Ovidii Triſtium et de Ponto Libri vulgantur. V, 145. Eius *Metamorphoſes* itidem. V, 146. 147.

Pacæus, Valentinus, docet *Dillingæ*. IV, 115. Alia de eo. VI, 195.

Packius, Otto, inſignis Impoſtor. V, 65. Punitur. VI, 208.

Panzau, Octavianus. Eius Scripta. II, 77. 78.

Paſſionei, Dominici, *Cardinalis* præclarum de aliquibus *Caroli Stengelii* Operibus judicium. III, 156.

Pauli III. Breve pro *Othone Truchſeſſio*, ubi? IV, 124. 125. *Epiſtola* ad Matthæum *Langium*, fors ſuppoſititia? V, 113. *Pauli IV. Epiſtola* de *Othone Truchſeſſio*, ubi? IV, 125. Eiusdem Controverſia cum *Ferdinando I.* Imperatore de ſuſcepta dignitate cæſarea. V, 215. 225.

Perauldus, Raymundus, Epiſcopus *Gurcenſis* & Cardinalis. V. 32. 36.

Perſona, Chriſtophorus, notatur. I, 152.

S. Petri monaſterium *Salisburgi*. Nonnulla de eo. V, 56. 59.

Petri Siculi Hiſtoria editur. V, 160.

Peutingerus, Conradus. Eius *Vita* fuſe deſcripta editur *Auguſtæ*. I, 130. Litteras & Litteratos fovet. I, 143. 144. II, 124. 125. III, 118. IV, 164. V, 10. Additamenta ad eius *Vitam*. II, 114. *Sermonum convivalium* edendorum quæ cauſſa ei fuerit? V, 95. *Carolus*. I, 130. *Chriſtophorus*. I, 132. *Chriſtophorus*, alius a præcedenti. I, 134. *Marcus*. I, 136. *Chriſtophorus*, Medicus, I, 137. *Peutingeræ*, *Juliana* & *Conſtantia*. I, 138.

Pfiſter, Narciſſus, Monachus *San - Udalricanus*, ſæculo 15. Eius Scripta. III, 124.

Pflanzmann, Jodocus. Eius merita litteraria. IV, 144.

Pflaumern, Io. Henrici *ab*, Epiſtola. III, 149.

Philippus, Comes Palatinus Rheni, Epiſcopus *Friſingenſis*. V, 55. 109. *Philippi* Solitarii Dioptra vulgatur. V, 143.

Philonis Judæi nonnulla eduntur. VI, 33, 67.

Philothei CPtani Oratio editur. V, 144.

Photii Bibliotheca publicatur: item *Eiusdem* Epiſtolæ. VI, 53. 54. 55.

Phranzæ, Georgii, Chronicon vulgatur. V, 143.

Phrynichi Epitome editur. VI, 56. 61.

Pii V. Epiſtola pro *Othone Truchſeſſio*, ubi? IV, 103. 125. *Epiſtola* ad *eundem* ubi? IV, 139. *Catechiſmum Romanum* germanicè edi ſuadet. IV, 141.

Pinicianus, Ioannes. Eius Vita & Scripta. I, 139.

Pirckheimerus, Wilibaldus. Eius Epiſtolæ MSStæ, ubi? I, 32.

Pirckmayr, vel *Pirgmann*, Magnus, *ſæculo XV.* VI, 190.
Piſanum Conciliabulum. V, 42.
Pittinger, Henricus, monachus *San - Udalricanus* ſæculo 15. Eius labores litterarii. III, 126.
Pogianus, Iulius, *Io. Chryſoſtomi* Librum *de Virginitate* latine edit. IV, 126. Plura de eo. IV, 134.
Poll, Nicolaus, Medicus. Eius Epiſtolæ *MSSta* ubi? I, 32.
Polychronii nonnulla publicantur. VI, 58.
Pomerius, Iulianus, editur. III, 120.
Pontanus, Iacobus, *S. J.* Eius Vita & Scripta fuſe exponuntur. V, 119. Diſtinguendus eſt à *Iacobo Pontano* Heidelbergenſi. *ibidem*. Elogia virorum doctorum de eo. V, 128. *ſeqq.* Amici eius. V, 133. *ſeqq.* Alia de eo. VI, 210.
Popma, Auſonius, *de Verborum differentiis* recuditur. III, 206.
Prieſer, Io. Henr. *de*, I. V D. & Conſiliarii Reipublicæ *Auguſtanæ*, docta Obſervatio. III, 75.
Procopii Cæſareenſis *Hiſtoriarum* Libri vulgantur. VI, 64.
Prudentii Pſychomachia editur. IV, 148.
Purſchtinger, Bertholdus, Epiſcopus *Chiemenſis*. VI, 177. Editor Operis: *Deutſche Theologey*. VI, 208.

S. Radegundis Eccleſia prope caſtrum *Wellenburg* reædificatur & conſecratur. V, 58.
Raderi, Matthæi, *Epiſtolæ* MSStæ, ubi? III, 149. Diſcipulus Iacobi *Pontani*. V, 121. Eius Vita & Scripta prolixe exponuntur. V, 149. Vindicatur. V, 157. 158. Sugillatur. V, 165. Alia de eo. VI, 211.
Ramirez, Laurentius, caſtigatur. V, 158.
Raſſlerus, Maximilianus, *Raderi* Bavariam ſanctam germanice edit. V, 166.
Ratholdus, Erhardus, Typographus *Auguſtanus*. Nonnulla de eo. VI, 178. 179.
Ratisbonenſe Colloquium de Religione inſtitutum. II, 148.
Raynaldus, Odericus, refutatur. V, 114.
Rehlingerus, Henricus, ſuo ære *Beroii Conſilia* recudi curat. I, 48. Familiæ Patritiæ *Auguſtanæ* Origo. II, 118. III, 91. *Sebaſtianus*. Eius Vita & Scripta. II, 118. *Carolus*, Mecænas litterarum. VI, 54. 63.

Packius, Otto, inſignis Impoſtor. V, 65. Punitur. VI, 208.
Panzau, Octavianus. Eius Scripta. II, 77. 78.
Paſſionei, Dominici, *Cardinalis* præclarum de aliquibus *Caroli Stengelii* Operibus iudicium. III, 156.
Pauli III. Breve pro *Othone Truchſeſſio*, ubi? IV, 124. 125. *Epiſtola* ad Matthæum *Langium*, fors ſuppoſititia? V, 113. *Pauli IV. Epiſtola* de *Othone Truchſeſſio*, ubi? IV, 125. Eiusdem Controverſia cum *Ferdinando I.* Imperatore de ſuſcepta dignitate cæſarea. V, 215. 225.
Perauldus, Raymundus, Epiſcopus *Gurcenſis* & Cardinalis. V. 32. 36.
Perſona, Chriſtophorus, notatur. I, 152.
S. Petri monaſterium *Salisburg*. Nonnulla de eo. V, 56.59.
Petri Siculi Hiſtoria editur. V, 160.
Peutingerus, Conradus. Eius *Vita* fuſe deſcripta editur *Auguſtæ*. I, 130. Litteras & Litteratos fovet. I, 143. 144. II, 124. 125. III, 118. IV, 164. V, 10. Additamenta ad eius *Vitam*. II, 114. *Sermonum convivalium* edendorum quæ cauſſa ei fuerit? V, 95. *Carolus*. I, 130. *Chriſtophorus*. I, 132. *Chriſtophorus*, alius a præcedenti. I, 134. *Marcus*. I, 136. *Chriſtophorus*, Medicus, I, 137. *Peutingeræ*, *Juliana* & *Conſtantia*. I, 138.
Pfiſter, Narciſſus, Monachus *San - Udalricanus*, ſæculo 15. Eius Scripta. III, 124.
Pflanzmann, Jodocus. Eius merita litteraria. IV, 144.
Pflaumern, Io. Henrici *a*, Epiſtola. III, 149.
Philippus, Comes Palatinus Rheni, Epiſcopus *Friſingenſis*. V, 55. 109. *Philippi* Solitarii Dioptra vulgatur. V, 143.
Philonis Judæi nonnulla eduntur. VI, 33, 67.
Philothei CPtani Oratio editur. V, 144.
Photii Bibliotheca publicatur: item *Eiusdem* Epiſtolæ. VI, 53. 54. 55.
Phranzæ, Georgii, Chronicon vulgatur. V, 143.
Phrynichi Epitome editur. VI, 56. 61.
Pii V. Epiſtola pro *Othone Truchſeſſio*, ubi? IV, 103. 125. *Epiſtola* ad *eundem* ubi? IV, 139. *Catechiſmum Romanum* germanicè edi ſuadet. IV, 141.
Pinicianus, Ioannes. Eius Vita & Scripta. I, 139.
Pirckheimerus, Wilibaldus. Eius Epiſtolæ MSStæ, ubi? I, 32.

Pirck-

Pirckmayr, vel *Pirgmann*, Magnus, *ſaeculo XV.* VI, 190.
Piſanum Conciliabulum. V, 42.
Pittinger, Henricus, monachus *San - Udalricanus* ſaeculo 15. Eius labores litterarii. III, 126.
Pogianus, Julius, *Io. Chryſoſtomi* Librum *de Virginitate* latine edit. IV, 126. Plura de eo. IV, 134.
Poll, Nicolaus, Medicus. Eius Epiſtolae *MSStae* ubi? I, 32.
Polychronii nonnulla publicantur. VI, 58.
Pomerius, Julianus, editur. III, 120.
Pontanus, Iacobus, *S. J.* Eius Vita & Scripta fuſe exponuntur. V, 119. Diſtinguendus eſt à *Iacobo Pontano* Heidelbergenſi. *ibidem.* Elogia virorum doctorum de eo. V, 128. *ſeqq.* Amici eius. V, 133. *ſeqq.* Alia de eo. VI, 210.
Popma, Auſonius, *de Verborum differentiis* recuditur. III, 206.
Prieſer, Io. Henr. *de*, I. V D. & Conſiliarii Reipublicae *Auguſtanae*, docta Obſervatio. III, 75.
Procopii Caeſareenſis *Hiſtoriarum* Libri vulgantur. VI, 64.
Prudentii Pſychomachia editur. IV, 148.
Purſchtinger, Bertholdus, Epiſcopus *Chiemenſis*. VI, 177. Editor Operis: *Deutſche Theologey*. VI, 208.

S. Radegundis Eccleſia prope caſtrum *Wellenburg* reaedificatur & conſecratur. V, 58.
Raderi, Matthaei, *Epiſtolae* MSStae, ubi? III, 149. Diſcipulus Iacobi *Pontani*. V, 121. Eius Vita & Scripta prolixe exponuntur. V, 149. Vindicatur. V, 157. 158. Sugillatur. V, 165. Alia de eo. VI, 211.
Ramirez, Laurentius, caſtigatur. V, 158.
Raſſlerus, Maximilianus, *Raderi* Bavariam ſanctam germanice edit. V, 166.
Ratholdus, Erhardus, Typographus *Auguſtanus*. Nonnulla de eo. VI, 178. 179.
Ratisbonenſe Colloquium de Religione inſtitutum. II, 148.
Raynaldus, Odericus, refutatur. V, 114.
Rehlingerus, Henricus, ſuo aere *Beroii Conſilia* recudi curat. I, 48. Familiae Patritiae *Auguſtanae* Origo. II, 118. III, 91. *Sebaſtianus*. Eius Vita & Scripta. II, 118. *Carolus*, Mecaenas litterarum. VI, 54. 63.

Reiche-

Reichenau, Guilel. de, Epiſc. *Eichſtettenſis* Sanctorum Reliquias *Henrico VI.* Angliæ Regi mittit. II, 4.
Reihing, Iacobus, à *Georg. Stengelio* refellitur. III, 194. *ſeqq.*
Rembold, Io. Bapt. Eius Vita & Scripta. I, 148.
Remus, Ægidius. Eius Vita & Scripta. I, 149. V, 63. VI, 175. *Georgius*, juvenis moritur. I, 151. *Georgius* alius. Eius Vita & Scripta. I, 153. VI, 5. 23. 50. 54. 57. 177. *Wolfgangus Andreas.* Eius Vita & Merita litteraria. IV, 172. VI, 194. *Wolfgangus*, pater præcedentis. IV, 172. VI, 205.
Reuchlinus, Ioannes, Matthæi *Langii* patrocinio utitur. V, 106.
Rhegius, Urbanus. II, 26, IV, 63. VI, 197.
Rhitovius, Martinus. IV, 115. 137.
Rhodomannus, Laurentius, adjuvat doctos *Hoeſchelii* labores. VI, 63.
Richardus Pampolitanus Ord. Eremit. S. Auguſtini editur. I, 67.
Riedlinus, Vitus, Medicus. Eius Vita & Scripta. V, 171.
Ritii, Hieronymi, *Ticinenſis* Epiſtola. II, 12.
Rittershuſius, Conradus, amiciſſimus *Hoeſchelio*, edit *Margunii Anacreontica.* VI, 57. 81. Alia de eo. VI, 83. 87. 88. 90.
Rochus Peruſinus de ſcribenda & reſcribenda Epiſtola, auctior editur. V, 121. 136. 137.
Roggenburgum, monaſterium Ord. Præmonſtrat. I, 35. 36.
Romel, Baruch Loth, *Medicus.* I, 169.
Rondininus, Natalis, *Alexandri VII.* Secretarius. III, 148.
Ronerus, Georgius, laudat oratione funebri *Philippinam Velſeriam.* II, 136.
Roſendalius, Cornelius. IV, 113. 115. 116.
Roleſſius, Gregorius, S. J. concionator ſummæ ædis Auguſtæ. I, 118. Promovet Litteras. V, 122. Eius Vita & Scripta. V, 182. Perorat in Synodis *Auguſtæ* & *Dillingæ.* V, 186.
Roſieres, Franc. *de*, adverſarius *M. Velſeri.* II, 226.
Roſinus, Stephanus. Eius Vita & Scripta. V, 29. 30.
Roth, Henrici, *S. J.* Vita & Scripta. VI, 157.
Rudolphus, Plebanus *S. Mariæ majoris*, ſæculo 15. VI, 192. *Archipresbyter* Auguſtanus. *ibidem.*
Rulandi, Martini, *Synonymia* pluries recuditur. VI, 9. 35. 36.

Rumlerus, Io. Ulricus, Medicus. Eius Vita & Scripta. VI, 127.

Sadeler, Raphael, inſignis Chalcographus. II, 39. V, 165. Eius filius, ac nepos. V, 165. 166.

Sailer, Gereon, Mecænas Studioſorum. I, 42. Eius Vita & Scripta. I, 171.

Sailer, Raphael. Eius Vita & Scripta. I, 174.

Salisburgenſis Eccleſia ad Cleri ſæcularis ſtatum redigitur. V, 48. Eius lis cum Cænobitis *S. Petri*, V, 56. Archiepiſcopatus Privilegia in puncto *Vini* et *Salis* confirmantur. V, 58. Alia de eadem, V, 68. 69. 70.

Saller, Philippus. Eius Scripta. I, 169. Ioannes. Eius Merita literaria & apoſtolica. V, 187.

Sandei, Felini, *Epitome de Regibus Siciliæ*, una cum aliis, editur. III, 65.

Sartori, Joſephus de, ſcribit de Academia *Dillingana*. VI, 195. 206.

Scaliger, Joſephus, amicus *Hoeſchelio*. VI, 23. 53. 55. 59. 61. 64. Corrigitur. VI, 27.

Schadlandius, Ioannes, Epiſcopus *Auguſtanus*. IV, in *Præfatione*.

Schardii, Scriptores Rerum Germanicarum, recuduntur. III, 207.

Schaumburg, Petrus *à*, Epiſcopus & Cardinalis. Eius Vita & Scripta. IV, 18. VI, 192. Eius *Decretum publicarum Comprecationum*, & *Orationes duæ* ex manuſcripto exhibentur. IV, 36.

Schelhornius, I. G. junior corrigitur. VI, 42. 46. 67.

Schencking, Ioannes, I. V. D. Canonicus cathedralis. Eius Scriptum. IV, 201.

Scheuflerus, Sigiſmundus, Vir doctus. I, 153.

Schilling, Ioannes, Monachus. Eius cauſſa turbæ oriuntur *Auguſtæ* ſæculo 16. ineunte. III, 89.

Schmidlinus, Iacobus, refutatur. IV, 195.

Schonerus, Ioannes, Mathematicus. I, 19. 27.

Schopfius. Philippus. Nonnulla de eo. VI, 109.

Schreckenfuchſius, Alexander. II. 122. *Laurentius*. II, 123. *Io. Bartholomæus*. II, 123.

Schwarzius, Chriſtophorus, celebris Pictor in aula *Bavarica*. III, 173.

Scipionis, Antonii, Ord. S. Bened. *Epiſtola*. II, 41.

Sebe-

Seberus, Wolfgangus, edit *Pollucem*. VI, 70. 86. 87. 88.
Seckendorfii Hiſtoria Lutheraniſmi corrigitur. IV, 60. 181. V, 84.
Seefelder, Ignatius. Eius Vita & Scripta. III, 97.
Seemiller, Sebaſtianus, editor *Incunabulorum Bibliothecæ Ingolſtadienſis Academiæ*. IV, 16.
Segethus, Thomas. VI, 54. 82. 94.
Seldius, Georg. Sigiſmundus. IV, 136. Eius Vita & Scripta fuſe proponuntur. V, 205. Alia de eo. VI, 211.
Sembler, Rupertus. Eius Vita & Scripta. V, 226.
Senderus, Clemens. Eius Vita & Scripta. VI, 161.
L. A. Senecæ Medea editur. V, 168.
Senfelius, Ludovicus, poſt Iſaacum *Orpheum*, muſicam Capellam *Maximiliani I.* illuſtrat. V, 98.
Seon, monaſterii *Bavariæ inferioris*, Hiſtoria editur. III, 163.
Sibyllina Oracula primò eduntur. V, 15.
Sigiſmundi Imperat. *Bulla* editur. III, 71. *Sigiſmundus Franciſcus*, Archidux *Auſtriæ*, Epiſcopus *Auguſtanus*, præceſſorem ſuum Henricum *à Knöringen* epitaphio honorat. IV, 31. Eiusdem *Synodum* recudi jubet. *ibid.* Idem *Othoni Truchſeſſio* Epiſcopo & Cardinali epitaphium erigit. IV, 105.
Simeonis, Junioris, Opuſcula eduntur una cum *Simeonis* Theſſalonicenſis lucubrationibus. V, 142.
Soto, Petrus, *Ord. PP.* IV, 110. 115. 116. 140.
Spalatinus, Georgius. I, 18. Eius Epiſtolæ MSStæ, ubi? I, 32. Corrigitur. V, 84.
Spanheimenſe Cænobium. De *Bibliotheca* ibidem nonnulla afferuntur. V, 228. *ſeqq.*
Spazius, Ioannes. IV, 111. 136.
Speculum humanæ ſalvationis. De hoc Libro nonnulla afferuntur. III, 126.
Speth de Turnegg, Fridericus, Epiſcopus *Auguſtanus*. Eius Vita & Scripta. IV, 24.
Spiegel, Iacobus. Eius Epiſtola ad Sodalitium litterarium *Seleſtadienſe*. II, 15.
Stabius, Ioannes, Hiſtoriographus. I, 14. 19. *Petrus*, Ord. PP. Eius Scriptum. I, 188.
Stadion, Chriſtophorus *de*, Epiſcopus *Auguſtanus*. Quid à Senatu *Auguſtano* paſſus ſit? I, 85. IV, 66. Eius Vita & Scripta. IV, 52. Eius Mandatum contra Lutheri doctri-

doctrinam & ſcripta exhibetur. IV, 56. Nonnulla de eo V, 53. VI, 193.
Stædel, Io. Carolus, Patritius *Moguntinus*. Eius Scripta anecdota. IV, 18.
Stamham, Melchior *de*, Abbas *San - Udalricanus*, ſæculo XV. Eius Vita & Scripta. III, 121.
Stamlerus, Ioannes. Eius merita litteraria. V, 101.
Staphylus, Fridericus. IV, 115. 136.
Starchandus, Epiſcopus *Eichſtettenſis*. IV, 216.
Staupitzius, Ioannes. Ei *Vocabularium Theologicum* dicat *Io. Altenſtaig*. IV, 155. *Lutherum* ad ſaniora conſilia reducere ſtudet. V, 52. Alia de eo. V, 59. 115.
Steiner, Ioſ. Antonius, *Synodorum Auguſtanarum*, & *Actorum ſelectorum* eiusdem *Eccleſiæ* editor. IV. 24. *ſeqq.*
Steinmezius, Ioannes, Poeta. V, 160.
Stengelius, Carolus, Abbas *Anhuſanus*. Eius Vita & Scripta. III, 183. VI, 121. 187. *Georgius S. J.* Eius Vita & Scripta. III, 181. *Epiſtolæ MSStæ*, ubi? III, 149. Eius encomium. V, 151.
Stetten, Paulus *à*, *ſenior* corrigitur. III, 157. 181. V, 189.
Stetten, Paulus *à*, *junior* corrigitur. III, 130.
Stevartius, Petrus. Eius Epiſtolæ MSStæ, ubi? III, *Martinus*. V, 184.
Stiborius, Andreas, I, 14. Eius *Canon Clypei auſtriaci*. I, 33.
Stobæus, germanice editur. I, 105.
Stoppelius, Iacobus, I, 14. 19.
Struvii Bibliotheca Hiſtorica corrigitur. IV, 150.
Sturni, Ioannis, *Epiſtola*. II, 16.
Sucqueti, Antonii, Epiſtolæ MSStæ, ubi? III, 149. Eius Opera quædam germanice eduntur. III. 179.
S. Symperti Miracula deſcribuntur. III, 108. Eius Reliquiæ ſacræ transferuntur. IV, 27. Quinam de illo ſcripſerint? IV, 69. *ſeqq.* Eius Vita & Scripta. *ibidem.* VI, 194.
Publ. Syri Sententiæ eruuntur. II, 149.

C. C. Tacitus editur. III, 12.
Tanneri, Adami, *Epiſtolæ MSStæ*, ubi? III, 150.
Templum Ord. Prædicatorum, *Auguſtæ*, reædificatur. I, 54. V, 49. *S. Ioannis*. IV, 217. *S. Afræ*. I, 95. IV, 217. *S. Stephani*. IV, 217.

Terentii Comœdiæ eduntur. III, 223. VI, 68.
Tertulliani Opuſcula nonnulla eduntur. I, 199.
Thalhauſer, Wolfgangus, Medicus. I, 173.
Themiſtii Orationes eduntur. I, 161.
Theobaldus, frater *S. Udalrici.* IV, 215. 216.
Theodoreti aliqua eduntur. VI, 58.
Theophylacti Simocattæ Hiſtoria editur. V, 143.
Theotiſca varia edit *Freherus.* III, 63. 74.
Theſſmerus, Nicolaus. Eius merita litteraria. V, 117.
Thomas, Corbinianus. Eius Vita & Scripta, I, 190. *Hieronymus.* Eius Vita & Scripta. III, 206. VI, 187.
S. Thomæ, Itinerarium ex Judæa in Indiam, editur. VI, 159.
Tieffenbach, Ioannes, Medicus. I, 173.
Tilly, Wernerus Tferclas, Comes *de*, Eius laudes, ubi? III, 197.
Törring, Albertus de, Epiſcopus Ratisbonenſis. I, 1.
Torrentinus, Caſpar. II, 140.
Tradelius, Georgius. Eius Vita & Scripta. III, 209 VI, 188. *Caſpar.* Eius Scripta. III, 209. 210. 218.
Trapezuntii, Georgii, Epiſtola editur. V, 143.
Trefflerus, Wolfgangus. Eius Merita litteraria. V, 228. *Florianus.* V, 231.
Triburienſis Synodus anni 895. IV, 4.
Trigautius, Nicolaus, Eius *Hiſtoria* ſuppletur. V, 167.
Trithemii, Ioann. *Opera hiſtorica* eduntur. III, 53. Alia de eo. V, 107. 228. 230.
Trommius, Abrahamus. Nonnulla de eo. VI, 132.
Truchſeſſiorum de Waldburg nobilis familiæ Genealogia ubi? III, 97. *Otto*, Epiſcopus *Auguſtanus* & Cardinalis. Eius Vita, Merita litteraria, & Scripta. IV, 83. *ſeqq.* V, 194. 216. 218. VI, 195.
Typographia in monaſterium *San-Udalricanum*, *Auguſtæ*, introducitur. III, 130. 131. *Typographia ad inſigne Pinûs.* Quædam de ea. II, 198. VI, 19. 42. 43. 138. *Typi & Inſigne* S. Nicolai. VI, 138.
Tyræus, Hermannus, *Ingolſtadii* diſputat. IV, 108. *Petri*, Opus *de Romano Pontifice* germanice editur. IV, 205.

Vaunius, Udalricus. Eius Scripta, & Merita. II, 124. VI, 182.

Vayer

Payer, Francifci le, *Legatus* editur. III, 40.
S. Udalricus Epiſcopus Auguſtanus. *De* eius *Vita quæ extant*, eduntur à *M. Velſero*. II, 209. Eius oſſa *Auguſtæ* quieſcunt. III, 161. Eius Vita & Scripta. IV, 208.
Udalricalcus, Abbas San - Udalricanus *Auguſtæ*, ſæculo XII. Eius Vita & Scripta. I, 200.
Velius, Caſpar Urſinus. Nonnulla de eo. V, 102. 105.
Velſeria, Margaretha, *Conr. Peutingeri* uxor. I, 145. Eius Vita & Scriptum. II, 127. *Philippina*, uxor Ferdinandi Archiducis Auſtriæ. Eius Vita & Scripta. II, 131.
Velſerus, Antonius, S. J. Eius Vita & Scripta. II, 139. *Antonius* alius. Eius Vita & Scripta. II, 147. VI, 65. 66. *Chriſtophorus*. Eius Vita & Epiſtola. II, 153. *Marcus*, Duumvir Auguſtanus. Eius Vita & Scripta. II, 159. Alia de illo. V, 123. 134. *ſeqq.* 154. 160. 161. 191. VI, 183 - 186. *Matthæus*. Eius Vita & Scriptum. II, 228. VI. 6. *Paulus*. Eius Vita & Scripta. II, 229.
Verbezius, Ioannes, Medicus. Nonnulla de eo. VI, 118.
Viennenſis Academiæ facies circa annum 1486. V, 90.
Viennenſe Collegium Poetarum ſæculo XVI. ineunte â *Maximiliano I.* conditur. V, 93. VI, 182. *Viennenſis* urbis à Turcis anno 1529. obſeſſæ Hiſtoria, ubi? VI, 167.
Virgilii Bucolica edita. I, 9. Bucolica, Georgica, Æneis junctim vulgantur à Iac. *Pontano S. J.* V, 140.
Ulricus, Dux *Würtembergicus*, cenſura imperiali notatur. V, 52.
Voegelinus, Ioannes. Eius Epiſtolæ *MSStæ*, ubi? I, 32. IV, 63. 167. V, 2. VI, 193.
Voit à Berg, Ægidii Sebaſtiani, Scriptum. III, 209.
Urſpergenſe Chronicon editur. IV, 150.

Waldkirch, Bernardus de, fautor litterarum. I, 12. 13.
Wagner, Leonardi, monachi *San - Udalricani*, ſæculo 15. Scripta. III, 127. *Conradus*. III, 128. *Petrus*. Eius Vita & Scripta. III, 224. *Bartholomæus*. Eius Merita. V, 198.
Walramus Eberſpergenſis editur. III, 74. 118.
Wanningus, doctus monachus San - Gallenſis. IV, 210.

Weinlin, Leonardus, monachus *San - Udalricanus*, ſæculo XVI. Eius Scriptum. III, 130.
Wellenburg Caſtrum prope *Auguſtam*, reædificatur. V, 36.
Welſchius, Georg. Hieronymus. II, 216. in edendis aliorum Medicorum Scriptis induſtrius. VI, 116. 129.
Weltenburg, monaſterii Ord. S. Benedicti, Annales editi. I, 4.
Wendlerus, Io. Chriſtophorus, notatur. III, 189. VI, 13.
Werdenberg, Ioannes *de*, Epiſcopus *Auguſtanus*. Eius Vita & Scripta. IV, 25. VI, 190.
Werdenſtein, I. G. *á*. Eius Merita. IV, 207. VI, 56. 206.
Weſtcapellus, Matthæus Galenus. IV, 115. 195.
Wiborada, Virgo ſancta. IV, 210.
S. Wicterpus Epiſcopus *Auguſtanus*. IV. in *Præfatione*.
Widemannus, Carolus, Medicus. Nonnulla de eo. VI, 116.
Wildenberg, Io. Ebran *de*, *Chronicon* editur. IV, 207.
Willerus, Georgius, primus omnium *Catalogos Librorum* edit. VI, 84.
Windhauſer, Wolfgangus. V. *Anemoecius*.
Wittwer, Wilhelmus. Eius Vita & Scripta. I, 214.
S. Wolfgangus, Epiſcopus *Ratisbonenſis*. IV, 219.
Wolfius, Hieronymus, ſcribit ſuam ipſe Vitam. VI, 81. 84. 85. *Moibanum* carmine funebri laudat. VI, 155. 157.
Wolowicius, Euſtachius, *Raderum* audit. V, 151. 160.
Würdtweinius, Steph. Alexander, corrigitur. IV, 189.
Würtembergiæ ad Ducatum attinentia *Acta publica*, ubi? VI, 167.
Wurmſer, Bernardus, ICtus *Carolum V.* alloquitur. II, 15.
Xylander, Guilielmus, diſcipulus *Betuleii*. V, 10.
Zapfius, G. G. emendatur. VI, 43. 67.
Zeta & *Zetarius*, quid? II, 154.
Ziegler, Ioannes, ſæculo 15. VI, 191.
Zimmermann, Edmundi, Scripta. III, 230.
Zingieſſer, Ioannes, Præpoſitus *Pollinganus* ſtudia in monaſterio ſuo expolire ſtudet. IV, 153. 159. 160.
Zollern, Fridericus *á*, Epiſcopus *Auguſtanus*. Eius Vita & Scripta. IV, 26.
Zuichemi ab *Aytta*, Viglii, *Epiſtola* notatu digniſſima. IV, 68. Alia de eo. IV, 137. 138. 164. 175. Alia *Epiſtola* eius. V, 207. Epiſtolas ad Georg. *Hermannum* Auguſtanum mittit. VI, 37.
Zwinglius. II, 26. VI, 204.

Digitized by Google